[redacted]

DE FATO

LIBRI NOVEM,

IN QVIBVS INTER ALIA,

De — *Contingentia,*
Necessitate,
Prouidentia, } *diuina,*
Praescientia } *diuina,*
Prophetia, &
Diuinatione,

TAM SECVNDVM PHILOSOPHORVM opinionem, quàm secundum Catholicorum Theologorum sententiam, doctè, & copiosè disseritur,

Iulio Sirenio Brixiano auctore.

Accesserunt HIERONYMI MAGII in eosdem libros Periochae, cum rerum, & uerborum insignium Indice locupletissimo.



CVM PRIVILEGIO.

Venetiis, ex Officina Iordani Zileti. 1563.

F. Pauli Nicolai Serrani.

ILLVSTR.^MIS, ATQVE REVER.^MIS

DOMINIS, HERCVLI, OECVMENICI TRIDENTINI CONCILII PRO SANCTISS. D. N. PIO IIII. LEGATO PRIMARIO, FEDERICO, ET FRANCISCO GONZAGIS, S. R. E. CARDINALIBVS AMPLISSIMIS,

Iulius Sirenius Hieronymianus, S. P. D.



AGNI, atque præſtantes ingenio, & doctrina uiri, GONZAGÆ Cardinales ampliſſimi, cùm multis de rebus, quæ Philoſophia continentur; grauiter, & copioſè diſputarunt, tum nulla de re, aut grauius, aut copioſius, quàm de ea, in qua uim omnem, & naturam Fati, quantum rei tantæ difficultas patiebatur, explicarunt. Ex omnibus autem, qui ueterum memoria, hanc perobſcuram, & difficilem, ad intelligendum quæſtionem tractauerunt; uidentur Stoici longè cæteris præſtare. Nam eorum omnis in hac re diligentia, atque induſtria ita uerſata eſt, ut hanc unam in primis explicare uoluiſſe, uideantur. Non potuerunt tamen illi, quamuis incredibili quadam ueri perſpiciendi cupiditate tenerentur; tantum inquirendo, & diſputando proficere; ut huiuſce rei cognitionem aſſequerentur. Eſt enim res una omnium difficillima, & tanta obſcuritate, & quaſi caligine operta, ut hanc ipſam depellere nullo modo potuerint. Quod ipſum uidetur etiam quibuſdam Aſtrologis accidiſſe; qui multa quidem de Fato diſſeruerunt, ſed eiuſmodi, quæ neque naturæ, neque rationi conſentiunt. Vtrique tamen ita multas, eaſdemq; ſubtiles, ad eam, quam ſequerentur, opinionem tuendam, rationes attulerunt; ut excellentibus etiam ingeniis, eas refellere, difficillimum ſemper fuerit. Etenim quantopere in Stoicis refutandis Alexander ille Aphrodiſieus, poſt Ariſtotelem, & Theophraſtum, Peripateticorum facilè princeps, laborauerit; quantopere Ioannes Picus Mirandulanus, diuino propè uir ingenio, in Aſtrologorum rationibus diluendis, Petrus etiam Pomponacius, quàm multos ſubierit labores, ut, quæ aduerſus Stoicos Alexander attulerat, confutaret, uix dici poteſt. Mihi quidem hæc ſemper uiſa eſt difficilis & obſcura quæſtio; ſed nunquã tamen aut difficilior, aut obſcurior, quàm cum cœpi de hac ipſa aliquid literis mandare. Augebat etiam illud huiuſce rei difficultatem; quòd mihi non cum uno duntaxat, ſed cum multis, & iis peritiſſimis uiris, erant propemodum manus conſerendæ; ut uerendum eſ-

ſet, & uehementer quidem, ne aut ex pugna uictus diſcederem, aut certè non ita uincerem, ut à me res ſuſcepta poſtulare uidebatur. Itaque & ſi in tali, ac tanta difficultate ego uerſarer, tamen & Stoicorum, & Aſtrologorum, & Pomponacii rationes, ita refellere conatus ſum; ut nodum omnium firmiſſimum diſſoluerim, & quæſtionem omnium obſcuriſſimam illuſtrauerim. Neque uerò eſt hæc omnis à me de Fato diſputatio, è Philoſophia tantùm petita, ſed etiam è ſacris literis; ut uno propè aſpectu, quiſque uidere poſſet, quæ uel Philoſophorum, uel Theologorum de hac re ſententia fuiſſet. Vtrunque autem præſtare, ut maximè ualuit ad ueritatis cognitionem; ſic maximè me ipſum hac de re dies, noctesque cogitantem defatigauit. Accedit quòd iis mihi rationibus reſpondendum fuit, quæ ſingulæ ſingulos ferè libros requirere uidebantur; & tamen ita breuiter, & perſpicuè (niſi fallor) ſum omnia perſequutus; ut modum quendam, & rationem hac in re non contemnendam adhibuerim. Quare habetis, Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Domini, hoc uolumine nō ſolùm quæſtionem de Fato, à me quàm à cæteris hactenus diligentius explicatam, ſed etiam pulcherrimas, eaſdemque difficillimas diſputationes de Contingentia, de Neceſſitate, de Prophetia, de Oraculis, de Præſcientia, & de Prouidentia Dei. Quæ omnia quanti ſint, & eorum cognitio quantopere ſit expetenda; uos profectò Præſules ampliſſimi noſtis, uiri ſingulari ingenio atque doctrina præditi. Hoc igitur opus cùm tandem aliquando multis laboribus, multiſque uigiliis abſoluiſſem; non mihi cogitandum fuit, cui'nam illud dicarem. Nam uos iampridem delegeram, quos hoc munere quamuis exiguo, afficerem. Fuerunt autem conſilii mei, cùm aliæ multæ rationes, tum in primis, duæ. Altera, ut hiſce ingenii mei monimentis teſtarer; quàm te HERCVLEM uerè maximum, à quo me plurimum amari ſentio, obſeruauerim ſemper, atque coluerim: neque te ſolum, ſed etiam FEDERICVM GVLIELMI Ducis Mantuæ Excellentiſſimi, quem honoris gratia nomino, fratrem, & FRANCISCVM FERDINANDI GONZAGÆ, Principis maximis rebus geſtis clariſſimi filium, qui ambo, tua ueſtigia ſequuti, eadem, qua tu maximo cum uniuerſæ GONZAGAE familiæ ornamento, atque ſplendore, in Chriſti Eccleſia dignitate fulgentes, magnam omnibus de ſe expectationem excitauerunt. Quis unquam tribus eandem familiam quamuis nobiliſſimam, eiſdem temporibus uidit, in Romana Eccleſia Cardinalibus illuſtratam, uti nunc GONZAGAM Orbis uniuerſus contuetur? & (quod maximum eſt) tam doctis, tamque Chriſtianis? Altera, ut excellentiſſimæ uirtuti ueſtræ, Principes Illuſtriſſimi, quæ iam omnium gentium ſermone, & literis celebratur, ſi non quantum debeo, quantum tamen poſſum, tribuerem. Hæc autem ſi tam præſtans ac propè diuina non eſſet; neque uos in ſacrum illud collegium ſanctiſſimi ſummi Pontifices aſciuiſſent: neque te, HERCVLES prudentiſſime, ac colendiſſime, PIVS IIII. Pont. Max. ad tam altum dignitatis gradum euexiſſet; ut totius Eccleſiæ Synodo præeſſes. Quod ipſum cum fecit, profectò te maximis omnibus ornamentis digniſſimum iudicauit. Neque enim cuiuſque eſt tot, tantaſque res ſuſcipere; eaſdem ſuſtinere; in luce, & oculis omnium mortalium, ſumma cum laude uerſari. Nunc te præclariſſimi uiri illi Reipub. Chriſtianæ proceres, & piæ religionis lumina, res magnas gerentem, & adminiſtrantem intuentur, admiranturque. A te nunc Reges, & Imperatores pendent; in te populi omnes, omnes nationes,

nes, omnia regna, omnes, quæ CHRISTVM Seruatorem nostrum cognoscunt prouinciæ, oculos coniiciunt. Sed utinam, ut tu, quæ debes, omnia Christianæ Reipub. præstas; sic talis rerum euentus consequatur, ut omnis de fide, & religione controuersia, communi omnium consensu tollatur, & quicquid ad religionem, & Christianam pietatem facit, quam diligentissimè explicetur. Equidem quantopere id cupiam, cum tua, tum multomagis Ecclesiæ causa, dici non potest. Iam enim res in eum locum adducta est, ut optimo cuique, non parum de communi salute dubitandum sit. Sed respiciet Ecclesiam suam Deus; respiciet etiam eos omnes, qui in pietate, & religione præsidium omne sibi positum esse arbitrantur. Quorum in numero, cùm tu maximè esse uolueris; adducor, ut sperem, omnia tibi, Reique pub. Christianæ fœliciter esse successura. Sed ut eò reuertar, unde discessi; à uobis uiri amplissimi, atque præstantissimi, qui literarum studia colitis; & ita quidem, ut hac una re in primis delectemini, peto, ut meos pro uestra in me singulari humanitate labores & uigilias, meque ipsum in uestrum patrocinium ita accipiatis, ut eorum soletis, qui uos ex animo obseruant, reuerentur, & colunt. Hoc autem non solùm me incredibili afficiet uoluptate, sed ualde etiam, ad alia in lucem edenda excitabit: quæ, si difficultatem spectetis, nihilo minus sint, quàm hæc difficilia; si utilitatem, multò etiam fortasse utiliora futura sunt. Equidem in certissimam spem uenio, fore, ut uos de me, atque de meis uigiliis, illud iudicium reddatis, quod semper à uobis sapientissimis expectaui: Quos incolumes nobis ac uniuersæ suæ Ecclesiæ, fœlicesq; diu seruet IESVS CHRISTVS. Venetiis è Cœnobio D. Mariæ à Gratiis, Calendis Mart. MDLXIII.

HIERONYMI MAGII ANGLARENSIS CARMEN

In Iulii Sirenii libros de Fato.



ENELOPES coniux, qui sulcas æquora puppi,
Littora si legis hæc Neriton ipse petens;
Nec comitum stipes aures, nec uincula necti
Ipse tibi iubeas: causa timoris abest.
Lethiferis hic non modulis Acheloia proles
Incautos sæuis mergere tentat aquis:
Non hic insidiæ, non ulla pericula nautis,
Ulla nec Adriaco littore monstra latent.
Brixia SIRENUM tulit hunc præclara disertum,
Seruantem mersos fluctibus eloquio.
Abdita fatorum hic retegit secreta profundis
Æquoris, atque Herebi, quæ latuere locis.
Scrutatur summas sagax rerum undique causas,
Et quas stellarum clarior orbis habet.
Humanas linquat iam nunc uesania mentes,
Nam fati amisit fabula prisca fidem.



HIERONYMI MAGII ANGLARENSIS,

In Iulii Sirenii libros de Fato,

AD C. V. ET SENATOREM OPTIMVM IOANNEM DONATVM C. V. BERNARDI FILIVM,

PRÆFATIO;

Qua singulorum librorum Periochæ continentur.



ENSIBVS superioribus, IOANNES DONATE uir nobilissime, & nostræ ætatis Oratorum facilè princeps, cùm essemus apud IO. ANDREAM BADOARIVM V. C. qui de patria magnis rebus gestis benemeritus, nunc octogesimum agens annum uiridi planè senectute, mentis acumine haud quaquam destitutus, semper aliquid, quod ad Venetæ Reipublicæ incolumitatem, atque amplitudinem pertineat, molitur: Et artificiosissimam triremis recèns ab eo excogitatæ formam, qua nihil ad bellicos usus utilius unquam inueniri potuit, satis contemplati essemus; eius ex ædibus digressi, uariis, ut scis, de rebus cõmentari cœpimus. Cumque tu multa de Rep. ut soles, doctè & copiosè loquereris; è re nata de Fato, & rerum euentu, à quibus omnia pendere non solùm uulgus existimat, sed sapientes etiam nonnulli censuerunt, uberrimam habuisti orationem. Multas uerò à Græcis, Latinisque auctoribus afferri nugas, cùm, ex abditiore Theologia, & Philosophia erutis argumentis, ostendisses; honorificam doctis hac in re patere scribendi prouinciam affirmabas: ac mox percunctatus es, num aliquem forte ex recentioribus auctorem legissem, qui strenuam in Fati ui, ac natura explicanda operam nauasset; quique eam uiam, & rationem sequutus esset, quæ à doctis & Theologis, & Philosophis probari posse uideretur. Dixi penès me esse Iulii Sirenii Philosophi, & Theologi omnium concessu doctissimi, elegantissimique, huius argumenti libros nouem, quibus res hæc Cimmeriis hactenus circumfusa tenebris, atque innumeris obstructa difficultatibus, & mirum in modum illustrata sit, & facilè explicaretur. Hic tu, qui olim Bononiæ, eius magna cum laude publicè Philosophiam edocentis auditor aliquot diebus fuisses (Bononiensium nanque Senatusconsulto sibi demandatam prouinciam, multis honestissimisque de causis sponte ille, ægreferentibus auditoribus, reliquit) & hominis incomparabilem doctrinam perspectam, cognitamque haberes; incredibili horum librorum desiderio ardere cœpisti: atque ut eorum tibi quamprimùm copiam facerem, qui iubere debebas, pro summa, qua præditus es humanitate, rogasti. Id enim temporis, quod tibi à Reip. cura, & gerendis magistratibus, in quibus omnes te Venetum esse Catonem iure prædicant, uacuum est (quod profectò breue esse uideo) Philosophiæ

ſophiæ ſtudiis, & nobilioribus quibuſque id genus auctoribus legendis, te impendere affirmabas. Ego, qui non poſſum non tibi perpetuò debere (ſiquidem quàm ſit egregia tua erga me uoluntas, & beneuolentia, re ipſa non ſemel intellexi) ac eam ob rem tibi morem gerendi incredibili uoluptate ducor; me libros eos ad te ſedulò miſſurum, pollicitus ſum. Verùm cùm poſtea Chalcographi eos excuſuri efflagitaſſent, diemque diffindere, atque hoc æs alienum ſoluere, mihi non eſſet integrum; rem ad hanc uſque diem, qua ſoluendo ſum, non ſine fœnore duxi extrahendam. Vt enim te publicorum commodorum rationibus præpeditum, atque ideo tumultuario ſtudio bonas literas excolentem, labore leuarem, ſingulis libris lemmata Laconica præfixi, rerumque ſummam atque περιοχὰς haſce tibi conſcripſi, ut quid quoque libro contineatur, ſub uno aſpectu poſitum, facilè perſpicias.

Libri primi Perioche.



TRES de euentu rerum opiniones afferuntur; quarum prima cœco caſu, & temere cuncta euenire aſſerit. Huius rationes adducuntur; mox uerò opinio eliditur, reiiciturque, & quæ ab ea ſtabant rationes ſoluuntur. Secunda ineuitabili omnia neceſſitate euenire contendit: cuius ſolidiores duntaxat rationes afferuntur, moxque opinio improbatur. Rationes uerò quibus illa fulciebatur, libro ultimo diluuntur. Tertia, aliqua temere, alia finis intentione euenire affirmat; horumque nonnulla contingenter, nonnulla uerò ex neceſſitate. Sed quorundam ex his neceſſitatem declinari poſſe, aliorum non item. Quæ opinio paſſim toto opere comprobatur.

Libri ſecundi.

PHYSICIS, Theologicisque rationibus auctor doctè, atque eleganter, de ipſa contingentia, deque ipſa neceſſitate diſſerit, nullumque non mouet lapidem, quærens, An ſint? Quid ſint? & Vnde ortum ducant?

Libri tertij.

DE Fato peculiarius diſſertationem apponit: ac primùm mira ſolertia, antiquorum omnium, quæ de Fato ad ætatem noſtram peruenerunt, opiniones uenatur, & non ſine delectu colligit. Mox per ſolidiora ἐπιχειρήματα, Fatum adſtruit probatque. Tertiò firmis adeò argumentis, & demonſtrationibus, tanquam Arietibus, Stoicorum Mathematicorumque opinionem quatit, atque euertit, ut qui librum hunc attentius legerit, Fato deinceps, & impermutabili immotæque rerum euentus ſanctioni, quempiam poſſe aſſentiri, uix credam. Quartò ſoluit, refellitque omnia, quibus Fatum aſſerebatur. Demum quid de Fato Theologi noſtri ſentiant, breuiſſimis edocet.

Libri

Libri quarti.

HIC de Diuina Prouidentia ad Physicorum opinionem agitur: bifidaque est dissertatio. Priore parte, Platonis, & Academicorum sententia ponitur. Posteriore uerò, quid Aristoteles, ac Peripateticorum Schola existimet, explicatur, & ex Aristotelis interpretibus adducta quædam, quæ auctori negocium facessere, atque aduersari uidebantur, nullo planè negocio soluuntur.

Libri quinti.

HOC librò, de Diuina Prouidentia ad Theologorum sententiam auctor disserit: in cuius exactissima disquisitione, multa admodum Theoremata, quæ mirum in modum lectorem oblectare, & afficere possint, declarat.

Libri sexti.

TRIBVS Stoicorum rationibus, quæ libro primo adductæ fuerunt, confutatis, de Diuina Præscientia ad Physicorum opinionem, præsertim Academicorum, & Peripateticorum, non sine eximio lectoris fructu, disseritur.

Libri septimi.

PROPHETIÆ uim omnem, & naturam, rerum recessus, atque adyta perscrutatus, auctor euoluit; deque ea non solùm Physicis, sed Theologicis, eisdemq; optimis rationibus agit; quærens, An sit? Quid sit? Vnde eius uis, & facultas homini concilietur: &, An, quæ Prophetæ ipsi uentura prædixerint, necessariò eueniant.

Libri octaui.

DE Diuina Præscientia, pulcherrima instituta disputatione, hic auctor ea omnia dissoluendo pertractat, edisseritque, quæ uel minimam in euentibus necessitatis opinionem ex præscientia efficere poterant. Ac tandem, non solùm cuncta ineuitabili necessitate non euenire colligit; sed eorum, quæ eueniunt, ne unum quidem, contingenter uerò omnia, euenire probat. Verùm quanquam contingenter omnia eueniunt, multis tamen, mirisque modis, cuncta rursum necessitati annexa esse demonstrat.

Libri noni.

EA omnia dissoluit, eliditque, quibus Fatum primo libro adstruebatur: atque his soluendis, de Diuinatione, & cunctis diuinandi generibus, ut

de Augurio, Extiſpicio, Sortibus, Portentis, & Ominibus, quibus antiquitas, Dæmonum circumſcripta artibus, fidei plurimum adhibuit; ita doctè, & copiosè agit, ut nihil prorſus lector, quod ad eam rem ſpectet, deſiderare poſſit. Potiſſimùm autem de Oraculis agit, de Diuinatione per ſomnium, & de Aſtrologorum Genethliacorumque reſponſis, quæ ἀποτελέσματα, nomine à perfectione falsò indito, uocant. Adhæc nonnulla de Phyſiognomorum, Geomantumque prænunciationibus ſcitu digna affert, cunctaque hæc Phyſicè, & Theologicè pertractat.

Operis totius ſumma.

TOTIVS uerò operis huius præclariſſimi ſumma eſt, Fato, hoc eſt ineuitabili neceſſitate, Orbe in uniuerſo, fieri nihil. Omnia uerò Fato, ideſt diuina ſic moderante Prouidentia, euenire.

AD affines uerò, ſeu cognatas potius diſſertationes, de Libero Arbitrio, de Prædeſtinatione, ac Reprobatione, quod attinet; ſeorſum Sirenius hic noſter, fœcundiſſimi uir ingenii, aliis libris, adeò doctè, atque eleganter diſſeruit; ut omnibus, qui has res pertractarunt, palmam præripuiſſe, & aliorum ſtudia reſtinguere poſſe, uideatur. In his ita diſpoſitè, atque ordinatè, &, quod maximum eſt, ita ſolidè, & conſtanter ueritatem demonſtrat, & piè catholiceque exprimit, ut perturbationes, quæ harum rerum diſquiſitione, curaque implicitas mentes diuexant, exagitantque; ſedari, & rerum inuolucra explicari, paruo negocio poſſint. Hos libros, cùm per auctorem licuerit, ſi quos nunc mitto, tibi placuiſſe intellexero, ad te perferendos curabo.

Vale DONATE Senator optime, & libros meos De Serpentum ueneno & temperamento, ſi non eruditionis nomine, quam exiguam in me ſemper eſſe ſenſi, at certè ob nominis tui amplitudinem inclytos futuros, propediem expecta.



ELENCHVS CAPITVM SINGVLORVM LIBRORVM.

PRIMI LIBRI.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.



rum

Elenchus.

LIBRI QVINTI.



Ad

LIBRI NONI.



Ad

Elenchus.

F I N I S.

IVLII SIRENII CARRARII HIERONYMIANI, THEOLOGI, ET PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

De Fato liber primus.

In quo opiniones ferè omnes, quæ de rerum euentu, apud ſcriptores extant, referuntur; & earum plurimæ rationibus aſtruuntur, mox verò breuibus eliduntur.

Quæſtio diſputanda, quæ uniuerſi operis ſcopus eſt, proponitur: quæſtionis titulus ex Cicerone exponitur, & Ciceronis expoſitio reprobatur.

CAPVT PRIMVM.



RDVA ſanè non ſolùm Philoſophis omnibus, ſed & catholicis Theo-
logis ſanctitate, ac eruditione clarisſimis, difficultatibusq́; & anfracti-
bus plena, nunquam non uiſa eſt quæſtio illa. An quippiam in tota rerũ
uniuerſitate contingens ſit? uel ineuitabili potius necesſitate, quæ-
cunque fiunt, ac eueniunt; & fiant, & eueniant? Huius tam arduæ quæ-
ſtionis titulum, & eiuſdem tituli ſenſum, cum aliquando exprimere li-
bro de Fato conaretur Cicero, confudit illum magis (ut ingenuè, quod
C ſentimus, fateamur) quàm expreſſerit. Hæc ſunt in eo libro Ciceronis
uerba. Quæro igitur (atque hoc latè patebit) ſi fati omnino nullum no-
men, nulla natura, nulla uis eſſet; & fortè, temerè, & caſu aut plæraque fierẽt, aut omnia; num ali-
ter, ac nunc eueniunt, euenirent? Hæc ille. Miror ego, tantum hominem, oratorem præſtantisſi-
mum, philoſophumq́;, in Stoicorum præſertim dogmatibus, quæ fatum undiq; reſonare ſentimus
eruditisſimum; non uidiſſe; ſtãte quæſtionis tali ſuppoſito (nam quæſtio omnis, ut libro ſeptimo
Diuinæ philoſophiæ docet Ariſtoteles; quod & quiuis per ſe ipſe dignoſcere faciliimè poteſt, quip
piam certum ſupponit) quæſtioni locum relictum fuiſſe nullum. Nunquid ſi fatum abſtulerimus,
& fortè, temerè, ſiue caſu, aut plæraque, aut omnia fieri dixerimus; dubitabimus etiam, an ea, quæ
eueniunt; aut non euenire, aut ſecus quàm eueniant, euenire posſint? Non'ue tota ille erraret
uia, qui quippiam fortè, temerè, & caſu fieri; idemq́ue uel non poſſe non fieri; uel non ſecus quàm
factum ſit, potuiſſe fieri, crederet? cùm ex communi philoſophantium omnium ſententia, ca-
ſuale, & temerarium, illius naturæ ſit; ut æque fieri, & non fieri poſsit. Neceſſarium uerò con-
trà illius, ut non fieri non poſsit. Vnde ſine aliqua dubitatione conſequitur illud, ut neceſsitas ca
D ſum prorſus, & temeritatem tollat. Quod autem illis uerbis quæſtionem toto illo libro exami-
nandam propoſuerit Cicero, cum ex multis aliis, & ex uniuerſo libelli illius proceſſu, tum ex ea
parentheſi (atque hoc latè patebit) quam quæſtionis propoſitioni inſeruit, manifeſtiſsimum eſſe
poteſt. Niſi igitur mendum ſit in codice, cùm in ſuppoſito quæſtionis, quæſtio ipſa funditus e-
uertatur; Ciceronem qui tueri ualeamus non uideo. Mihi profectò tam rudi, & tardo, quæſtionis
titulus (& ſi quæſtio ipſa difficillima eſt) atque ipſius tituli ſententia, perſpicua adeo eſſe uidetur,
ut nullo interprete, nullaq́ue expoſitione egeat. Si enim quippiam caſu, temerè, ac fortuitò fa-
ctum ſit, uel nunc fiat (quod modò nobis contingenter fieri dicatur) aliter, quàm uel prius factũ
fuerit, uel nunc fiat, ſine dubitatione fieri uel potuit, uel nunc poteſt. Ex quo neceſsitate nulla ine-
uitabili illud fuiſſe factum, aut fieri, conſequens eſſe, manifeſtum eſt. Quæritur ergo, num aliquid
eueniat, uel euenerit, uel etiam in poſterum euenturum ſit; quod uel omnino non euenire, uel
aliter, quàm euenerit, aut eueniat, aut ſit euenturum; euenire uel poterit, uel poſsit, uel potue-
rit? an eo potius modo, quo uel prius euenerint, uel nunc eueniant, uel in poſterum etiam ſint
cuncta euentura; ita ſuis temporibus ſingula eueniant, ut uel non euenire, uel alio, quàm eue-
niant, modo euenire, non poſsint? Hæc eſt ardua illa, & perdifficilis quæſtio; in qua explicanda
non ſolùm noſtræ ætatis homines, ſed omnes antiqui plurimùm deſudarunt; multaq́; multi dixe

runt; non à catholica ueritate solùm, sed à physica etiam ratione distantia prorsus, & aliena. Hanc ego nunc, ut Christi fidelibus seruis, piis, atq; catholicis inseruiam, quantum in me est, & gratum faciam: non physicè tantùm, (quod multi quidem ante nos fecerunt, licet imperfectè admodum, quòd unam tantùm, uel alteram scrutati fuerint opinionem) sed & physicè & theologicè (quod facere ante nos, quem equidem sciam, aggressus est nemo) quàm diligentissimè indagandam, examinandamq; suscepi. In huius uerò quæstionis explicatione, quicquid à nobis uel dictum, uel exaratum fuerit; & sacrosanctæ summi Romani Pōtificis censuræ, & omnium Theologorum iudicio, qui periti, catholiciq; sint, ultrò submittimus: Deumq; supplices precamur, ut mentem, & stylum nostrum ita pro sua bonitate, & clementia dirigat; ut & nobis constare, & ea dicere possimus; quæ esse catholicæ ueritati consentanea, quiuis facilè intelligat, & dignoscat. E

Opiniones, quæ in hac difficillima quæstione occurrunt, omnes ad tria capita reducuntur. CAP. II.



QVAESTIO igitur cùm perplexa sit (res enim nulla est, de qua tantopere non solùm docti, sed etiam indocti controuersentur, & dissentiant) uarias admodū, ac dissidentes habuit inter se sententias: quæ, etsi innumerabiles ferè sunt, ad tria tamen capita, atque ad tres primarias, omnes non incommodè redigi possunt: quarum duæ omnino contrariæ, totaq; inter se (quod aiunt) diametro pugnantes sunt. Et harum una quidem contingentiam, quam uocant fortunam, aut casum, aut etiam temeritatem; altera uerò contrà ineuitabilem, & absolutā in rebus, & euentibus cunctis necessitatem, quam fatum uocant, tueri conatur. Tertia in aliquibus quidem euentis contingentiam, in aliquibus uerò necessitatem asserit. Quæ in medio illarū constituta, ueluti honorario iure consedet. Atque hæc sanè, iis, quæ ex latere sunt, rectior à nobis ac uerior, demum esse iudicabitur. F

Ponitur caput primum, & est opinio illorum, qui contingenter, id est fortè, temerè, & casu omnia euenire putauerunt. CAP. III.



EXTREMARVM opinionum una eorum est, qui ea omnia, quæ eueniunt, fortuitò, temerè, & cæco casu euenire contendunt. Quæ licet Epicuro passim à physicis, & ab aliis scriptoribus ascribatur; qui mundum ipsum nec ratione ulla, nec arte, nec fabrica instructum; sed naturam (ut fusè inferius declarabitur) quibusdam rerum minutis seminibus, & insecabilibus, temerè conglobatam asseruit: libro tamen secundo Physicarum auscultationum, ad textum tertium supra quadragesimum, Empedocli attribuitur; quinimmo Democrito etiam, & eius præceptori Leucippo, in procœmio Metaphysicæ, ab Aristotele, hæc eadem opinio ascribi uidetur. Inquit enim loco ante citato Aristoteles; Democritus & Leucippus de motu suorum principiorum dicere, negligenter dimiserunt. Credendum est propterea (quod libro tertio uberius intelligemus) Democritum ipsum, & Leucippum, qui quidē multo ante Epicurum uixerunt, temerario minutissimarū, indiuisibiliumq; atomorum concursu, cuncta fieri existimasse; Et fortuitis similiter quibusdam inter se elementorum compactionibus, eorundemque, siue à lite, siue ab amicitia temerè factis ab inuicem dissolutionib. fortuitò, & casu, Empedoclē cuncta generari & corrumpi putasse. quæ omnia in sequentibus & fusius, & accuratius à nobis declarabuntur. Sunt huius opinionis (etiam si libello de fato cap. II. secus uisus sit sensisse Plotinus, & Plotini sententiæ in disputatione de rerum naturalium principiis Simon Portius subscripserit) quicunque præter rudem materiam, physica alia principia non agnouerunt; sed aquam tantùm, uel aerem, uel ignē, uel horum plura, uel omnia, uel quid inter hæc medium, uel aliud quippiā huiuscemodi materiatum; ut sunt corpuscula illa, quæ atomi dicuntur ab Epicuro, ut paulò ante dicebamus, & ante Epicurum à Democrito & Leucippo posita, rerum omnium principium asseruerunt. Non enim cuiuspiam tandem effectus causam, nisi materialem, ii reddere queunt. Prima nanque ab iis posita causa, ad quam cæteræ tandem omnes reducendæ sunt; materia est. Ea uerò, quorum denique omnis ratio in materiam refertur: etiam si ex necessitate hyles (ut Auerrois loquendi modo utamur) eueniant; nisi fortè priuationes fuerint, ut senectus, mors, corruptio, & huiusmodi alia, non casualia tamen, ac temeraria esse non possunt; quod monstra, quæ ab excessu uel defectu materiæ eueniunt, apertè nobis admodum significant. Eiusdem opinionis sunt, qui an sint Dii, sicut Protagoras Abderites, & alii plerique dubitauerunt. Protagoras sanè, inquit Cicero in principio sui libri, sic posuit. De Diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere. Ratio dubitandi (ut lib. primo G H

de

A de Consolat. Philos. prosa IIII retulisse uidetur Boethius) apud Protagoram fuit: quòd Deorum tantam & bonitatem, & uirtutem esse ille crederet; ut mala cuncta, si Dii essent, ab uniuerso orbe profliganda actutum forent. Contrà rerum ipsarum tantam impuritatem, malitiam, & imbecillitatem, ut, si illi non essent, nihil in rebus boni, sinceri, & perpetui esset relictum; sed fœda, turpia, caduca, & noxia futura essent omnia. Quamobrem nutabundus ille arguebat, Si Dii sunt, unde mala? si non sunt, unde bona originem trahunt? Cum Protogora, & aliis, an Dii sint dubitantibus, quid prohibet, Cottam quamuis Pontificem, immo Ciceronem ipsum connumerare? Ita enim Cicero (quicquid deinde in lib. tertio dixerit) primo de Natura Deorum, facit Cottam de
» se ipso loquentem. Itaque ego ipse Pontifex qui cærimonias, religionesque publicas sanctissimè
» tuendas arbitror is, hoc quod primum est, esse Deos, persuaderi mihi, non opinione solùm, sed
» etiam ad ueritatem, planè uelim. Multa enim occurrunt, quæ conturbent, ut interdum nulli esse
» uideantur. Hæc Cotta. Quid enim illi potest esse rati, & certi; nedum ineuitabilis, & necessarii, cui an Deus sit, incertum est, & in dubium uertitur? Eidem opinioni longè apertius subscripserunt & Callimachus, & quotquot cum Callimacho senserunt: qui ideo effictos, ab hominibus, potentibus scilicet, & prudentibus uiris, Deos esse putauerunt; ut sibi subiectos homines facilius
B Deorum timore compescerent; à peccatisque religione quadam eosdem magis deterrerent.
» Iuxta illud, *Et faciunt animos humiles formidine Diuum.* Cum enim leges conscientiam punire non possint, ad peccata cohibenda, utile est; ut aliquis desuper terror impendeat: quo rectius, innocentiusque uiuatur. Scriptum reliquerunt nonnulli, hunc in modum, aduersus Deos, Callima-
» chum prorupisse. In suburbanum delubrum confectiite: in quo iampridem æreum, qui finxit, Io
» uem, insolens senex improba scribat uolumina. Aliàs quoque, ad Deos tollendos, ista usus fuit ra
» tione: Si deum nosti, scito quoque, quòd factu nihil non Deo possibile est; atqui Deus non omnia
» potest; quandoquidem si Deus est, faciat niuem atram, & ignem gelidum, aut quòd simul idem se
» deat, & non sedeat. quòd si hæc fieri nequeant; neque cuiquam ullos Deos putare licebit. A' Callimacho, sine dubio, non multum absunt Critias, & Prodicus Chius, qui relata in Deos existimarunt ea omnia, quibus homines iuuarentur, Solem, Lunam, Terram, Flumina, Ignem, & id genus innumera. Nempe ii omnes, quos diximus, etsi Deos uerbotenus affirmarunt, eos tamen re ipsa negarunt, ac penitus nullos esse crediderunt. Quod faciunt etiam Mathematici illi, qui cœlestia corpora, unde perpetui quidã ad nos influxus delabantur, quib. necessitate ineuitabili eueniant
C cuncta, quæ eueniunt; Deos esse crediderunt. Ii certè, etiam si & Deos, & in uniuersis euentis, ineuitabilem necessitatẽ uerbis fateantur, & statuant; utrunque tamen Deum, & ineuitabilem necessitatem ratione, ex propriis decretis, sumpta, denegare coguntur: cùm illorum principium primum, quod cœlũ est, materia sit; quæ neque Deus, neque euentus simpliciter necessarii, & ineuitabilis prima causa esse potest. Inter eos, qui Deos sustulerunt, & libro primo, & libro secundo de Natura Deorum, Democritum, & Epicurum enumerauit Cicero. Nam etsi, ut paulò ante dicebamus, uerbotenus Deos esse Epicurus confessus fuit, attamen quoniam, si Ciceroni libro secundo de Diuinatione credamus, monogamos illos, & perlucidos, & perflabiles, & habitãtes inter duos lucos, sic inter duos mundos, propter metum ruinarum, posuit; eosque habere eadem membra putauit, quæ nos: nec ullum usum habere membrorum: uerborum circuitione quadam, is Deos abstulit potius, quàm posuerit. Quamobrem nonnulli peritissimi uiri, non malè opinati sunt, Deos Epicurum, in Stoicos tantùm iocandi causa, confessum fuisse. Sed præ cæteris, rerum cunctarum, ac euentuum uniuersorum temeritatem, illi maximè confirmarunt, qui Deos impiissimi negare, euertere, atque de medio, funditusque tollere, uel tentare ausi fuerunt. quemadmodum Hyppon cognomento Atheus, Theodorus Cyrenæus, Euemerus Tegeates, Diogenes
D Phrygus, & alii multi; sed in primis impius ille Diagoras Melius dithyramborum scriptor; cuius etiam impietas in prouerbium euasit. Diagoras Melius, quod de scelerato, ac fœdifrago, & impio homine dici solitum est. Hic enim, capta Melo, uixit Athenis: sed Atheniensium sacrorum mysteria ita contempsit, ut contra fas, nefarius homo in uulgus ea omnia, modis omnibus, irridens protulerit. Refert de eo Cicero, quòd cum Samothraciam insulã, à Samo Threiicia sic dictam, aliquãdo ille uenisset, eique pictas tabellas Neptuno, uel Deorum cuipiam pro uoto oblatas amicus quidam attulisset, dixissetque, Videas ò Diagoras, qui non credis Deum ullum mortalia curare, quot Deorum benignitate, naufragio liberati, salui in portum peruenerint: eidem illum respondisse: at qui naufragium fecerunt, nusquam picti sunt: casu uidelicet cœco, & temerè, non autem Deorum prouidentia, & benignitate, illos liberatos innuentem: iuxta illud Virgilianum.
» *Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat.*

Idem cum aliquando quopiam ueheretur, uectoresque, aduersa tempestate perterriti, hæc non iniurià pati se dicerent, quòd Diagoram Atheum ueherent, ueritus ne, communi nauigantium consensu, in mare præcipitaretur: eosdem aduocat, iubetque, alias quasdam naues intueri, simili modo periclitantes, inquiens; num creditis, & illis nauibus, uehi Diagoram Melium?

Opinio prius recitata, & euentuum cunctorum temeritas, aliquot rationibus breuiter persuadetur. CAP. IIII. E



RO opinione, quam modò recitauimus: quæ in rebus uniuersis temeritatem defendere nititur: nonnullæ, sed leues admodum ab aliquibus, & futiles adducuntur rationes. Vna est, quæ à cuiusque euentus causarum infinitate desumitur. Quemadmodum enim, inquiũt, in illa continuæ quantitatis diuisione, quæ geometrica proportione fit, per ablationem, diminutionemq; descendendo; & similiter in illa quantitatis discretæ aggregatione, quæ numerus nuncupatur, per additionem, accumulationemque ascendendo; nullus est finis, & terminus. Sed uel post quamlibet diuisionem, alia fieri potest diuisio, unde aliquid auferatur; uel ante quemlibet numerum, alius numerus addi potest, & cõstitui, unde prior numerus augeatur, & hoc in infinitum. Ita & in rerum causis (inquiunt isti) siue anterioribus, & præteritis, siue posterioribus, & futuris: quas uel geometricæ diuisioni, & ablationi, uel numerali additioni ideo dicere possumus esse similes; quòd ante quamlibet causam, alia præcesserit, & post quamlibet, alia item futura sit causa, ut nullus sit in causis status: sed utrinque uel in addendo causas causis, uel in diminuendo, F
atque auferendo causas à causis, in infinitum procedatur. At ubi infinitas, ibi nulla præfinita ratio, & nulla determinatio est; sed temeritas tantùm. Cuncta igitur temerè eueniunt. Ratio ista ex æterna rerum generatione, & corruptione, tanquam ab exemplo declarari potest. Ante enim cuiusuis rei generationem, si mundus, ut putant Physici, æternus est, infinitæ & generationes, & corruptiones, quæ fuerunt eiusdem rei generationis causæ, præcesserunt. Post iterum cuiusque rei corruptionem, infinitæ, ex eiusdem rei dissolutione, corruptiones succedentibus temporibus, & generationes erunt. Hoc enim corrumpitur, quia illud generatur; illud autem, quod generatur, quoniam generatur, tandem corrumpetur; at quia illud corrumpetur, aliud generabitur: quod rursus, quia generabitur, corrumpetur, & ex eius corruptione, aliud item generabitur. et sic in infinitum, in futuris temporibus, quasi prioribus causis causas addentes, procedemus. Sed & in præteritis temporibus idem euenit. Quoniam nanque hoc genitum est, illud fuit corruptum, quod corruptum non fuisset, nisi prius fuisset genitum. At illud ipsum genitum non fuisset, nisi alterius item rei corruptio præcessisset. Et hoc modo absq; fine aliquo in præteritis, & præcedentibus causis, à quibus demas quotquot uolueris, aliæ supererint: unde demere procedendo semper poterimus. Sed de priori ratione hactenus. Altera ratio est, quæ fuit Epicuri, diuinam prouidentiam abnegantis. Quoniam plurima præter cõsuetum ordinem causarum fieri ubique locorũ G
uidemus, multa præter rationem impunè committi; bella ab inconsulto Imperatore quandoque prosperè confici; contrà peritissimum Ducẽ succumbere; & parua manu innumerabiles copias fundi, conspicimus. Probos, & doctos uiros sæpenumero egere, pelli, trucidari: improbos contrà diuitiis affluere, iuuari, atque defendi: mortem sine personarũ, aut sexus discrimine sæuire: quosdã infantes rapere; alios in adolescentia, & suæ ætatis flore; alios in senecta; alios ætate cõstantiori. ipsa etiam Deorum domicilia, & tẽpla fulminibus prosterni, & conflagrari uidemus. Omnia denique pro fortunæ arbitratu misceri, temereq; ita se habere cuncta, atque confundi palàm est; ut in dialogo septimo de Legibus, non ab re dixerit Plato, Hominem esse iocum, & ludum Deorum: quòd Homerus ante Platonẽ sensisse uisus est: cùm libro XXIII Iliadis, in morte Patrocli, ludos Achilles constituat, & præmia uariorum certaminũ; in quibus singulis, ii succumbant, qui magis uicisse debuerant. Cũcta igitur pro fortunæ, uel Deorũ illusione erga miseros mortales, fortuitò, temerè, & casu euenire existimandũ uidebitur. Vt non absque causa cecinerit Claudianus Poeta,

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem, H
Curarent superi terras, an nullus inesset «
Rector, & incerto fluerent mortalia casu. «

Obiicitur recitatæ opinoni, quæ omnia temerè, & casu fieri asseruit. CAP. V.



ADVERSVS Epicurum quidem, & Empedoclem, & eos deniq; omnes, qui cuncta, quæ fiunt, temerè fieri asseruerunt (quamuis & Empedocles & Epicurus à Cicerone & aliis nonnullis, inter eos, qui fatum, idest ineuitabilem in euentis omnibus necessitatem astruxerunt, connumerentur: de qua re inferius libro tertio fusius aliquanto dicemus) sufficiat nobis una auctoritas, & una itidem ratio. Auctoritas est Plotini Philosophi celeberrimi, in initio primi libri de Prouidentia; ubi sic ille. τῷ αὐτομάτῳ, καὶ τύχῃ, διδόναι τοῦ δὲ τοῦ παντὸς τὴν αἰτίαν, καὶ ξύστασιν, καὶ ἄλογον, καὶ ἀνδρὸς οὔτε νοῦν, οὔτε αἴσθησιν κεκτημένου: idest, casui, & fortunæ, orbis uniuersi causam, & constitutionem attribuere; alienum est à ratione; & uiri, qui neque mentis, neque sensus

A ſus compos ſit. Ratio eſt una illa, ut breuis, ita pulchra, Plutarchi, libro de Fortuna, ubi, nulla
» (inquit) regio eſt, quæ non libra, numeris, menſura, & regulis utatur; ne in rebus agendis locum
» habeat temeritas, & ſine conſilio contingens caſus. Quæ quidem ratio, eò uehementius urget,
quò populorum communi omnium experientia, & uſu, confirmata eſt. His, qui ad materiam,
rerum omnium cauſas, & principia reducunt, cœleſtium corporum maximè ordinatus motus;
ſeminum rerum præfixa ratio, partium earundem, uel ſimilium, aut proportionalium, ſiue in
homine, ſiue in bruto, ſiue in plantis, certa quædam, & admirabili ratione digeſta diſtributio
refragatur. Pes enim in animalibus omnibus, quibus pedes natura non negauit, ſupponitur; caput
contrà reliquis animalis partibus ſemper eminet; cor in omni animali ſitum medium obtinet;
radix item in arboribus cunctis, terræ innititur; ſurgit truncus; extolluntur rami. At quid
in ſingulis moror? Orbis uniuerſi (ut infinita unico uerbo perſtringamus) & eorum omnium,
quæ orbe uniuerſo continentur, admirandus ordo, illius opinionis abſurditatem perquamclariſsimè
demonſtrat. Qui nanque fieri poteſt, ut ea, quæ tam certa, tamque immutabili ratione,
tanto, tamq; admirabili ordine, perpetuoq; quodam, ac inuariabili tenore eueniunt; temerè
euenire dici poſsint? nullamq; ſuæ conſtantiſsimæ regulæ, ſuiq; tanti, ac tam ſolidi ordinis, præter
B materiam (quæ rudis eſt, indigeſtaq; moles, & tantùm ad patiendum apta) cauſam habeant? Illis
deniq;, qui Deos eſſe uel negant, uel dubitant; cùm ea, quæ nuper dicta ſunt, omnia, tum
plurima alia, de quibus in poſterum uberius dicendum erit; in primisq; illa Lucilii Balbi pulcherrima,
in libro ſecundo de Natura Deorum, à Cicerone recitata, obſtat ratio. Quoniam opinio
de Diis, quòd ſint, adeo humanis animis ſtabilis inhæret, ut nec temporis diuturnitate conuelli
poſsit. Cùm opiniones alioqui fictæ, ac uanæ, diuturnitate temporis aboleantur. Opinionum
enim commenta, delet dies; naturæ autem iudicia, & cauſas ueras confirmat. Quicquid certè fictum,
& commentitium, quoniam nulla ratione ſubnixum eſt, facilè diſſoluitur.

AFFIRMAT ſummus ille naturæ interpres Ariſtoteles principio libri de Cœlo, ſiue de Simplici
corpore, Tex. XXII primi libri, Deum nationes omnes confiteri. Omnes leges (dicebat
Auerroes libro Phyſici auditus octauo, commento LXXX) ponunt Deum habitare in cœlo; ſed ſi
gentes omnes ponunt illum in cœleſtibus locis habitare (quòd eorum legibus ita cautum ſit) cui
dubium, quin eundem etiam exiſtere affirment? cùm unumquodque prius natura eſſe, quàm
alicubi eſſe exiſtimetur? Plato in decimo de Legibus, & Græcos, & barbaros omnes, Deos, cõmuni
conſenſu fateri, aſſeruit. Deosque ibidem non ſolùm eſſe; aduerſus eos, qui Deos nega-
C bant; ſed omnia etiam replere, ex motu cœleſtium corporum, quàm aptiſsimè demõſtrauit. Iamblichus
(quod Picus etiam libro tertio Contra gentes cap. XI ſcriptũ reliquit) hominibus inditã
eſſe, & tanquàm ingenitam unius Dei cognitionem, aſſeruit. Non longè enim à principio libri
» de Myſteriis, ita ille ex interprete ſcriptum reliquit. Ante omnem rationis uſum, ineſt naturali-
» ter inſita Deorum notio; immo tactus quidam diuinitatis melior, quàm notitia; ex quo incita-
» tur naturalis appetitus boni, & ratiocinatio, atq; iudicium. Et paulò poſt. Cognitio diuinorum
» fuit ſemper in anima, per ſimplicem intuitum, uel contactum. Plato in Protagora aſſeruit, Homines
antequàm etiam congregarentur, uel artes aliquas exercerent, uel etiam loquerentur; ſtatim
ab initio, ob naturalem cognitionem, Deum adoraſſe, araſque in eius honorem extruxiſſe;
» & ipſi, tanquàm rerum omnium auctori, ſacra feciſſe. Cicero libro primo de Legibus. De ipſis,
» inquit, hominibus nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiam ſi
» ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat. Hinc Aeliani prodit admiratio;
quando nulla prorſus barbararum gentium εἰς ἀθεότητα ἐξέπεσε, ideſt Deum negauerit. Sed deſinat,
quæſo, admirari Aelianus, ſi (ut multi Platonicorum aſſeruerunt) eſt ita fermè cultus diui
D nus hominibus naturalis; ſicut equis hinnitus, & latratus canibus. Noſtri Theologi inter prima
ferè cognita, Deum eſſe, reponunt. Damaſcenus propterea, quòd item libro primo Contra
gentes Arnobius affirmauit; cognitionem, quòd Deus ſit, omnibus eſſe inſitam aſſeruit. Quam
obrem cap. VIII libri de Diuinis nominibus, B. Dionyſius, ſicut nihil eſſe ignotius, quàm quid
ſit Deus, ita quàm quòd ſit, eſſe notius aſſeruit nihil, Sed ut nunc Theologos noſtros mittamus,
ad Ariſtotelem redeo, qui firmiſsimis ſemper, quantum ſenſu ducente fieri potuit, rationibus,
& libro Phyſicarum auſculationum octauo, mouentem primum; & libro ſecundo Primæ Philoſophiæ,
& Metaphyſicæ, cauſam in omni genere primam; & libro duodecimo eiuſdem; primam
naturam, & cauſam, primam formam, primumq; rerum omnium finem demonſtrauit.
Eſt autem primus mouens, prima forma, primus finis, prima cauſa ipſe Deus benedictus.
Quod in omnibus ſuæ philoſophiæ partibus, ante Ariſtotelem Plato demonſtrauerat: & ante
utrunque, ex Seleuco quidem, uiginti millibus uoluminibus; ex Menetheo autem, uiginti & ſex
millibus, & quingentis & uiginti quinque editis libris, non ſolùm Deos eſſe, ſed cuncta demum,
quæ de Diis, & de primis rerum principiis dici poterant, Mercurium Triſmegiſtum, apud Aegyptios,
exquiſitè demonſtraſſe, Iamblichus copioſiſsimè teſtatus eſt.

Ad rationes pro superiore opinione, & euentuum cunctorum temeritate adductas, respondetur. CAP. VI. E



NVNC ad eas, quæ ab opinionis superius recitatæ assertoribus, adductæ fuerunt rationes, facillimè respōdebimus. Quippe ad rationē primam, quæ ex causarum, in unoquoq; euētu infinitate procedit, dicimus; quòd etsi eiusdē effectus causæ per acidens, in eodem ordine causarum, plurimæ esse posfint, & (mundi æterni tate ad physicorum quorundā opinionē supposita) infinitæ; causæ tamen per se, & essentiales, à quibus causarū ordo ritè semper sumendus est, in suo ordine, finitæ prorsus in unoquoque genere, & certæ ita sunt; ut in infinitum eas producere, sit penitus imposfibile. Vt si, exempli causa, Agamemnonis dixerimus causam fuisse Atreum, Atrei Pelopem, Pelopis Iouem, atque ita in patribus, & auis, atauis, proauisq; deinceps processerimus; causas in uno, eodemque causarum ordine, sine dubitatione, respectu etiam unius, eiusdēq; effectus, & indiuidui, ut Agamemnonis mundi (ut diximus) æternitate sup posita, in infinitum prosequemur. Sed istæ neq; sunt essentiales Agamemnonis causæ, neque essen tiali ordine ad Agamemnonem usque deductæ. Non quidem essentiales causæ sunt; quoniam etsi Agamemnon esse non potuerit, nisi ab Atreo, Atreus similiter, non nisi à Pelope; Pelops tamen Atreum, & Atreus similiter Agamemnonem, ex accidenti, generarunt. Ex accidenti inquam tri fariam. Primò, quia ratio generandi primò conuenit naturæ, secundò supposito. Quamuis enī operatio sit primò suppositi (ut in prooemio Metaphysicæ optimè dicebat Aristoteles) ratio tamen operandi primò conuenit naturæ. Secundò, quoniam generatio, etsi non fuerit impedita; potuit tamen impediri. Tertiò, quoniam etsi generatio impedita non fuerit, & quia impedita nō fuit, Atreus, uel Agamemnon de necessitate natus uideatur: accidit tamen huic genito, ut fuerit post hunc generantem. Poterat enim non esse. Quamobrem libello de Substantia orbis cap. II di cebat Auerroes, Cœlum per se à suo motore generari; quoniam non potest impediri. Igitur à Pelope Atreus, & ab Atreo Agamemnon non dicentur fuisse per se geniti; quòd eorum generationes impediri potuerint. Et libro octauo Physicarū auscult. comm. XLVII dicebat; Quādo Sortes generat Platonem, & Plato Ciceronem; tunc Plato non generat Ciceronem propter generationem eius ex Sorte, sed propter uoluntatem eius; quia scilicet proiicere uoluit semen in illam fœminam. Sortem enim generare Ciceronem, est per accidens. Hæc ille. Non sunt igitur, ut ostensum est, Iupiter, Pelops, Atreus, Agamamnonis essentiales causæ. Sed neque sunt similiter essen tiali, ordine, ad Agamemnonem usque, illæ causæ deductæ. Quòd ordo essentialis (ut cunctis phi losophantibus notissimum est) inter causas eiusdem speciei, & naturæ, & effectui non essentiales, sed accidentarias, esse non possit. Auerroes propterea libro quinto Physicarum ausculatio num, commentario XIII rectè dicebat, Hominem generari ab homine in infinitum; esse uerum per accidens, non per se. Sed Agamemnonis, in ratione efficientium causarum, essentiales causæ erunt, uerbi gratia, Atreus; quoniam sicut effectus ullus esse non potest, nisi proxima aliqua causa ad causandum accedat; ita Agamemnon esse non potuit, nisi ab Atreo: Sol, idest cuncta suo ordine corpora cœlestia: Item mouentes illæ separatæ superiores substantiæ; & tandem Deus benedictus. A quo, sicut causarum omnium essentialis ordo procedit, & emanat; ita in illum ip semet relabitur, terminatur, & finitur; ut progredi ulterius nequeat. Exempla igitur tam à geo metrica diuisione, quàm ab arithmetica additione desumpta, constat esse admodum dissimilia, ut huic opinioni, & causarum per se ad effectum requisitarum infinitati faueant nihil. quòd quo cunque modo in essentialibus causis progrediaris, non in infinitum proficisceris, cum tandem in Deum gloriosum uenire, & in eodem consistere cogaris. Sed ad priorem rationem hucusque. H

AD rationem posteriorem, inferius libris quarto, & quinto, in quibus de Diuina prouidentia erit nobis sermo, fusius dicturi sumus. Nunc illud tantùm dicimus, omnia temerè euenire, ex illa ratione, minimè consequi; sed aliqua tantùm, quod nos minimè negamus. Verum est tamen, illa, quæ nobis cœco, ac temerario casu, euenire uidentur; si in diuinam prouidentiam referantur; suo ordine ita disponi singula, ut temeritati locus non relinquatur. Sed de his postea uberius. Hanc igitur opinionem, quæ casum, in euentibus cunctis, & temeritatem defendit, uelu ti uanam, & absurdam, rationiq; ac naturæ, & rerum omnium ordini aduersantem, communī quoque omnium penè mortalium sententiæ repugnantem, imbecillis præterea fundamentis, & rationibus; absurdis subnixam, & fultam, mittamus; alteriusq; idest aduersantis opinionis, quæ cuncta ineuitabili necessitate, euenire, persuadere contendit, rationes solidiores, explica re incipiamus.

Ponitur

A Ponitur secundum caput; & est opinio illorum, qui omnia Fato, hoc est, ineuitabili necessitate fieri autumant; & ratione Diodori primùm, deinde sequenti capite Chrysippi, opinio ipsa comprobatur. Cap. VII.



LTERA est recitatæ prius, & breuiter refutatæ sententiæ aduersa; &, ut dictum fuit, ex diametro repugnans opinio; quæ nihil cœco casu, nihil temerè, aut fortuito; sed omnia necessitate quadam absolutè & simpliciter ineuitabili, & fieri, & euenire asserebat. Quam ineuitabilem necessitatem, Deorum prouidentiam aliqui, alii fatum, alii causarum complicationem, alii Mundi nexum, nõ nulli uulgato nomine ἀνάγκην, idest necessitatem, alii aliis modis appellauerunt. Verùm cùm uariæ sint, siue de Fato, siue de fatalis, idest ineuitabilis necessitatis causa, opiniones; reliquis nunc omissis (fusius enim aliquanto in libro tertio, in quo de Fato præcipuè agemus, istas inferius perscrutabimur) Stoicorum opinionem, quoniam ii de Fato, & de cunctarum rerum ineuitabili necessitate, fuerunt magis cum ratione loquuti; propiusq; ad illam persuadendam accessisse uisi sunt; quam ex diuina prouidentia, & ex rerum cunctarũ, B apud Deum, præcognitione proficisci, atque præordinatione, quæ falli nequaquam potest, opinati fuerunt; unde certam quandam, & ineuitabilem, quam sibi effinxerunt, causarum omnium cõnexionem, ab æternitate progredientem, & determinatam earum pro uniuscuiusque euentus generatione, distributionem, & mutuam earundem complicationem, & seriem, quam similiter tum prouidentiam, tum Fatum, idest, εἱμαρμένην, tum ἀνάγκην, eorum quidam appellauerunt, prouenire crediderunt: profectò cum propter diuinam prouidentiam, tum propter causarum nexũ & seriem, cuncta Fato, & necessitate ineuitabili fieri Stoici asseruerunt; horum, inquam, opinionem, & sententiam nunc aliquot rationibus, ut, & quantum ista opinio firmitudinis habeat, cognosci posit; & in illis dissoluendis ueritas ipsa tandem magis elucescat, comprobabimus. Primùm igitur ex Diodoro Zenonis iunioris præceptore, ita mihi arguendum uidetur. Dixi, quòd ita mihi arguendum uidetur; quoniam non me interea præterit, Alexandrum Aphrodisieum semel, atque iterũ & in libro de Fato, & in libro primo Quæstionũ naturalium cap. IIII, ex perpetua illa causarum serie, Diodori, & si nomen semper non expresserit, rationem secus, quàm nos fecerimus, ita protulisse, ac conformasse. Ea quæ ex certo & præstituto ordine causarum fiunt. Fato & ineuitabili necessitate eueniunt; sed cuncta certo præstitutoq; causarum ordine fiunt; cun-C cta ergo Fato atque ineuitabili necessitate eueniunt; illa etiam, quæ alioqui à Peripateticis & ab omnibus ferè hominum generibus uulgò possibilia nuncupantur; & quæ, ut euenire, ita non euenire posse, existimantur. Ea nanque secundum Diodori & Stoicorum decreta, possbilia tantùm sunt, quæ non sunt prohibita fieri. At ea, quæ fieri prohibita non sunt, per certum denique, & præstitutum causarum ordinem fiunt; sed quæ per certum causarum & præstitutum ordinem fiunt, fato & necessitate minimè euitabili fiunt: igitur illa, quæ possibilia dicuntur, & fieri possibiliter existimantur, fato & ineuitabili necessitate fiunt. Vnde sequitur, ut illud, quod possibilis nomen adeptum fuerit, uel nunc existat, uel aliquando ut existat, prorsus futurum sit; ita, ut id, quod neque nunc est, neque aliquando futurum est, possibilis nomen ex Stoicorum sententia sortiri minimè posit; sed tantùm inter impossibilia censeatur. Tollitur igitur ex Stoicorum decreto, possibilis, & contingentis natura: quod distinctius per duos prosyllogismos idem Alexander deduxit. Vnus est, Ea, de quibus, quispiam uerè dixerit non fore, ex necessitate non erunt. ponas enim fore, non uerè ille non fore dixerat. At de illis omnibus, quæ extra fatum sunt, id est, quæ, ut fiant, fatata, ita dixerim, non sunt; uerè non fore, quispiam dixerit. Quæ igitur, ut sint, fato destinata non sunt, ex necessitate non erunt. Alter, Ea, de quibus, uerè quispiam dixe-D rit fore, fato, & ex necessitate erunt; sed de illis omnibus, quæ eueniunt, quis fore ea uerè prius dixerit. Cuncta igitur fato, & ineuitabili necessitate eueniunt, temere autem, siue contingenter nihil. Hæc in uniuersum est ratio Diodori, breuissimis à nobis ex Alexandro repetita. Sed nos pluribus omissis, facilius, simpliciusq;, quàm ille fecerit, ex prosyllogismis tantùm ita rationem conformemus. Duarum inter se aduersantium, contradicentiumq; propositionum, unam ueram, alteram falsam esse, prorsus necessarium est. Constat hoc esse uerissimum, non solùm quia ea sit oppositionis contradictoriæ natura, ut illius semper unum extremum uerum sit, alterum falsum; sed etiam, quoniam ex Stoicorum decreto certa causarum series ad extremi unius euentum tendit, non alterius; & ita tendit, ut non posit in illud non tendere, & extremum illud ex ea, non euenire, non queat: alterum autem contrà ab eadem euenire ualeat nequaquam. Harum ergo propositionum Socrates cras est de diuina, uerbi causa, prouidentia disputaturus. Socrates cras non est de diuina prouidentia disputaturus; una prorsus uera (pugnãt enim hæ in uicem) altera omnino falsa censenda erit. Illa igitur, quæ uera est, cuius scilicet ueritatem euentus olim rei probabit; etiam antequam id, quod per eam enunciatur, eueniat, est uera; quoniam præteritis

teritis temporibus semper fuit uera. Si uera est, igitur, quod per eam enunciatur, non euenire E
non potest. Argumentum eo probatur; quoniam ex opposito consequentis, antecedentis oppo
situm de necessitate sequitur. Nam si id, quod enunciat, non euenerit, propositio non erat uera;
sed falsa: sed ueram esse ponebamus, cuius ueritatem, rei euentus erat probaturus. Sed illa rursus
duntaxat, quæ uera est propositio, est possibilis, quoniam quæ falsa est, impossibilis est. Nam si
cut illa, quæ uera est, ideo est uera, quoniam ad positam causarum seriem, non sequi non potest
euentus, quem enunciat: ita ista, quæ falsa est, ideo est falsa; quoniam ad eam, quæ ponitur,
causarum seriem, sequi nequaquam potest euentus, quem illa prænunciat. Igitur sicut illa (quia
ex posita à diuina prouidentia causarum complicatione euentus futurus est) non esse uera non
potest: ita ista, quia euentus, quem prænunciat, non est futurus, contrà esse uera non potest. Est
igitur impossibilis. Enuntiatio certè, quæ neque uera est, neque uera esse potest, impossibilis est.
Si est impossibilis, sequitur ut id, quod per eam enunciatur, per alicuius potentiam fieri, ut fit,
poterit nunquam. Fit igitur, ut illa tantùm propositio, quæ uera est, sit etiam possibilis, cùm il-
la, quæ falsa est, impossibilis sit. Quòd si illa tantùm est possibilis, quæ uera est; ad eam autem,
ut ex iis patuit, quæ ante deducta fuerunt, euentus non sequi non potest. Si enim non sequeretur,
non esset uera. quod autem non sequi non potest, sequitur ex necessitate; quoniam impossibile F
est non sequi, igitur sequi necessum est. Consequens ergo est, ut quicquid, secundum Diodori de-
creta, possibile est, ex necessitate, uel iam actu sit, uel saltē futurum sit. At non euenit, quod nō est
possibile euenire. Illud igitur omne, quod euenit, ineuitabili necessitate euenire omnino cōsequi-
tur. Nullæ res ergo erunt, quæ temerè, & cæco casu, uel contingenter fiant; sed quæcunque eue-
nient, uel etiam possibiles sunt euenire, ineuitabili necessitate cunctas euenire, dicemus. Exē-
plum est apud Ciceronem libro de Fato, propositio illa, Morietur noctu in cubiculo suo Scipio
ui oppressus. De hac enunciatione, inquit ille, quod uerè diceretur; quoniam id fore diceretur,
quod (supple tu ex serie causarum posita) futurum erat. futurum autem fuisse, ex eo, quia factū
est, intelligi debet. Semper enim fuit uerum dicere, quòd noctu in cubiculo suo, ui fuerat Scipio
opprimendus. fuit ergo ita uera illa propositio, ut secundum illam non sequi non potuerit euen-
tus; quoniam si potuerit non sequi, ponatur non sequutus. propositio igitur non uera, sed falsa
fuerat. Contrà, plenissima falsitatis est ista, nec non esse falsa non potest. Non morietur noctu
in cubiculo suo Scipio ui oppressus, cuius falsitas ex rei euentu conuincitur; quoniam quod per
eam enunciatur, ita impeditur fieri, ut poni in esse, & fieri sit impossibile. Quamobrem
ad Varronem libro nono Familiarium, Cicero ita scribit, περὶ δυνατῶν me scito, κατὰ Διόδωρον κρί- G
νειν. Quapropter si uenturus es, scito, necesse esse te uenire; si autem non, τῶν ἀδυνάτων est te ue-
nire. Sectione item secunda libri cui titulus περὶ ἑρμηνείας, siue de interpretatione, sumpto rei
euentu huiusmodi, qui in nostra uideretur esse potestate, pro Stoicorum opinione, & ineuitabili
euentuum cunctorum necessitate, & Magentinus Mytilenæus, & Ammonius Alexandreus no-
bilissimi Philosophi, & Aristotelis interpretes præstantissimi, syllogismo hypothetico disiunctiuo
contradictoriis partibus constante, sic arguebant. Cras aut metes, aut non metes. Necesse est e-
nim alterum. Si cras metes, non forsitan metes, forsitan non metes; sed omnino metes. Eodem
modo si cras non metes, non forsitan non metes, forsitan metes; sed omnino non metes. Quodcun
que igitur euenerit (alterum enim omnino euenturum est) ex necessitate, & ineuitabiliter, quo-
niā forsitan ablatū fuit, prorsus euenisse putandum erit. Sed ad eundem modum de re quacunque,
& de quocunque euentu facillimè syllogismus confici poterit. Cuncta igitur ineuitabili necessita
te eueniunt. Est rursus (ut decreta Astrologorum cum Stoicorum dogmatibus coniungamus)
apud Ciceronem exemplum alterum, ex Astrologorum præceptis desumptum, per hypotheti-
cum conditionalem syllogismum deductum; in quo, ex uno posito colligitur alterum, quod uer
bis ipsiusmet Ciceronis producemus. Sunt, inquit ille, Astrologorum præcepta huiusmodi. Si H
quis uerbi causa, oriente canicula natus est, is in mari non morietur. Tunc sic arguitur, Si uerum "
est id, quod ita connectitur, Si quis oriente canicula natus est, in mari non morietur: illud quoque "
uerum est, Si Fabius oriente canicula natus est, Fabius in mari non morietur. Pugnant ergo hæc "
inter se, oriente canicula Fabium natum esse, & in mari illum moriturum. Et quoniam certum in "
Fabio ponitur, ortum esse eum, canicula oriente; hæc quoque pugnant, Et esse Fabium, & in ma "
ri moriturum. Ergo hæc quoq; coniunctio est ex repugnantibus. Et est Fabius, & in mari Fabius "
morietur. Quod, ut propositum est, ne fieri quidem potest. Ergo illud, Morietur in mari Fa- "
bius, ex eo genere est, quod fieri non potest. Hactenus Cicero. Eodem modo de re quacunque & "
de quocunque euentu, tam ex Astrologorum, quàm ex Stoicorum præceptis, sine ulla difficul-
tate syllogismus confici facillimè poterit. Vt quemadmodum illud (sicuti prius ex Stoicis dice-
bamus) quod ex certa causarum serie euenit, non potest non euenire: ita id, quod certa quapiā
siderum constitutione euenerit, hoc uel illo modo non euenisse, aut hoc uel illud non egisse,
uel non passum fuisse, non potuerit. At singula ex certa causarum serie, & sub certa, & determi

nata

A nata quadam ſyderum conſtitutione, & configuratione eueniunt. Igitur de rebus cunctis certus quidam euentus eſt, & certa quædam enunciatio uera, cuius oppoſita eſt falſa, & uera (ut deductum fuit) neceſſaria eſt, falſa uerò impoſsibilis: quod ſicut iſta non poteſt fieri, ita illa non fieri non poteſt. Omne igitur, quod falsò fore dicitur, id fieri non poterit. Contrà quod uerè, non poterit id non fieri. Eueniunt igitur, quæcunque eueniunt, ineuitabili neceſsitate. Sed de Diodori ratione hactenus.

Altera ratio, quæ eſt Chryſippi, ad eandem opinionem. Cap. VIII.



SECVNDO illo Chryſippi Tarſenſis Cleantis diſcipuli argumento; cuius & libro primo Quæſt. natural. cap. IIII, Alexander Aphrodiſ. & libro de Fato Cicero meminerunt; Stoicorum fulcitur opinio. Argumentum autem eſt, Quod cauſa antecedente fit, id ineuitabili omnino neceſsitate fit. Ponas, ſi poteſt nõ fieri, quòd non fiat; non habuit igitur antecedentem cauſam: at ſupponebatur habuiſſe. nihil autem ſine antegreſſa cauſa ſua fieri poteſt. alioquin ſequeretur, B quòd Mundus diuelli, & non idem ſemper permanere poſſet. quoniam non eodem ordine, neque una, & eadem ratione, & adminiſtratione eum gubernari, diſponi, & adminiſtrari eſſet poſsibile. Sequeretur præterea (inquit Chryſippus) poſſe eſſe motum ſine cauſa. ad hoc autem (inquit ille) non omnem enunciationem aut ueram, aut falſam fore, conſequitur. Quod enim (inquit Chryſippus) cauſas efficientes non habebit, id nec uerum, nec falſum eſſe poterit. Hæc autem, quæ ſequuntur, cuncta abſurda, & impoſsibilia, periti Philoſophi omnes cenſent. Omnino ergo quod euenit, quoniam ex propria antecedente euenit cauſa, non poteſt non euenire. Fit ergo nihil, quod neceſſarium non ſit fieri. Igitur quæcunque eueniunt, ineuitabili neceſsitate eueniunt.

Tertia omnium, pro Stoicorum, & eorum, qui in euentibus uniuerſis, ineuitabilem neceſsitatem tueri conantur, opinione, fortiſſima ratio ponitur, quæ ex diuina rerum cunctarum præcognitione procedit; & multis Phyſicorum argumentis, ipſius rationis aſſumptum, hoc eſt, quòd Deus omnia præcognoſcat, probatur. Cap. IX.

C



TERTIO ad ſuam confirmandam ſententiam firmiſsima, ac omnium, quæ pro opinione adduci poterant, ualidiſsima, & Stoici, & aliorum plurimi, qui in cunctis euentibus, ineuitabilem neceſsitatem eſſe affirmant, eamq; defendere conantur, utuntur ratione ea, quæ non Philoſophis cunctis ſolùm, illis inquã, qui & contingentiam, & temeritatem tuentur, ſed plurimis etiam noſtris Theologis doctis, ſimul ac ſanctis uiris uim, difficultatemq; aliquam ſemper uiſa eſt attuliſſe. Duas enim, quæ maximè urgere uidentur rationes, Stoici ad ineuitabilem rerum cunctarum neceſsitatem ſuadendam, protulerunt: quarum unam, ex æterna quadam cauſarum cõplicatione, alteram ex diuina infallibili præcognitione, deſumpſere. Priorem inferius tertio libro, in quo de Fato præcipuè agemus, conformabimus: poſteriorem nunc allaturi ſumus. quæ quidem ratio, eſt argumentum hypotheticum conditionale prioris ſpeciei, ab aſſertione uidelicet antecedentis, ad aſſertionem conſequentis, ex diuina rerum cunctarum præ-
D cognitione procedens. Si Deus, certa & infallibili cognitione, id, quod futurum eſt, prænouit; illud non euenire non poterit. Sed eſt primum, ergo ſecundum. connexio clariſsima eſſe uidetur. Nec fallere ſanè, nec falli poteſt Deus benedictus. At ſi id quod ille futurum præcognouit, non eueniret (cum enim per te contingenter, uel etiam temerè eueniat; poterit & euenire, & non euenire) falleretur ſine dubio. Rationem iſtam per multa connexa, deduxiſſe ita uidetur Cicero. Si præſcita ſunt futura omnia, hoc ordine ſingula euenient, quo uentura eſſe, præſcita ſunt. Et ſi hoc ordine uenient; certus eſt ordo rerum præſcienti Deo. Si certus eſt ordo rerum; certus eſt ordo cauſarum. (Non enim aliquid fieri poteſt, cuius non aliqua efficiens cauſa præceſſerit) Si autem certus eſt ordo cauſarum, quo fit omne quod fit; conſequens eſt, ut Fato, hoc eſt ineuitabili neceſsitate, fiant omnia, quæ fiunt. Ex qua ratione apud Ciceronem poſtea colligebatur, nihil in noſtra poteſtate eſſe, Sed mox hoc, quod ſequutum, & ex multis præmiſsis collectum fuerat, hoc eſt, in poteſtate noſtra eſſe nihil negauit Cicero, quod aliquid in noſtra ſitum eſſe poteſtate, ille experiri uideretur. Quamobrem diuinam potius præſcientiam, de qua dubitabatur, quàm humanam libertatem, quam certò nouerat, euerti, auferriq; paſſus eſt. Sequitur igitur, ut ſi nos illud admiſerimus, quod non admiſit Cicero, uidelicet quòd Deus omnia

nia præsciat; admittendum etiam illud à nobis sit, quod idem negauit, ut omnia Fato, & ineuitabili necessitate eueniant. Est autem, ut paulò ante dicebamus, admittendum, primum; ergo & secundum. Cuncta igitur ineuitabili necessitate eueniunt, quæ eueniunt. Multis rationibus assumptum ipsum, idest, quòd Deus omnia præsciat (Vnde & connexionis uim, & consequentis ueritatem, & ineuitabilem in rebus cunctis necessitatem Stoici demonstrasse crediderunt) ex Philosophantium disciplinis, quamplurimis mediis probari potest. nos paucissimis, pariterq; ad soluendum Philosophis illis; qui secus opinantur, & in plurimis euentibus contingentiam, & temeritatem defendunt (inter quos Peripatetici potissimùm connumerandi sunt) difficillimis, rem, quàm breuissimè fieri poterit, aggrediemur. Probatur itaque assumptum per deductionem ad incommodum. Primò, Quoniam si Deus futuros euentus certa, & distincta, atque infallibili cognitione, non cognosceret; duorum alterum sequi necessarium uideretur; aut quòd illorum cognitionem tanquam ignauus, ac segnis, Deus ipse negligeret: aut si non, quòd etiam si in illorum intelligentiam niteretur, eam tamen tanquã impotens, assequi Deus non posset. Vtrunque absurdissimum est. Primum sanè, tum quoniam ab omni materiæ contagio separata forma, purissima, & simplicissima, quæ sui muneris sunt, negligere nequaquam potest. Tum etiam, quoniam (ad Aristotelis præsertim doctrinam loquendo) quæ illi adesse possunt; statim adsunt: ut negligere, quod sua intersit, quicquam non possit. Adde, quòd ignauia, & torpor ex caussis, ut inferius fusius patebit, ortum ducunt; quæ in Deo nec sunt, nec esse possunt. Secundum autem, idest quòd impotentem, ut deductum fuerat, & uilem Deum esse sequeretur; patet, dicente Auerroe lib. primo Physicarum auscultationum, com. xxxix: Agens qui nititur, quod perficere non potest, uilis dicitur. Adde incommodum tertium, quod ex prius dictis consequitur, quoniam humanæ cognitioni, diuina non anteponeretur cognitio. At quemadmodum eximiæ dementiæ est; cognitioni brutorum, humanam non præferre cognitionem; ita summæ profectò est impudentiæ, non plus diuinæ, quàm humanæ tribuere cognitioni. Nos autem de rebus singulis, non præsentibus tantùm, aut præteritis, sed futuris etiam, confusaneam (quod spes & timor latissimè testantur) & indistinctam quandam cognitionem sæpenumero habemus: relinquitur ergo, ut certam omnino de eisdem omnibus, & claram diuinus intellectus notitiam semper habere censeatur. Quamobrem lib. tertio Metaph. contra Emped. tanquam graue absurdum, litem Deos ignorare, Aristoteles deduxit.

E F » »

Iterum probatur assumptum, eò quòd prima rerum omnium causa Deus sit. CAP. X.

G



SECVNDO idemmet assumptum, Deum uidelicet cuncta etiam antequàm ueniant, præcognoscere, probatur. Deus citra dubium ex communi illorum omnium, qui Deum esse confitentur, sententia, & sapientissimus est, & prima, supremaq; rerum omnium causa: Ergo & res omnes producit, & certa, ac infallibili easdem cognitione cognoscit. Assumptum quo ad priorem partem, per quam asseritur, Deum esse sapientissimum; quòd ab omnibus ultro admittatur; sine probatione aliqua dimittimus: quo autem ad posteriorem tantùm, qua dicitur, quòd Deus sit rerum cunctarum causa prima; paucissimis demonstramus. Sententia est Aristotelis in plerisque philosophiæ locis. Libro etenim duodecimo Diuinæ philosophiæ, parte octaua supra trigesimam, Deus (inquit) est tale bonum, à quo dependet cœlum, & tota natura. dependet autem à Deo cœlum, & tota natura, idest & orbis ipse, & ea, quæ orbe uniuerso continentur, cuncta, in genere etiam causæ efficientis. Si dicas, quòd non in genere causæ efficientis; sed uel finalis tantùm, uel ad summum in duplici genere causæ, finalis, scilicet & formalis; à Deo Opt. Max. uniuersa dependeant: Dicemus, proposito nostro illud officere nihil. cum satis sit, ad assumptum ostendendũ; quòd sit prima rerum omnium causa: sit autem, in quo uolueris causarum genere, prima. Adde quòd tueri commodè possumus; illum esse in genere etiam efficientium causarum, primam rerum omnium causam. Auerroes nanque libello de Substan. orbis, cap. II, inquit, Finis significat agens significatione necessaria. quod quidem dictum uerum nequaquam esse posset, nisi omne, quod finis est, esset etiam aliquo modo efficiens. Huic sententiæ subscripserunt & Io. Scotus in primo, dist. VIII. quæst. IIII. Et D. Thomas lib. quinto Metaph. lect. II. etiam si primam causam orbem primum effectiuè minimè mouere, hi præstantissimi uiri, ad Aristotelis doctrinam, fuerint arbitrati. Quinimmo Alexander Aphrod. ante Auerroem libro primo Metaph. sua expositione XXI (si tamen illa expositio sit Alexandri, quæ Alexandri titulo latina circunfertur) & ipse Aristoteles ante Alexandrum, tum libro tertio Metaph. tex. III, tum libro secundo de Generatione animalium, cap. IIII, ubi habet, quòd pars illa, quæ est finis, & prima, & potissima est illa; in qua principium motus continetur, finem mouere,

« « H «

uere,

A uere, atque efficere, docuerunt. Sed uerum nequaquam istud esset; nec tot, ac tantos stipulatores haberet; si qui primum esset finis, qui efficiens non esset, aut efficiendi rationem nullam subiret. At redeo unde discesseram. In procemio rursus eiusdem partis philosophiæ, & Metaphysicæ, Deus (inquit Aristoteles) est principium, & causa omnium. Et paulò post, Sapientis, ait, est ordinare. At diximus, & omnium consensu supposuimus; Deum esse sapientissimum: eius erit igitur ordinare omnia. In libro etiam de Mundo (si liber est Aristotelis, quod asseruerunt Bessarion, Iustinus philosophus, & martyr, Dominus Ioannes, & Dominus Ioannes Franciscus utrique Pici Mirandulani: negãt uerò tum alii multi, tum inter recentiores Alcyonius, & Pet. Victorius) qui scriptus est ad Alexandrum, ita ex interprete inquit, Mundus uniuersorum est ordo, & exornatio, à Deo, & per Deum, custodita. Theophrastus in principio suæ Metaphysicæ, Diuinũ, ait, principium est, per quod, & sunt, & permanent uniuersa. Plotinus. ἐξ ἑνὸς νοῦ, καὶ τοῦ ἀπ' αὐτοῦ λόγου, ἀνέστη τὸ δὲ τὸ πᾶν καὶ διέστη; idest, Ex una mente, & ex eo, quod ab illa est, uerbo, constitutum, atque dispositum est uniuersum. Iamblichus cap. XXVII libri de Mysteriis. Deus (ex interprete, inquit) est omnia; potest omnia; implet omnia semetipso. Et Trismegistus in Pimandro. In Deo, ait, & à Deo omnia. Et ad finem, eiusdem libelli. Nisi enim (inquit idem)
B faciat omnia; aut superbus est, aut potius imbecillis; quorum utrunque nefarium. Et in Asclepio, finem uersus. Sine Deo, inquit, nec fuit aliquid, nec est, nec erit. Omnia enim ab eo, & in ipso, & per ipsum. Patet igitur, ex omnium ferè rectè philosophantium consensu; Deum esse rerum uniuersarum causam primam, non solùm, inquam, causam finalem primam; sed etiam effectricem primam. Et hæc de ueritate assumpti.

SEQVELA, quo ad priorem quidem partem, idest, quod Deus res uniuersas producat, tum per ea, quæ nuper diximus, tum per ea, quæ dici possunt, fermè infinita (sed ex multis pauca nunc nunc dicemus) demonstrari quàm facillimè poterit. Auerroes in Destruct. disput. IX, dubio II, Si in creaturis, inquit, aliqua esset quantitas, uel qualitas, ab illa diuina sapientia non producta; sequeretur, nos attribuere creatori, seu primo efficienti, id, quod non deberet attribui alicui uilissimo artifici materiali. Et disput. X, dub. III, Patet (inquit) quòd oportet, quòd Mundus habeat unum efficiens sagacissimum, & sapientissimum; à quo entia seriatim ministrentur. Et prius disput. III, dub. II, Deus, dixerat, est agens, & efficiens dictas causas, protrahensq; totum de priuatione ad actum. Prima item propositio lib. de Causis (cuius cuius sit liber ille) affirmat, quòd prima causa plus influat in effectum quemlibet, quàm quæuis causa secun-
C da. Huic sententiæ subscribunt & Plato in Timæo; ubi asseruit ipsum bonum, esse omnium causam, magis, quam sequentes causas. est autem secundum Platonem, prima rerum omnium causa, bonum ipsum. Et Aristoteles in libro octauo Physicarum auscultationum, parte XXXVIII. Vbi quod mouetur (inquit) mouetur à superiori, & maximè à primo mouente. Et tex. item XLI, libri eiusdem, qui aliàs de motu etiam ab Aristotele inscriptus est, inquit. Quod enim prius est, magis est causa mouendi, quàm sequens, & mouebit magis. Sed quo ad sequelæ priorem partem, hactenus. Quo uerò ad posteriorẽ, i. quòd res cunctas infallibili Deus cognitione intelligat (quod à principio probare intendebamus) ex iis, quæ ad priorem partẽ dicta sunt; manifesta, atq; euidens illa derelinquitur. Cum enim Deus Opt. Max. prima, ut ostendimus, rerum omnium sit causa; plusque, ut nuper diximus, in quẽlibet effectũ, quàm quæuis alia causa, & possit, & efficiat; idemq; citra controuersiam, sapientissimus, immo ipsissima sapientia sit: qui fieri poterit, ut effectus suos, & ea, quæ ab ipso proueniunt, illum ignorare dicamus? Sed ponamus ignorare: cõstituenda igitur erit aliqua superior causa, quæ & cuncta præcognoscat, & Deum in suis effectibus dirigat; ne scilicet ignarus erret, atque labascat: & ne effectus eius ab Orbis uniuersi ordine pro-
D labantur. Sed quæ dementia? quod monstrum esset, ista uel somniare? Non est igitur dicendum, Deum isthæc ignorare. Quòd si ista Deum ignorare affirmandum non est; certa, & infallibili prorsus cognitione eadem illum cognoscere, negandum non erit. Per regulam rursus summulistarum, idem argumentum compendiosius ostendi poterat; quòd oppositum consequentis, antecedenti quàm euidentissimè repugnet. Non enim potest Deus sapientissimus esse; & illa ignorare, quæ idem ipse efficiat (cum præsertim efficiat cuncta) & quorum non solùm sit aliquo modo causa, sed causa potissima, & prima.

Idem assumptum probatur, quoniam successiuum in permanens reduci debet. CAP. XI.


ERTIO` assumptum ipsum principalis rationis denuo sic demonstratur. Omnis successio, & omnis transmutatio ad aliquod unum, quod permanens, & intransmutabile sit, omnium legitimè philosophantium communi consensu, reducenda est; non secus quàm multitudo quælibet ad aliquam unitatem. Propositio uidetur ab Arist. sæpe recepta; lib. præsertim Physicarum auscultationum octauo; ubi omnem, quæ in physicis corporibus reperitur, motuum diuersitatem, & multitudinem, ad motum quendam minimè uarium, sed uniformem, & unum ille reduxit. Huius quoque uniformis motus transmutationem, ad mouentem quempiam, qui omnino permanens sit, & immobilis, & intransmutabilis, eum reduxisse, manifestũ est. Plato itidem in Repub., & in Philebo, sensibiles multitudines, ad intelligibiles redigit unitates, idest ideas: deinde unitates intelligibiles, ad ipsum simpliciter unum, quod Deus est. Astrologi item cuncti omnem motus, quam, per artis suæ instrumenta, in cœlestibus corporibus inueniunt, diuersitatem, quam irregularitatem appellant, ad aliquam statim cuiuspiam alterius motus regulam, atque uniformitatem reducunt. A` pari igitur, omnem temporis successionem, & transmutationem, ad quodpiam, quod sine successione, & sine transmutatione sit; sed constans, & firmum perseueret, reducendum esse, censendum est. Istud autem firmum, & permanens ad quod temporis successio est reducenda, uel secundum nostros Theologos æternitatem, uel secundum Philosophos (ut lib. primo de Cœlo tex. c. magis placuit Aristoteli) æuum appellabimus. Ea ergo omnia, quæ tribus temporibus, præsenti, præterito, & futuro continentur; ac eisdem ueluti ambiuntur, & mensurantur, unica, constantissimaq; æternitate, siue unico, permanentissimoq; æuo contineri, mensurari, ac definiri, censendum est. Aeuum autem, & æternitas, cum (ut diximus) sine successione aliqua, permanentia, constantiaq; perpetuò sint; non nisi instans unum esse possunt. Et illud, non fluxione percurrens, sed stabile, fixumq; perseuerans; præsens semper, & ubique totum persistens. Et quamuis æternitate Deum solum nostri (si fas est dicere) metiantur Theologi; æuo tamen non Deum tantùm, sed supremos etiam intellectus, separatasq; à materia naturas omnes, quinimmo has quoque caducas, loco citato, & fragiles substantias (ea uidelicet ratione, qua substantiæ sunt) metiri opinatus est Aristoteles. At tribus temporibus ea etiam, quæ in futurum euentura sunt, omnia circum ambiri, circumamplectiq; certum est. Aeuum ergo, & æternitas rei cuiusque etiam futuræ euentus tempora circumambiunt, & complectuntur. Quemadmodum igitur cognitrix illa potentia, & uirtus, quæ tempore mensuratur, tribus illis temporibus, de futuris etiam contingenter, & temerè euentibus, determinatam, atque certam potest, pro ratione naturæ suæ habere notitiam; ita uis illa, cuius actio tempore non metitur, sed æuo, uel æternitate, qualis est diuina; omnia eodem instanti præsentia, præterita, & futura determinare, infallibiliterq; cognoscere; nullum erit impossibile. Hæc præterea fuit clara lib. decimo de Legibus diuini Platonis sententia. Dicebat Ammonius, eandem lib. duodecimo Diuinæ philosophiæ fuisse Aristotelis opinionem. Fuit ante hos clarissima Parmenidis opinio ab ipsomet carminibus decantata. Deum uidelicet gloriosum omnis transmutationis tam spiritualis, quàm realis expertem, omnia non solùm præsentia, & præterita, sed etiam futura certò cognoscere; non ea quidem ut præterita, uel ut futura, quòd non sit apud Deum fuit, uel erit; cum tempori non subdatur diuina cognitio, sed ut præsentia dumtaxat, non in instanti temporis, sed in instanti æternitatis. E F G

Idem assumptum probatur ex cõparatione diuini intellectus ad Solem. CAP. XII.


VARTO` ad idem assumptum astruendum, in hunc modum, ex similitudine diuini intellectus ad Solem, arguitur. Intellectui diuino nihil obstat, quo minus cunctos cuiuscunque generis futuros euentus certè, & determinatè intelligere, ac præcognoscere ualeat; eos igitur omnes, (etiam si aliqui contingenter, fortuitò, temerè, & cæco casu futuri sunt) certè, & determinatè Deus intelligit, ac præcognoscit. Deductio ostenditur tum auctoritate, tum ratione. Auctoritas est Aristotelis, portione XXXII, lib. tertii Physicarum auscultationum; quem librum de Principiis idem nonnunquam appellauit. Et portione XVII lib. noni Primæ philosophiæ; in quibus locis scriptum ille reliquit, "In iis, quæ à materia seiuncta sunt, & æterna, non differt posse, ab esse." Ratione præterea, sequela ipsa probatur. Intellectus toto posse, quantum ad se attinet, totaq; ui sua (nisi quid obstet) in proprium obiectum, idest, in rem per ipsum cognoscibilem, qua uidelicet cognoscibilis est, fertur. Sed res cunctæ, non præsentes tantùm, aut præteritæ; sed futuræ etiam, ab intellectu diuino, cognoscibiles sunt. probatur. Sunt enim res omnes à nobis, & ab humano intellectu, intelligibiles. quanto igitur magis ab intellectu omnium perfectissimo, & diuino? Libro nanque tertio commentariorum de Anima H

A nia, Aristoteles semel atque iterum, & Auicenna primo capite secundi lib. Metaphysicæ, uisi sunt dicere, quòd entia omnia possunt à nobis intelligi; & quod intellectus noster agens, est omnia facere: intellectus uerò possibilis, est omnia fieri; & breuiter quòd intellectus noster est totius entis, quod inter alia diuinæ Aristotelis philosophiæ, & libri τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ scopus, qui est de Ente, qua ens est (de quo libellum edidimus, quem S. R. E. Raynutii Farnesii ampliss. Card. immortalitati dicauimus) latissimè intelligenti demonstrat. Intelligit ergo diuinus intellectus, & quodcunque, & quantumcunque potest intelligibile, idest illud omne intelligit, quod ab intellectu quocunque natum est intelligi, & percipi. Hoc autem est, quod ostendendum susceperamus. Assumptum, idest quod diuino intellectui nihil obstet; quo minus non solùm præsentia, & præterita, sed etiam futura omnia, & ea quæ cæco casu euentura sunt, cognoscat, ratione, probatur. Nam si quid diuinæ intelligentiæ obstaret; uel illud intrinsecum esset diuino intellectui, hoc est ex parte ipsiusmet intellectus diuini, & diuinæ naturæ intelligentis desumeretur; uel esset ab eodem extrinsecum, hoc est non ex parte diuinæ intelligentiæ, sed ipsius obiecti intelligibilis eueniret. Tantùm enim ab altero duorum (ut lib. primo minore Primæ philosophiæ Aristoteles, & eiusdem interpretes declararunt) hoc est uel ab intellectu, uel à re obiecta, & intelligibili, contingit in cognitione difficultas. Non quidem primùm. Illud enim quod diuino intellectui poneB
recur internum, esset materia. In sui igitur natura, materiam, diuinum intellectum includere, sequeretur. Sola nanque materiæ labes (quòd ab actu multum illa deficiat) intelligentiæ uidetur obstare. At quomodo erit in materia mersus diuinus, si humanus intellectus (ut in lib. tertio commentariorum, quæ de Anima inscribuntur, ab Aristotele declaratum fuit) à materia seiunctus est? Ibi nanque, cum de humano ille dissereret, Anaxagoram commendauit, quòd intellectum (quamuis de diuino forsan Anaxagoras loqueretur) omni labe materiæ immunem asseruerit. Neque secundum. Si enim obstaret obiectum, uel hoc ideo esset, quia esset quid futurum. At diximus, æternitatẽ futura cuncta complecti; Vel secundò, quia materiam illud haberet partem sui: cum enim tantum ex Analogia (ut in Timæo docuit Plato) nothaque, ac spuria cognitione, depræhendi possit materia: rei, cuius ipsa pars est, cognitionem absolutam, & claram impedire, atque subobscurare, obtenebrareq; constat. Dicebat enim Auerroes lib. tertio Physicorum
» commento XV. Difficultas quandoq; contingit propter rem latentem: & hoc erit propter im-
» perfectionem suæ naturæ. Hæc ille. Res quippe latens, & obscura, est ipsa rei materia; à qua rei
C compositæ, & materiatæ imperfectio uniuersa ortum deducit. Vel hoc tertiò propterea esset, quia numerosa, atque infinita esset rerum ipsarum multitudo. Infinita autem multitudo, quòd infinitum (ut ex libro secundo primæ, & ex libro primo secundæ Aristotelis Philosophiæ manifestum derelinquitur) qua infinitum, fit ignotum; ab aliqua potentia, etiam diuina depræhendi non potest. Verùmenimuero illi, qui diuinum intellectum plura, uel etiam infinita, absque aliqua difficultate, non posse intelligere arbitrantur; nim diuinam, diuinamq; cognitionem penitus ignorare uidentur. Nec de illa, meliora, quàm de nostra opinantur cognitione. Immo (quod blasphemia est) in Deum, nostram impotentiam iniquè transferre uidentur. Illi uerò, qui materiam, quæ sit pars obiecti, diuino intellectui obstare, quin minus rerum omnium omnimodam Deus habeat cognitionem, asserunt; possunt ista ratiuncula pro ueritate persuaderi. Deus gloriosus longè sine dubio in cognoscendo potentior est, quàm Sol in illuminando sit; tum quoniam substantia est omnino immaterialis, non ita Sol; tum quia cognitio ipsa est operatio illuminatione longè spiritualior, efficacior, penetrantiorque. At Sol omnia, paucis illis exceptis, quibus pro tempore per opacum aliquod, lumen intercipiatur, illuminat: & quòd ea, inter quæ opacum intercipitur, non illuminet; in causa est, non Solis impotentia, sed sola opaci interpositio.
D Deus ergo ui sua cognitrice omnia simpliciter, & absolutè penetrare, & omnia ex consequenti ad amussim cognoscere, atque intelligere poterit. Videtur hæc ratio non solùm Arriani in Epictetum, sed diuini etiam Trismegisti ad finem cap. VII, libri, cui titulus, Asclepius. Probato igitur iis modis tertiæ rationis assumpto, uidelicet quòd Deus cuncta exactissimè ante præcognoscat, quàm eueniãt; conclusio sequi uidetur euidentissimè; omnia scilicet, quæ eueniunt, cum à Deo Opt. Max. etiam antequàm eueniant, exactissimè præcognita sint; nec in præcognitione falli ille possit; qualicunque modo illa eueniant, ineuitabili penitus necessitate euenire. Cum secus quam eueniãt (alioqui in diuina scientia posset error cõtingere) euenire non possint. quòd .n. sic uel aliter, nunc, uel alio tẽpore in hoc loco, uel alibi euentura sint; iam æternis sæculis sunt ante ad amussim præcognita. Hæ sunt rationes, & ualida admodum argumẽta, quæ cùm maximè Stoicorum opinioni, & ineuitabili euentuum omnium necessitati fauere uideantur; nostris Theologis aliquam, philosophantibus uerò quàm plurimis, Aristotelicis præsertim, qui in multis euentibus cõtingentiam, & in aliquibus temeritatem defendunt, difficultatem facere possunt maximam. Solitum est etiã abs Stoicis duci ualidissimum argumentum ex ordine perpetuo, & æterna complicatione causarum: à prima, quam illi, & liberè, & ex necessitate mouere asserunt, depẽdentium,

dentium; quod superiore capite nos ex Alexandro indicauimus solùm; quoniam de eo inferius libro tertio, in quo de Fato præcipuè agendum erit, fusè satis, & dilucidè dicemus. Nunc autem nonnullis, præter adductas rationes, & illis quidem satis urgentibus mediis, prætactam opinionem, & ineuitabilem in euentibus cunctis necessitatem, confirmabimus. E

Multis modis recitata Stoicorum opinio, euentuumq; cunctorum necessitas ineuitabilis confirmatur. Et primò ex sacrorum codicum auctoritate. CAP. XIII.



OPINIONEM hanc (quæ siue ex diuina præcognitione, & intelligentia, siue ex diuinis, fatalibusq;, hoc est urgentibus Deorum decretis, siue ex diuina prouidentia, & rerum cunctarum præordinatione, siue ex perpetua quadam causarum serie, & complicatione, siue ex siderum configuratione, & proportione quadam, & influxu, siue ex alia qualibet causa, & ratione, ineuitabili necessitate, omnia fieri, autumat) multis modis confirmant & Stoici, & illi, qui in hac saltem causa, Stoicorum placita, ac statuta prosequuntur. F Sed ex multis, quæ ad hanc astruendam, confirmandamque opinionem, ab iis adduci solent, aliquot tantùm colligemus, quæ nobis ualidiora, urgentioraq;, & ad soluendum difficiliora uidebuntur. Primò igitur eam confirmant, ex sacrorum codicum auctoritate. Libri (inquit ex Platone Ammonius, parte secunda libri de interpretatione Aristotelis) qui in Deorum sacris habentur; de quibus uel suspicari mendacium, nefas putatur, Deum omnia cognoscere, temperare, & moderari constanter affirmant. Igitur pro Deorum cognitione, & institutione, cuncta ita ineuitabili necessitate eueniunt; ut secus, quàm eueniant, euenire non possint.

Idem confirmatur ex diuinatione. CAP. XIIII.



SECVNDO idem confirmatur, ex ipsa diuinatione, quæ diuinam præcognitionem, diuinamq; prouidentiam, nec non decerta diuina potissimùm adstruere, uidetur. G Vetus (dicebat in principio libri de Diuinatione Cicero) opinio est, iam usque ab heroicis ducta temporibus, eaq; & populi Romani, & omnium gentium firmata consensu; uersari quandam inter homines diuinationem, quam Græci μαντικὴν appellant; id est præsensionem, & præsagitionem rerum futurarum. Veniunt igitur cuncta, quæ eueniunt, cognita prius à Diis (ab eis nanque uaticinandi, ac diuinandi donum impenditur hominibus) ac prædefinita. Igitur ineuitabili necessitate. Non enim si temerè aliqua, uel etiam contingenter euenissent; aut à Diis præcognosci, aut ab hominibus prædiuinari illa, certeque ac definitè prænunciari quiuissent: cum ut euenire illa, ita non euenire potuissent. Hæc nempe (ut libro quarto cap. II, de Præparatione Euangelica retulit Eusebius) erat una ex Chrysippi rationibus. quoniam Vatum prædictiones, ueræ, ac certæ esse non possent, nisi Fato, hoc est, ineuitabli necessitate fierent uniuersa. Qui nanque tot ante temporibus, ab Oedipo filio patrem Laium necatum iri prædixisset Apollo; si in diuina præcognitione, aut etiam præordinatione, & in causarum seriata complicatione, ineuitabili necessitate contentum illud prius non fuisset?

Diuinatio, & ineuitabilis rerum necessitas, ex oraculis ipsis persuadetur. CAP. XV. H



RERVM, & euentuum præsensio, ac diuinatio, ex eorum oraculorum, quæ futuros euentus determinatè prædixerunt, obseruatione, constare imprimis uidebitur. Passim enim de oraculis historiæ patent. Pausanias se Trophonium (ut ex quarto eiusdem libro colligi potest) in Lebadia Bœotiæ consuluisse fatetur. Quid de famosissimo oraculo Delphico dicemus? Quotusquisque fuit insignis, qui illud (cum floreret) non consuluerit? Quot, ac quanta, quæ alioqui temeraria, & cæco prorsus casu emergentia uideri poterant, ab eo præcognita, ac prænunciata, & diuinata fuisse leguntur? Nunquam (dicebat Quintus ille Ciceronianus) oraculum illud Delphis tam celebre, & tam clarum fuisset; neque tantis donis refertum omnium populorum, atque Regum; nisi omnis ætas, oraculorum illorum ueritatem esset experta. Inde Licurgus, qui Lacedæmoniorum Rempub. institutis, & legibus temperabat; leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmari cupiebat.

A Diuinatio, & ineuitabilis euentuum necessitas, ex sortibus persuadetur. CAP. XVI.


ITEM ex sortium missione (quæ & ipsa diuinationis species quædam existimatur) idem, quòd prius, ostenditur. nempe omnia ineuitabili necessitate euenire. Ex talis, & abaco, apud Burenses, in Achaia, uerissima responsa Herculem dedisse auctor est Pausanias. Libro namq; Historiarum septimo ita, ex interprete, scriptum ille reliquit. Quà ad mare descenditur, amnis Buraicus nomine; in proxima spelunca non utique magnum Herculis signum; Buraico & ipsi cognomen, Oraculi sortes capiuntur ex tabula, per talos. Qui consultum uenere, præcatione ad signum peracta, uotisque nuncupatis, talos ex ea, quæ in promptu est, copia, iniiciunt quatuor super mensam, inscripti sunt certis notis tali singuli; earum illi notarum interpretationem in tabulis similitudinem sequuti requirunt. Hæc ille. Geryonis quondam oraculum in agro Patauino fuisse, quidam asseruerunt; & inter alios, in uita Tyberii Cæsaris, Suetonius, & nuper Nicolaus Leonicus in dialogis, uir apprimè doctus: ubi iactis ĩ Aponi fontibus, sub
B aquam, talis, certissima consulentibus dabantur responsa. Oraculo isto, usum aliquando Tyberium fuisse, idem Suetonius tradidit. Prænestinarum sortium quid attinet hic multis commemorare oracula? Quotannis namq; (inquit Cicero) calendis Ianuarii, excauata columna, in qua reseruabantur, sortes eximebantur; illisq; ea, qua eductæ erant, serie, mutuò iunctis, integra responsa absoluebantur. Domitiano Cæsari mortem has prænunciasse, Suetonius annotauit. Antiatina sors, referente etiam Suetonio, Caii Caligulæ morte insignis fuit, quem aliquanto ante obitum, ut Cassium, à quo postea occisus fuit, caueret, præmonuerat.

Diuinatio, & ineuitabilis rerum euentus ex aruspicio persuadetur. CAP. XVII.


Ex Aruspicina obseruatione, quæ, inter præcipuas diuinationes, à plurimis, computatur; idem asseritur. Huic namque (inquit, ex Quinto, Cicero) quotquot non obtemperauisse legimus; legimus quoque periisse. Infinita consultò præterimus exempla. Vnus Sergius Galba Rom. Imperator sufficiat; quem prius
C quàm ab inimico occideretur; in Palatio mane inter sacrificia monuit Vmbricius Aruspex, ut caueret periculum, non longè enim percussores abesse. Cuius caput (cùm ille minus sacrificanti obtemperatus fuisset) eodem die, per gregarium militem, inserto per os pollice, Othoni inimico delatum est. Quamobrem non malè forsan dicebat Heraclitus, in extis, & aliis huiusmodi signis, declarare Deos uoluntatem suam, & futuros euentus.

Diuinatio, & ineuitabilis rerum euentus, ex Augurio persuadetur. CAP. XVIII.


Ex Auguribus, non desunt apud Ciceronem, atque Valerium cognomento Maximum, exempla. Innumeris tamen omissis, illa sufficiant, quæ de Rege Deiotaro, & de ipsomet Cicerone legimus. Quorum alter domum quandam sibi ad quiescendum paratam, aquila super eiusdem tectis conspecta, ingredi renuit; quæ sequenti nocte solo æquata est. Alter uerò, Cicero scilicet, cum esset in
D uilla Caietana, ferrum quoddam horologii à coruo excuti conspexit; protinusq, ad ipsum aduolans Coruus ille, morsu ita firmo, atque acri ipsius togam appræhendit, detinuitq;, ut non nisi à seruis occisus, eandem deseruerit. paulò post Cicero uitam obiit.

Diuinatio, & ineuitabilis rerum euentus, ex omine persuadetur. CAP. XIX.


EX OMINIBVS idem confirmatur, quod prius de quibus habentur multa, & constantissima exempla apud Valerium lib. primo, cap. v. quorum duo, libro primo de Diuinatione, recensuit Cicero. Vnum, quod L. Paulo Consuli; alterum, quod Ceciliæ Metelli contigerat. Nam cùm Paulo prius, bellum, uti cum Rege Persa gereret, obtigisset; deinde ad uesperam, cùm domum rediisset, filiolam suam nomine Tertiam, uel (ut nonnulli dixerunt) Thraciam, admodum paruam osculatus, tristiculam animaduertit, cuius tristitiæ causam cum interrogasset,

gasset, illa respondit, Persa periit. Decesserat autem catella, quam puella in delitiis habuerat, nomine Persa. Tunc ille arctius puellam amplexus, accipio omen, inquit, atque ex ipso, ita temerè effutito, uerbo, quasi certam sequuturæ uictoriæ, clarissimiq; futuri triumphi spem, & gloriam animo præsumpsit. Vir tam humanus, ut Persi regis à se capti calamitatibus, pias impenderit lacrymas. Cum etiam Cecilia Metelli, sororis suæ filiam, in matrimonium locare uellet; in sacellum quoddam, ominis capiendi causa, secessit. Nec, cum aliquandiu persedisset, aliqua uox audita fuit, quæ proposito deseruiret: puella interim, longa standi mora, defatigata, rogauit materteram, ut in eius sella paululum requiesceret, cui illa, Ego uerò tibi meas sedes libenter concedo. quod omen res sequuta est. Ipsa enim breui mortua, uirginem in matrimonium Metellus duxit. Sed hoc loco, silentio præterire non possum, omen illud, quod Pompeo, in acie Pharsalica à Cæsare superato, contigisse legitur. Hic nanque cùm fuga salutem quæreret, cursu in Cyprum insulam, ut aliquid in ea uirium contraheret, classem direxit; cumq; ad oppidum Paphum appulisset, conspexissetq; in litore speciosum ædificium; gubernatorem interrogauit, quod illi nomen esset; qui respondit; κακοβασιλέα. At ille ita abominatus est uocem, ut ab omni spe deciderit protinus, & auersis ab ædificio oculis, dolorem, quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecerit. F

Diuinatio, & ineuitabilis rerum euentus, ex portentis persuadetur. CAP. XX.


X PORTENTIS. Tiberius Gracchus (ut primo lib. de Diuinatione recitat Cicero) Publii filius, qui bis Consul, & Censor fuit; idemq; & summus augur, & uir sapiens; duobus anguibus domi compræhensis, Aruspices conuocauit, qui cum respondissent; si marem emisisset; uxori breui tempore esse moriendum: si fœminam; ipsi. Aequius esse censuit, se maturam oppetere mortem, quàm P. Africani filiam adolescentem. Fœminam emisit; ipse autem paucis post diebus mortuus est.

Diuinatio, & ineuitabilis rerum euentus, ex præsensione per somnium, persuadetur. CAP. XXI. G


X PRAESAGITIONE per somnium, ineuitabilem rerum euentum denuo persuademus. Cicero lib. de Diuinatione, ex Aristotele, refert, Eudemum quendam Cyprium, Aristotelis familiarem, iter in Macedoniam facientem, Pheras uenisse, quæ cùm urbs esset in Thessalia admodum nobilis, ab Alexandro Tyranno crudeli dominatu premebatur; atque in eo oppido, ita grauiter illum ægrotasse; ut omnes medici diffiderent. Illi autem uisum esse interea in quiete, egregia facie iuuenem dicere; citò quidem illum esse conualiturum; Alexandrum uerò Tyrannum citò interiturũ; atque ita, ut somniauit, euenisse confirmat. Conualuit ille, iste uerò ab uxoris fratribus paulò post interfectus est. Simonides per somnium, ab eo, quem pridie humauerat, nauigare est uetitus; & nauis die sequenti periit. Ptolemæus quidam, Alexandro cognomento Magno, familiaris, in prælio cum fuisset telo uenenato ictus; cumq; ex uulnere, summo dolore, ita premeretur, ut extremum iam agere credi poterat; Alexandro eidem assidenti uisum est per quietem, draconem illum, quem sua mater alebat Olympias, radicem quandam ore ferre, mox sibi eam tradere, simulq; enarrare, & quo illa loco nasceretur, & quod eidem tantùm uirtutis inesset, ut Ptolemæum amicum facilè sanare posset. Alexander experrectus, amicis somnium narrat, ad quærendam radiculam mittit; defertur illa; relatam cùm amico ægrotanti comedendam dedisset, mox ille sanatus est. Radiculam istam, quidam dixerunt, fuisse illam, quam Empirici hiperbaton appellant. Quid de illo admirando somnio dicemus? per quod, ad rabidi canis morsum, lib. uigesimo quinto Historiæ naturalis, cap. 11, repertum fuisse remedium, Plinius narrat. Scribens enim de herbis quibusdam, ista ad uerbum adiecit. Alias inuenit casus; alias, uerè dixerim, Deus. Insanabilis ad hosce annos fuit rabidi canis « morsus; pauorem aquæ, potusq; omnis adferens odium. Nuper cuiusdam militantis in prætorio mater uidit, in quiete, ut radicem syluestris rosæ, quam, cynorhodon uocant, blanditam sibi aspectu pridie in fruteto, mitteret filio bibendam in lacte. In Lusitania res gerebatur, Hispaniæ proxima parte; casuq; accidit, ut milite à morsu canis incipiente aquas expauescere; superueniret epistola orantis, ut pareret religioni, seruatusq; est ex insperato; & postea quisquis auxilium simile tentauit. Hæc Plinius. Galenus medicus, cum circa diaphragma, ægrotaret, somniauit se liberatum iri; si ex uena, quæ inter pollicem est & indicem, sanguinem mitteret: emisit, & conualuit. H

A ualuit. Mitto interea medicinæ præclarissimum auctorem Hippocratem; qui in libro de Somniis, imaginibus illis, quæ sibi per quietem morbos, & morborum curationes indicare uisæ fuerant, supplicationes uarias instituit. Vt illud quasi uideatur affirmari posse; quod in uita Luculli ex Sylla recitat Plutarchus. Nihil certius, nihil credi dignius esse; quàm quod per somnium fuerit præsignatum. Vnde Orpheus in hymno ad somnium ait.

» Ἄγγελε μελλόντων θνητοῖς χρησμωδὲ μέγιστε
» Ἡσυχίᾳ γὰρ ὕπνου γλυκεροῦσι, γέλλος ἐπέλθων
» Προσφωνῶν ψυχαῖς θνητῶν νόον αὐτὸς ἐγείρεις
» Καὶ γνώμας μακάρων αὐτὸς καθ' ὕπνους ὑποπέμπεις
» Σιγῶν σιγώσαις ψυχαῖς μέλλοντα προφαίνων:

Idest; Mortalibus futurorum nuncie uates optime, ad animas somni quiete demulctas accedis; easq; compellans, mentem ipse excitas mortalium; eis per somnium Deorum indicas sententiam; & silens silentibus animis futura prænuncias. Quamobrem, qui præerant (inquit, lib. pri- » mo de Diuinatione Quintus Ciceronianus) Lacedæmoniis, non contenti uigilantibus curis, in » Pasitheæ fano (quod est in agro propter urbem) somniandi causa excubabant; quia uera inde quie » tis oracula ducebantur. Ad Amphiarai quoque fanum, somnia, tota ferè Asia, celebrata, uerissi- B mam futurorum præsignificationem habuisse, antiquitas existimauit.

Diuinatio, & ineuitabilis rerum euentus, ex Astrologorum prædictionibus persuadetur. CAP. XXII.



X ASTROLOGIS certo cœlestium corporum motus ordine, præfixoq; stellarum concursu, siue aspectu, mutuaq; quadā inter se relatione, & configuratione, ac nescio quo ab eisdem posito influxu, futura certè, & determinatè prædicentibus; idem, quod prius, ineuitabili scilicet omnia necessitate euenire; confirmari potest. Multa hoc loco possēt à nobis adduci; sed duo exempla nobis sufficiant. Vnū sit Petrus Leo; uel si mauis cum Ficino dicere, Pierleonus Spoletanus medicus celeberrimus; cuius etiā primo lib. de Fato cap. XI. Petrus Mātuanus meminit. Hic nempe, cùm eidem aliquando ab istis diuinantibus Astrologis dictum fuisset; ut artem medicam desereret; alioquin fore, ut aquis necaretur; Patauii tunc quidem medici C nam ille publicè profitebatur, sæpeq; Venetias ad nobiliores curandos aduocabatur; clam autem inde discedens, quo ineuitabile Fatum euitaret, Florentiam commoraturus accessit; quòd ab aquis, uideretur locus ille securior. Sed quadam die, siue dum Laurentio Medici nobilissimo, suæq; patriæ amantissimo mederetur, id casu euenerit, siue, ut quibusdam placet, paulò post eius obitum, Petrus Laurentii filius, cui in patre curando satis negligens Petrusleo uisus fuerat, illum in puteum proiici iusserit; in puteo (tanta est stellarum, & Fati necessitas) suffocatus inuentus est. » Vt de Cæsare dixerit Manilius. *Totiens prædicta cauere Vulnera non potuit.* Alterum quum ex multis aliis, ut Diogene, Plutarcho, Plinio, Cicerone, & aliis, tum ex Aristotele sumi potest, qui » primo libro Politicorum cap. VII, futuram olei ubertatem per Astrologiæ peritiam Thaletem his » uerbis ex interprete, præcognouisse asseruit. Hæc cuncta utilia sunt his, qui augere patrimoni- » um student. Quale est illud Thaletis Milesii (est autem hoc per lucratiuam quandam intelligen- » tiam) sed illi quidem attributum propter sapientiam. Accidit autem hoc in uniuersum. cui cum » obiiceretur philosophiæ studium propter inopiam, quasi inutile, & infructuosum, prospexisse » ferunt illum per astrologiam, oliuarum ubertatem futuram. Cumque coegisset pauxilum pecu- D niarum, hyeme adhuc uigente, emptionem olei fecisse in Mileto, & in Chio, pro paruo admodum » pretio, utpote nemine plus offerente, arrasque dedisse. cum itaque postea tempus uenisset, » multis subitò quærentibus, uendidisse oleum quanti ipse uoluit, ac magnam uim pecuniarum » inde superlucratum, ostendisse amicis, perfacile esse Philosophis ditari, si uellent; sed illis hoc curæ » non esse. Hactenus ille. Quibus uerbis eorum placito subscripsit; qui per astrologiam futuros euentus præcognosci posse dixerunt; quos quidem inde non cognoscerent; nisi inde ineuitabili necessitate manarent.

Ex Geomantum prædictione, idem, quod prius persuadetur. CAP. XXIII.



VID de Geomantibus dicemus? qui punctis ex arena, uel ex cineribus, siue ex pagina collectis, quasdam sibi figuras, & certa delineamenta confingunt, per quæ, & facta occultiora intelligunt; & futura, certa cognitione, pro siderum dispositione (figuris etenim suis errones, & signa Zodiaci adaptant) prænoscere, & eadem longè ante euentum, prædicere, didicerunt?

Diuinatio ex Chiromantibus, & rerum euentus ineuitabilis persuadetur. CAP. XXIIII.



VLTIMO ex Chiromantibus, Pedemantibus, & breuiter Physiognomicis cunctis idem persuaderi potest: qui parte aliqua nostri corporis inspecta, non solùm ea, quæ nobis instant, intelligunt; sed ea etiam, quæ futura sunt, certa cognitione longo quàm eueniant ante tempore prænoscunt, ualde & prædicunt. Inquit Arist. Qui magnum habent caput; hebetes sunt; qui seueram frontem, audaces; qui exporrectas aures, loquaces. & alia huiusmodi multa. Hæc autem quomodo aut uera esse possunt, aut certa, ab eis cognitione intelligi; si ea, quæ eueniunt, nulla ineuitabili necessitate, sed cæco casu, fortuitò, temerè, & contingenter eueniant? Quam obrem Iamblichus libro de Mysteriis cap. XXV, tantam esse, dicebat, erga hominem, ad ostendenda nobis de futuris euentibus indicia diuinæ prouidentiæ, exuberantiam; ut non solùm in lineamentis, nostro undiquaque corpore diffusis; sed etiam in calculis, uirgis, lignis, lapidibus, frumento, farina; omnibus denique, quæ nobis passim obuia fiunt, indicia Deus præbeat futurorum. ubi mirabiliter inanimatis animam, immobilibus motum, ratione carentibus intelligentiam quandam præstare uidetur, quasi hæc cognoscere, illa uideantur; ubi nobis futura portendunt. F

HAEC sunt potiora argumenta, quibus rerum omnium euentum, esse necessarium, & fatali, idest, ineuitabili necessitate cuncta fieri; & Stoici, & qui Stoicornm opinionem insequuntur, ut sunt astrorum inspectores, & diuini; ostendere, ac persuadere conati sunt.

Opinio Stoicorum, & aliorum, ineuitabilem in cunctis euentibus necessitatem persuadere contendentium, breuissimis improbatur. CAP. XXV.



VERVM enimuerò, huic, quam hactenus recitauimus, Stoicorum, & eorum omnium, qui ineuitabilem in euentibus cunctis necessitatem defendere conantur, opinioni, totius primo humanæ uitæ usus apertissimè refragatur. Deum enim G uitæ nostræ curam penès nos disposuisse, eiusq; cōseruandæ rationibus, ac studiis nos instruxisse; periculorum quoque nos sæpissimè præscios fecisse; ne incautos semper opprimerent; cautiones præterea, & remedia suggessisse; certum est. Ex quibus omnibus perspicuum derelinquitur, quid nostri sit officii. Nempe ut uitam nostram, corpusq; tueamur, ne subsidia, & remedia negligamus, in pericula ne temere irruamus; sed pro ratione, & consilio, & libertatis arbitrio, quæ profutura, uel nocitura uidentur; declinemus, uel prosequamur.

SECVNDO, Ad opinionem multa, & maxima sequuntur incommoda. Id autem, ad quod, uel unum duntaxat, nedum multa, sequatur incommodum; non absurdum esse non potest. Leges enim, & commertia, (si cuncta Fato, & necessitate ineuitabili eueniant) uirtutes, & uitia, pœnæ, & præmia in primis de medio penitus tolluntur. humana omnis iustitia, fides, pietas, & alia id genus multa uitæ nostræ præclarissima ornamenta, ab hominum uita, procul abiguntur.

TERTIO, Homini à natura, maxima esset indita ignorantia. Omnes enim, paucissimis exceptis, multa contingenter, multa fortuitò, casu cœco, & temerè, fieri opinamur. Quòd si uerum non fuerit; si nihil temerè, nihil contingenter, efficiatur; sed fatali, hoc est, ineuitabili necessitate eueniant omnia; quantis, quæso, ignorantiæ tenebris humanum genus uniuersum obrui, H necessum erit?

QVARTO, peculiarius aduersus Stoicos; quoniam, si id, quod ab illis factum est, aut etiam fit, qui huius opinionis uel sectatores, uel etiam auctores sunt, in exemplum tradatur; nobis non suadebit solùm, ut hanc eorum opinionem reiiciamus, sed nos, si sapimus, coget etiam. Illi nanque & docent, & discunt, & hortantur, & consulunt; increpant, etiam, castigantq; suos, tanquam propria uoluntate, peccantes. Vt ex ipsismet Fati, & ineuitabilis in rebus omnibus necessitatis assertoribus, uel nullius, uel non omnium saltem esse Fati necessitatem, citra dubium, penitus consequatur. Multa inferius, ubi de Fato erit præcipuus sermo, nonnullis prius ad opinionem suadendam, atque astruendam iterum adductis epicherematibus, quo in illis dissoluendis rei ueritas illustrior euadat; contra istam opinionem, & contra rerum cunctarum fatalem, & ineuitabilem necessitatem producemus. Rationes uerò, quæ hactenus multæ pro Fato, fataliq; rerum cunctarum, & ineuitabili necessitate adducta fuerunt, ad calcem huius nostræ disputationis, hoc est libris sexto, & nono à nobis, omnes quàm facillimè dissoluentur. Nempe in sexto rationes tres in nono uerò confirmationes omnes, quas adduximus, dissoluemus.

A Tertia opinio, quæ aliqua necesſariò, aliqua contingenter, nonnulla etiam temerè, & cæco caſu euenire concedit, approbatur. CAP. XXVI.



XTREMIS igitur utriſq; inter ſe è regione pugnantibus opinionibus; ut falſis ita nunc breui reiectis; media inter utranq;, ut uera, ita non altera tantùm, ſed utraque (quod aiunt) manu amplexanda, immo toto uerius pectore retinenda opinio ſupereſt; quæ cum quorundam euentuum neceſsitate ineuitabili, aliorum contingentiam, quorundam etiam temeritatem affirmare non dubitat. Hæc enim humanam libertatem admittit, Fatum uel penitus tollit, uel in aliquibus tantum concedit; aut ſi etiam in omnibus; illud ſic moderatur, ac temperat; ut cum Fato, contingentia, & temeritas locum habere poſsint: diuinamq́; prouidentiam, & ſi qualem Stoici,
B anum ſcilicet (ut utar uerbo Epicuri) fatidicam euertat; qualem tamen peritiores, atque ſapientiores exiſtimarunt, admittit. Prouidere nanque rebus ſingulis Deum, admiſſa etiam in rebus fortuna, & temeritate, concedit; & modum, quo cum diuina prouidentia temeritas ſtare poſsit, oſtendit. Sed hæc in ſequentibus & uberius, & explanatius declarabuntur. Sed de euentus rerum opinionibus, hucuſque.

IVLII SIRENII CARRARII HIERONYMIANI, THEOLOGI, ET PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

De Fato liber ſecundus.

In quo de ipſa contingentia, & de ipſa neceßitate agitur.

Ad propoſitam quæſtionem examinandam, quæ ſint à nobis conſideranda, & in eiſdem conſiderandis, quomodo ſit à nobis procedendum.

CAPVT PRIMVM.



VONIAM operationibus, & effectionibus cunctis quaruncunque, & qualitercunque operantium cauſarum, ac efficientium; & euentibus omnibus, quicunque, & undecunque, in Orbe uniuerſo euenire contingant, & à quacunque illi cauſa producantur, unam ex quatuor illis, quas mox nominabimus, cauſis, tanquam primariam, & præcipuam cauſam, cuncti, ſiue Ethnici ſint, & Philoſophi, & Mathematici; ſiue Chriſtiani, & catholici Theologi aſcribere ſolent. Hæ autem ſunt. Deus unà cum diuina prouidentia, non enim inter Deum, quem nunc ut ordinatorem, uel etiam effectorem conſideramus, & diuinam prouidentiam, differentiam conſtituimus; quòd faciat Deus, uel ſtatuat, quæcunque facit, uel ſtatuit, pro ineffabili ſua prouidentia. Altera, Fatum, quocunque modo ſumatur nunc fatum. Multis ſanè modis (ut libro tertio ſuſius declarabitur) fatum ſumi poteſt. Tertia eſt Natura, quæ à phyſicis, principium motus, & quietis definitur. Quarta Homo, qui per ſibi inſitum liberum arbitrium agit. Idcircò ut de iis quatuor rerum, & euentuum cauſis, hoc eſt, de diuina prouidentia, de Fato, de Natura, & de Libero humano arbitrio, ſermonem præcipuum, & eum ſatis exquiſitum habeamus, neceſſe eſt. Nempe ſine harum cauſarum notitia, an res, & rerum euentus, à ſuis cauſis, ineuitabili neceſsitate, proficiſcantur, nec'ne, intelligere, non poſſumus. Quoniam præterea ſub altera duarum cauſarum, id eſt ſub Fato, uel ſub Diuina prouidentia, Naturam ipſam conſtituere perbellè, accommodateque poſſumus (ea enim quæ à natura fiunt, uel à Fato, uel à diuina prouidentia, hoc eſt, ab ipſo naturæ opifice, & conditore Deo Opt. Max. proficiſci, communiter, nec perperam, immo quàm rectiſsimè exiſtimantur) tres tantùm propterea, uel melius, unam ex tribus primariam rerum, & euentuum omnium cauſam, & præcipuam, ſtatuere, ſatis aptè, & commodè poſſumus. Deum uidelicet, uel Fatum, uel Hominem (niſi etiam ſub altera, hoc eſt ſub Fato, uel ſub Diuina prouidentia Hominem conſtituere uoluerimus) à quibus eueniant cuncta, ut diximus, quotquot in Orbe uniuerſo euenire contigerint. Homo nanque, & ſi ſub altera duarum cauſarum, hoc eſt ſub Deo (ad ueram catholicorum ſententiam) uel ſub Fato (ad multorum Ethnicorum opinionem) conſtitui poteſt; quia tamē ſuarum actionum dominum plerique omnes illum rectè diiudicant; plurimorum propterea effectuum præcipua, potiſsimaq; cauſa eſſe exiſtimatur. Ideo inter primarias cauſas locum illi quēpiam conſtituimus. Vt manifeſta igitur magis, magisq; & ordine, & facilitate illuſtris, præſens diſputatio noſtra reddatur, & eius, quod inquiritur, ueritas magis euidens, & clara emicet, atque eluceſcat; non grauabimur, & ad opinionem gentilium Philoſophorum, Ariſtotelis præſertim, quem inter philoſophos præcipuè ſemper ſequuti fuimus, quòd eius opinio uiſa ſemper nobis fuerit naturæ accommodatior; & ab erroribus (ut dicebat Auerroes, & ante Auerroem, Alexander Aphrodiſieus, alienior: Et ad ſententiam catholicorum Theologorum, de ſingulis iis tribus rerum cauſis, ſiue ſint reuera cauſæ omnes, & in rerum natura extra omnem conſiderationem exiſtant; ſiue aliquæ (ut fatum) hominum tantùm opinione, & exiſtimatione conſiſtant; hoc

eſt

G

H

A est de Diuina prouidentia, de Fato, & de Homine, idest de humano arbitrio, quod humanarum operationum principium esse dicitur, aliquanto fusius, differere. Inuestigabimus autem prius an necessitate ineuitabili, uel an contingenter, uel etiam temerè, & fortuitò, & cœco casu, & per accidens, res semper, aut aliquando, & rerum euentus, ab his, quas diximus, causis proficiscantur. Sed quoniam ipsius necessitatis, & ipsius contingentiæ ignorata natura, ad ista tria (quorum unum, uel alterum rerum, & euentuum omnium principium, & primariam, atque præcipuam, necessariam, aut contingentem causam esse existimamus) consideranda, nostra incassum festinaret oratio: in primis propterea de ipsa contingentia, & de ipsa necessitate, à nobis erit suscipienda consideratio. Ea autem, quæ in iis duobus considerandis dicentur à nobis, erunt tanquā suppositiones, & totius nostræ disputationis proloquia recipienda. Tria autem in his omnibus, & singulis primariis causis considerandis, quin etiam in ipsa necessitate, & contingentia, inquirenda nobis proposuimus. Primum, an sint: secundum, quid sint: tertium unde sint. Quid, inquā, sint, secundo loco inuestigabimus quidem, sed quid nominis magis, quàm quid rei uenaturi sumus. Ista nanque de quibus inquirere differereque proposuimus, omnia, usque adeo difficilia sunt, ut uix humano ingenio, & non nisi per effectus, & signa tenuissima, ueluti per umbram, apB præhendi possint. Eorum nempe naturæ, & essentiæ, & quidditates, nos procul fugiunt. Aliqua uerò eorum sunt, quæ non nisi ad uulgi opinionem existant; ut quidditate, & definitione penitus carere ea, sit necessarium. Ex illis nihilominus, quæ in secundæ, uel etiam tertiæ inquisitionis, & theorematis perscrutatione inuenientur, adducenturque, quid re ipsa sint singula; & ipsum, quod à Logicis dicitur, quid rei, si quidditatem, essentiam, & definitionem illa habeant, colligere utcunque, quod minus nos exactè fecerimus, diligentiores, acutioresque poterunt studiosi. Ex diligenti denique eorum omnium, quæ proposuimus, indagatione, luculentaq; indagatarum rerum declaratione, modus tandem, quo rerum, & euentuum cunctorum sunt ista principia, & primariæ causæ; et an ab iis, euentus ipsi ineuitabili semper necessitate, uel aliquando potius & contingenter, & temerè procedere, & emanare possint, manifestum erit. Verùm quoniam tractatus de humana libertate, illum, qui de prædestinatione est; & hic, illum, qui est de sibi opposita reprobatione, secum trahere existimatur: quòd & una opponatur alteri, & utraque libero arbitrio aduersari pluribus uideatur: non possumus propterea de humani arbitrii libertate exactè utcunque differere; quin de duobus iis, prædestinatione uidelicet, &
C reprobatione, nonnulla etiam differamus. Quoniam rursus de diuina prouidentia perscrutatio, diuinæ præscientiæ considerationem complectitur; & hæc illam, quæ de prophetia est; quòd diuinæ præscientiæ prophetia, tum signum, tum pars esse uideatur; & utraque, tam prophetia, quàm præscientia, diuinæ prouidentiæ indicium maximum sint, ne dicam insignis pars; & cuncta simul euentuum temeritati, & contingentiæ repugnare uideantur; de iis omnibus propterea, quòd ita, & susceptæ disputationis series, & eius, quod inquiritur, intelligentia exigere, atque deposcere uideatur agemus, uidelicet.

1 De Contingentia.
2 De Necessitate.
3 De Libero arbitrio.
4 De Prædestinatione.
5 De Reprobatione.
6 De Fato.
7 De Prouidentia diuina.
8 De Prophetia.
D 9 De Præscientia diuina.

Ac de his tam ad dogmata philosophorum, quàm ad catholicam ueritatem, quamuis diligenter, breuissimis tamen, & ueluti per compendium; & quantum duntaxat nostræ disputationi sat erit, perscrutabimur. Atque in horum omnium, postremo excepto, perscrutatione & consideratione; ea, quæ ante proposuimus, theoremata, omnia, uel eorum plurima, quàm breuissimè fieri poterit, inuestigabimus; dissolutisq;, posthæc, tandem illis rationibus, quæ pro rerum, & euentuum cunctorum ineuitabili necessitate, in principio præsentis disputationis superiori sectione plurimæ adductæ fuerunt; nostræ demum difficillimæ inquisitioni, ac laboriosissimæ disputationi, extremum (quod inquiunt) manum, & fœlicem finem imponemus. Verumtamen, ne uolumen nimia sui magnitudine, ac mole, lectorem obrueret; seorsum de humano arbitrio, & de illis, quæ eius considerationem comitantur, hoc est, de prædestinatione, & de reprobatione perscrutaturi sumus; reliqua autem, quæ consideranda proposuimus, omnia, hoc uolumine considerabimus.

An contingentia, & temeritas accidant rebus; & ad Physicorum opinionum, & ad Theologorum sententiam, inquiritur. CAP. II. E



RIMVM igitur, quod in hac nostra tam ardua, tamq; difficili disputatione, considerandum occurrit, est ipsa contingentia. Vtimur autem eo sensu, contingentiæ nomine, quo aliis uerbalibus uocibus uti solemus. à contingo nanque, contingentia dicitur. contingere autem pro accidere, hoc est nulla ineuitabili necessitate euenire; Philosophis, in nostra præsertim latina lingua, communiter usurpatur. Ea nanque contingere, siue accidere dicuntur, quæ possunt & euenire, & non euenire. Iam igitur de primo eorum, quæ de ipsa contingentia consideranda proposuimus, hoc est, an sit affirmanda in rebus, & rerum euentibus, contingentia; hoc est, an dicendum sit, quidpiam contingenter euenire: & non contingentia solùm, sed etiam temeritas, casus, atque fortuna affirmanda sint, uideamus.

DICIMVS igitur, quòd & si ita nudè, & nulla alia ante exposita, atque allata ratione, contingentiam uelle asserere; error, qui à Logicis petitio principii dicitur, esse uideatur; quia tamen, & nostræ disputationis series exigit; ut hinc tractationem nostram exordiamur, & indocti, ac rudis est, omnium quærere causam, & rationem; non uerebimur sine ratione aliqua (cum præsertim rationem in multis frustrà quæramus) sed uel sola auctoritate, uel adhibita magistra rerum cunctarum experientia, dicere; hæc omnia, idest contingentiam, fortunam, & temeritatem, esse omnino asserenda. Auctoritas sufficiat Aristotelis, & sectione secunda de Interpretatione, ubi ostendit, in iis, quæ contingenter futura sunt, hoc est ἐν τοῖς μέλλουσι, nullam partem contradictionis esse determinatè ueram, uel falsam; sed ut una euenit, ita altera euenire potest: Et libro sexto, & un decimo Prioris Philosophiæ, & Metaphysicæ, in quibus locis, multa esse per accidens asseruit. libris item passim Moralium, & ciuilium commentationum, idem confirmat. In quibus & priuatorum mores, & leges publicas, & rem familiarem, affatim componere docuit. quod frustra profectò fecisset, nisi & humanarum actionum libertatem, & euentuum plurimorum contingentiam, ut notam, & confessam supposuisset. Sed in primis libro secundo Physicarum auscultationum hoc ipsum confirmauit prorsus Aristoteles. ubi rerum naturalium seriò perscrutationem incoepturus ex industria, de temeritate, & de fortuna considerationem fecit: & quid utraque sit, & in quibus præterea consistat, distinctè admodum, & eleganter speculatus est. Fortuna autem, & temeritas, uel contingentiæ quædam sunt, uel longius à necessitate absunt, quàm ipsa contingentia. Ex iis nempe locis omnibus, atque aliis quos consultò omisimus, plurimis, & contingentiam, & illud quod per accidens, & temerarium dicitur, uersari in rebus, constantissimè asseruisse; & fortunam in iis, quæ ex ratione, & ex proposito, hoc est ex præstituto sibi fine, quippiam agunt: quæ scilicet ratione præstitutum finem minus attingunt; Aristotelem constituisse, locupletissimè probari potest. Atque in hoc sanè imitatus est Platonem præceptorem, qui in his, quæ de Legibus, deque Repub. copiosè disseruit: fortunam aliquando ξύμπτωμα φύσεως ἢ προαιρέσεως, idest, accidens naturæ, uel electionis appellauit. Porrò fortunam uterque & Plato, & Arist. in bonam, & malam diuisit. Si enim propositum sibi finem homo quispiam non assequitur, sed quidpiam sine præstituto melius, bonam; si quid peius, malam fortunam, dixere. Quòd si permultum fuerit illud, quod aliquis assequutus fuerit, præstituto fine melius, uel peius: fortunium, uel infortunium, siue fœlicitas, uel infœlicitas, uulgo solet nuncupari. Quamobrem ex doctrina Platonis, Apuleius in Dogmate Platonis, de bona, & mala fortuna, nobis hæc retulit. Instabile quiddam, & incurrens « intercedere ea solere, quæ consilio fuerunt, & meditatione suscepta: quòd non patiatur meditata « ad finem uenire. & tunc quidem, cùm impedimentum illud utiliter prouenit, res illa, fœlicitas no « minatur: at ubi repugnationes istæ nociuæ erunt, infœlicitas dicitur. Hactenus Apuleius. Casum « & in iis quæ cum ratione, & in illis Aristoteles asseruit, quæ sine ratione, sed naturà tantùm agere dicuntur: quatenus præter uel suæ naturæ, uel sui cuiusque propositi intentionem, eisdem aliquid accidere, & interrepere iudicatur.

EXPERIENTIA rursus esse hæc omnia, & ea rebus accidere, cui non possit meo iudicio, quispiam refragari; conuincitur. Potest enim hæc, qua induor, uestis incidi, & non incidi. possum ego scribere, & non scribere. Poterat prudentissimus PIVS IIII. in summum Pontificem eligi, & non eligi. Hæc enim omnia contingenter posse euenire, uel non euenire, uel aliqua etiam contingenter euenisse, certissimum est. Non tamen omnia temerè, sed temerè forsan uestis incisa est; fortuitò à me scriptum est; contingenter, diuina tamen sic dispensante prouidentia, in maximum Pontificem PIVS IIII. electus est.

SVPERVACANEVM est profectò contingentiam ipsam ex sacris uelle codicibus demonstrare. quod (quemadmodum in sequentibus clarum magis reddetur) aliud non sonent Euangelia,

A lia, & Prophetæ, & cuncta sacrorum codicum uolumina. Quamobrem apud Theologos illos, qui scholastici dicti sunt, hæc propositio (Aliquod ens est contingens) & uera, & indemonstrabilis, id est, euidentissimæ ueritatis esse censetur. Quòd ad exquisitam eiusdem intelligentiam, uocũ, ac terminorum eorum, quibus eadem coalescit, sola cognitio sufficiat. Sed de primo theoremate, an uidelicet insit rebus, & rerum euentibus contingentia, hactenus.

Contingentia quid sit, & ad Physicorum opinionem, & ad Theologorum sententiam; quin etiam ad uberiorem doctrinam, quid sit casus, & fortuna, ostenditur. CAP. III.



QVVM hactenus an sit contingentia, & per quandam consequentiam an contingenter aliquid eueniat, ut fieri potuit, breuiter à nobis inuestigatum fuerit; sequitur, ut quid ipsa sit contingentia, unde quiuis intelligere facillimè poterit, quid sit contingenter quidpiam euenire, consideremus. Dicimus igitur, quòd non est, ut fuerunt quidam opinati, contingentia priuatio, aut causæ cuiuspiam
B defectus, uel efficientis causæ debilitas, & impotentia: sed (de ea potissimùm cõtingentia loquendo, quæ uerè, & propriè contingentia dicitur) est (ut communẽ Philosophantium loquendi consuetudinem insequamur) modus quidam rei positiuus: & est proprietas quædam, uel euentus, uel naturæ rei illius, quæ contingenter & possibiliter euenire dicitur, intrinseca, qua res ipsa, uel ipsius rei euentus esse, uel non esse indifferenter potest. Nam posse ab interno, & naturali aliquo principio esse, uel non esse, est propriè contingenter, siue possibiliter esse, posse itidem ab intrinseca cum efficientis, & caussæ. tum effecti, & causati, ratione quidpiam euenire, uel non euenire, est contingenter, siue possibiliter euenire. Differunt autem inter se, secundum Peripateticos, contingenter esse, & possibiliter esse: sed, meo iudicio, ratione tantùm. Nam qua ratione quidpiam est, & potest non esse; ea possibiliter illud esse dicitur: qua uerò aliquid non est, & esse potest; ea illud contingenter esse perhibetur. Quod enim est, & potest non esse, possibile; quod uerò non est, & esse potest; in primo libro, cui titulus, Priorum cap. XII, contingens ab Aristotele appellatum fuit. Sed differentia (ut diximus) rationis est. Ideo & id, quod est, sed potest non esse; & id, quod non est, sed potest esse; & contingens, & possi-
C bile, promiscuè sæpe ab ipsomet Aristotele dictum fuit. Nec (ut, quid casus, & fortuna sint, uideamus) idem prorsus putandum est, contingenter esse, & casu, uel fortuitò esse: ad eorum præsertim doctrinam, qui candidè sunt philosophati. ut interea Epicuri, Democriti, Leucippi, & aliorum id genus minus probatorum, Philosophorum opinionem, qui temerè omnia euenire dixerunt, secludamus. Hi enim nullam inter fortuitò, casu, & contingenter esse, uel euenire, distinctionem posuisse uidentur; sed hæc cuncta, & quidem ineptè, simul confuderunt. Sanè contingentia ab intrinseca, ut dictum fuit, causa est; sed fortuna, siue temeritas, ab extrinseca. illa naturalis est; ista aduentitia. illa habitus quidam est; ista uerò, ut mox declarabitur, priuatio. Verum est tamen, quòd latius paulò sumpto contingentiæ nomine, ut uidelicet id tantum significet, quod esse, & non esse potest, nil ultra, & casus, & fortuna contingentiæ dici possunt. sed tunc inter contingentiam, casum, & fortunam, distantiam constituemus huiusmodi; ut quemadmodum casus (sicut docetur lib. secundo Physicæ auscultationis) est amplioris significationis, quàm fortuna; ita contingentia est amplioris ambitus, quàm sint & fortuna, & casus simul. Nam si Socrates in balneum lauaturus descendat, non fortuitò, aut casu descendit: sed tantùm contingenter. si dum descendit cecide rit, fortuitò id fieret si ouis; dum ad pastum properat, à lupo diripiatur, non fortuitò, sed casu di-
D ripitur: contingenter autem omnia, & Socratem in balneum descendisse, & dum descenderet cecidisse, & ouem à lupo direptam fuisse dicemus. Quicquid igitur fortuna, uel casu euenerit: id contingenter quoque euenisse putabitur: non autem contrà. Quicquid similiter fortuitum est, est etiã temerarium, & casuale: non autem contrà recurrit oratio. Fortuna est quicquid præter intentionem, ex proposito, & per rationem agenti contigerit. Casus & temeritas, est omne id, quod agenti quidpiam, ac molienti præter siue uoluntatis suæ propositum, & electionem; siue nauræ suæ intentionem, & propensionem acciderit. Vel fortunam esse casum, agenti cum ratione; casum uerò esse fortunam, agenti tam cum ratione, quàm sine ratione dicamus. Sed & si casus fortunam, & temeritatem sub se contineat, ac compræhendat: casum nihilominus temeritati illi (quia proprio nomine illa caruit) quæ agenti sine ratione contingit, appropriatur. Contingentia uerò sit quidquid euenerit sine necessaria, & ineuitabili causa.

SED obiicietur nobis; quòd alio modo contingentiam paulò ante diffinierimus; cùm eam modum diximus esse, & innatam rei, cuius est, proprietatem: qua res ipsa esse, uel non esse potest. At hæc facillimè obiectio diluitur, si contingentiam prius pro modo, qui rei qualitas intrinseca quædam sit: nunc uerò pro modo, qui rei qualitas quædam sit, siue intrinseca, siue extrinseca, per

per quam res contingens euenit; & à sua causa in uniuersum producitur; definitam fuisse, intelligatur. Ad quem modum & fortunam, & casum definitum fuisse, existimandum est. Nempe sicut contingentia, ita fortuna, & casus sunt qualitates; & modi quidam rei cuius sunt: sed illa quidem intrinsecus, ut dictum fuit, & rei naturæ intimus modus est; ista uerò, modi extrinseci sunt: & à rei natura, cui accidunt, alieni. Quòd res nulla, & euentus nullus, ex sui natura fortuitus, uel casualis sit: sed per relationem ad efficientem causam. Nam ab efficiente, uel potius ab efficientis defectu, & impotentia (est autem defectus, siue impotentia, priuatio quædam) fortuita, & casualia ortum ducunt. Vt hoc etiam modo utrunque definire possimus. Fortuna est defectus causæ cum ratione agentis; casus est defectus causæ, siue natura, siue etiam cum ratione efficientis. Vel si casus appropriatè diffiniatur; dicemus, casus est defectus causæ sine ratione efficientis. Possumus rursus utrunque simul & fortunam, & casum, sed confusius paulò definire: ut si dixerimus. Casus, & fortuna, sunt priuationes, & defectus quidam causarum efficiẽtium in suis effectibus. Vel si cum Platone dixerimus; quòd fortuna, & casus (quamuis non casus, sed fortunæ tantùm ille meminerit: sub fortunæ autem nomine, casum etiam compræhendit) sunt causæ eorum, quæ secundum aliquod accidens fiunt. Si rursus obiicias. quòd thesauri fortuita inuentio, non uidetur esse priuatio, uel defectus effodientis agricolæ: Dicemus ad hanc dubitationem paulò post accuratius: nunc autem dicere sufficiat, quòd si temerè, & præter intentionem, effossio, & inuentio thesauri acciderit: est ipsa quoque thesauri inuentio, ac effossio defectus, & priuatio quædam, hoc est actionis agricolæ. quatenus agricola est. At si ex intentione, illa euenerit; non amplius habet effossor ille agricolæ rationem; nec thesaurum casu, uel fortuna, repertum fuisse dicemus. Hæc omnia tam ad sententiam catholicorum Theologorum, quàm ad opinionem Philosophorum, Aristotelis præsertim, dicta putamus. Et de contingentia quid sit, hucusque.

Vnde sit in rebus contingentia, & insuper casus, & fortuna, ex Philosopho declaratur. CAP. IIII.



De tertio Theoremate, hoc est, unde sit in rebus, & in rerum euentibus contingentia, & præterea casus, & fortuna: hoc est, unde euenire quidpiam contingenter dicatur, uel etiam temerè, & casu; nunc inquirendum superest. Ad Physicorum autem opinionem prius, deinde sequenti capite, ad sententiam Theologorum, contingentiæ, & temeritatis causam inquiremus. Dicamus igitur, quòd quãuis Philosophi multifariam diuidant ipsum contingens; ad eum. s. (ut inquit primo libro Prioȓũ Alexan.) modũ, quo lineam bifariam secare solemus: aliquando quidem in portiones æquales; aliquando uerò in portiones inæquales: quarum sanè altera alteram excedat. Vt quoddam sit contingens, quod ut in pluribus dicitur: quod lineæ portioni maiori respondet: alterum, quod ut in paucioribus, quod contra minori lineæ portioni: & tertium, quod ut æqualiter nuncupatur: quod æquis portionibus diuisam lineam refert: singulisq; contingentiæ generibus, peculiaris quædam causa possit ascribi. ut contingentis quidem ut in pluribus, natura: ut uerò in paucioribus, materia: at ut æqualiter, humana libertas. Est enim contingens triplex: secundum naturam, secundum intellectum, & secundum materiam. Absolutè tamen, & simpliciter loquendo, omnis contingentia secundum doctrinam & Aristotelis, & eorum qui rectius, candidiusq; philosophati fuerunt, ortum ducit à materia. Nam libro sexto primæ Philosophiæ, tex. v. materiam dicit esse causam eius, quod accidit. Et lib. septimo eiusdem, text. XXII. Possibile, inquit Aristoteles, esse, & non esse, in uno quoque, à materia. In primo etiam libro de Cœlesti natura, siue de simplici corpore, parte trigesima sexta supra centesimam, inquit. Materia est potentia eadem contradictionis, & est causa eius, quod est esse, & non esse. Et Auerroes lib. secũdo de Generatione, cõmento LI. causa, inquit, contingentiæ, est materia. Sed hæc cum illis pugnare uidentur, quæ superiori capite fuerunt; dicta ubi casum ab efficiente originem ducere asseruimus. Verùm istam pugnantiam facillimè auferemus, si rem (ut par est) rectè intellexerimus. Hoc enim quod diximus, contingentiam ortum ducere à materia, duplici ratione ueritatem habere intelligendum est. Vna, quoniam cùm nullam (ut primo libro Physicarum auscultationum probauit Arist., & ante Aristotelem Plato in Timæo) propriam formam materia teneat: ad omnes peregrinas, & aduentitias formas sua natura, materia ipsa potentiam habet. à qua quidem potentia, contingentiæ illius, quæ uerè, & propriè contingentia est, origo deducitur: quæ quidem materia, quia est de essentia rei cuius est: ideo contingentiam istam esse rei cuius est, internam proprietatem asseruimus. Altera. quoniam, cùm materia per se existere nequeat, quòd ens sit in potentia, hoc est (ut dicunt Græci interpretes) est actu ens, sed non est ens in actu; ideo, ut existat, necessum est, ut formam aliquam semper habeat, & possideat. Ob formam igitur, quam pro tempore possidet, perinde ac si esset ab illa uiribus aucta, aduersus eius efficientis actionem, & uim, qui formam illam à materia abiicere, & nouam ex eadem euellere, atque educere conatur, rebellis

A rebellis, & contumax semper redditur. Hinc alterationes ad rei cuiusq; generationem, atque ad recentis formæ ab ea eductionẽ, & præuiæ quædam in materia dispositiones, ad eam naturaliter agenti subiiciendam, tanquam pugnæ apparatus quidam ad oppidum debellandum, de necessitate prærequiruntur: quòd ea natura constituta illa sit: ut & si illam, quam non obtinet formam, sua natura, & quadam (ita dixerim) connata sibi propensione appetat: hanc tamen, quam habet ægrè dimittat. cuique nempe magis naturale est, ab aduersantibus, & perniciosis sese tueri: quàm ex seipso aliud quidpiam promere, & generare. Dedit enim (inquit lib. secundo prosa x. de Consol. Philos. Boethius) diuina prouidentia creatis à se rebus, hanc uel maximam manendi causam: ut, quoad possunt, naturaliter manere desiderent. Ob priorem rationem, contingentia illa, quæ uerè, & propriè contingentia dicitur: ob posteriorem, fortuna, & temeritas; ab ipsa materia, duxerunt originem. Nam si uirtus effectrix, & à qua iam materia afficienda, & pro cuiuspiam formæ eductione, disponenda erat: ex aliquo accidenti debilis effecta fuerit, & infirma; ut formæ, quæ dudum in ipsa exilit materia, contumaciam obtundere, & humillimam sibi, atque patientissimam materiam reddere, ac subiicere nequeat; prodit statim temeritas. Et contumax materia, temerariaque, quæ agenti illi (qui principiò rem aggressus fuerat) superuenit causa; in

B eum agentem, quem diximus, insultat; & fœdæ suæ uictoriæ non parua, neque pauca signa ostentat, gibbos, claudos, sedigitos, bicipitia, & innumera id genus alia monstra, quæ longum admodum esset enumerare: ut tandem ab efficientis causæ impotentia, & priuatione monstra, & temeritates ducere originem, rectissimè dictum fuerit. Hinc nempe euentus fortuitos, & casuales, hinc monstra illa, quæ plurium (quasi mutuò pugnantium militum cicatrices, & uulnera) repugnantium formarum simul imagines præseferre uidentur; hinc denique totam temeritatis naturam ortum ducere putandum est. Hæc, quam diximus, materiæ pertinaciam, in fortuitis, & temerariis euentibus, cum ex multis accidere possit, tum potissimum ex agentium omnium sublunarium (quòd à primo, ac præstantissimo agente ista subcœlestia efficientia ualde recedant) debilitata admodum (ut diximus) in uniuersum, atque inefficaci uirtute, quæ uel intrinsecus deficit, uel extrinsecus à circunstantibus rebus, ut à regionis intemperie, à circunfusa diuersorum agentium uirtute; & ab aliis huiusmodi causis multis impeditur; ne uel si quid materiæ deest, suppleat; uel demat si quid superest; uel pro formatione eandem disponat, & humilem pro fine, quem intendit, suæ uirtuti subiiciat. Quamobrem nonnisi aliud quidpiam agentibus, ac molientibus, fortuitos,

C & temerarios euentus in medium obiter obrepere, conspicimus. ut omnino in his (quæ alicuius gratia fiunt) fortuna, & casus contingant, obiectis quibusdam, quæ prioris, & principalis agentis scopum impediant.

QVOD si hic obiiciatur, quòd contingentiã esse priuationem, uel efficientis impotentiam, superius negauerimus; sed dixerimus, rei cuius est, esse modum, & proprietatem quandam naturalem, & habitum quendam positiuum; nunc autem à priuatione omnium formarum, quæ est in materia (quod cum prius dictis pugnare uidetur) ortum illam ducere fateamur. Respondebimus, quòd nunc, non quid sit ipsa contingentia; sed unde ipsa, & fortuna, & temeritas ortum habeant, exponamus. Licet enim ea contingentia, quæ uerè, & propriè contingentia dicitur, priuatio, & defectus non sit: sed sit modus quidam rei positiuus; & rei (ut dictum est) naturalis quædam proprietas, qua esse res potest, & non esse: à priuatione tamen formarum omnium in materia, hæc contingentia, & ista proprietas, & ab efficientis impotentia, temeritas, & casus secundum Aristotelem, & omnes rectè philosophantes, eo, quo dictum est, modo, originem ita trahunt; ut sine huiuscemodi formarum omnium priuatione in materia, cõtingentia; & sine proximorum agen

D tium imbecillitate, & inefficacia, temeritas, & casus emergere, ac produci non possint.

SI dicas. In fortuita thesauri inuentione, nulla est effodientis imbecillitas; immo (ut ex libro de Bona fortuna; & ex lib. secundo Magnorum moralium affatim intelligi potest) eorum qui fortunati sunt, uires à uirtute quadam superiore intendi, confirmari, atque augeri dicuntur. Vnde in iis, in quibus minus est rationis, plus est fortunæ.

DIXIMVS prius, quòd duplex est fortuna, bona, & mala. De mala, dubium non est, quin ex imbecillitate agentis procedat. quum sit cuique à natura tributum, ea declinare, & propellere, quæ ei nocitura uideantur. De bona autem, ad calcem capitis præcedentis, sumpto ab illis exemplo, qui inter fodiendum, thesaurum reperiere, dictum fuit; quòd ipsa etiam est ex imbecillitate agentis: sumpto agente (ut uerbi causa fodiente) ea tantùm ratione, qua agens & fodiens, & qua (ut in exemplo persistamus) agricola est. Nulli sanè dubium est, quòd ut agricola, aliud quidpiam ille intendebat, quàm uel thesaurum effodere, ut thesaurum est; uel circa illum occupari, & actionem priorem morari, uel etiam penitus derelinquere. Nunc præter hanc, alteram, & fortè meliorem afferimus responsionem; quæ est, Quòd bona fortuna (ut thesauri effosio) non euenit præter agentis intentionem; sed agentis intentio duplex est, actualis, & habitualis; siue, quod idem est, in actu, & in habitu. Ita nempe intentionem, & Physici, & Theologi sæpius distinxe-

runt. Actualis quidem intentio circa rem est, & circa finem illum spectatur, qui ab agente ipso actu proponitur, & intenditur. Habitualis uerò circa finem est; qui non actu, sed habitu tantùm ab agente intenditur. à quo nihilominus actu intenderetur, si illi, ad eum consequendum, spes aliqua superesset. Qui nempe actu militem agit, militiæ principatum habitu intendit. qui sacerdotii dignitatem actu desiderat; Episcopatus amplitudinem, autem etiam summi Pontificatus celsitudinem, habitu exoptat. qui noualia item actu proponit, atque intendit, rerum copiam, ac diuitiarum ubertatem, habitu concupiscit, atque thesauros. quanquam igitur præter actualem aliquando; nunquam tamen, aut perrarò præter habitualem intentionem, thesauri inuentio poterit euenire. Quotus quisque est, qui si thesaurum reperire speraret; non effoderet? Quod si nihilominus præter utranque intentionem & actualem, & habitualem, thesaurum inueniri contigerit; non erit effossio, aut inuentio thesauri bona fortuna; sed uel mala, uel neutra. quin etiam, si agricolæ operationem, & uineæ plantationem, auri effossio retardauerit, aut impedierit aliquo modo ex inefficacia agentis, auri inuentionem processisse, affirmabimus. quòd efficaciter agens illud tantùm agat, quod agere intendit; nec aliqua ratione, ab actione sua, uel retrahi, uel aliquo modo se impediri permittit. E F

SI dicas, Non retrahitur, aut retardatur fodiens, ab opere, quod agere instituerat: quoniam aurum, quod effodit, non admiratur, nec illud pendit magis, quàm id terræ, quod proiicit; sed, effodere accuratè prosequitur. Dicimus tunc, quòd & si casu, & fortuitò, aurum, quà aurum, est, inuentum fuerit, & effossum, & proiectum; per se, tamen, ille, qui effodit, quatenus fodiens est; ea omnia intendebat effodere, & proiicere, quæ uineæ, uerbi gratia, in hoc loco plantationi erant futura impedimento. quicquid enim impediturum erat; inuentum per se, & effossum, & proiectum fuit, sed, ut diximus, contigit ei, quod proiectum est, esse aurum; sicut etiam contigit aliud quidpiam, quod proiectum fuit, esse lignum, uel lapidem. Sed de contingentia, unde sit, & præterea de casu, & fortuna, secundum eorum dogmata, qui candidè philosophati fuerunt, hactenus.

Vnde rebus accidat contingentia, & insuper temeritas, & fortuna, ex Theologorum sententia. Cap. V.



THEOLOGI nostri his, quæ iam ex Philosophis dictæ sunt, contigentiæ, & temeritatis causis, diuinæ uoluntatis hunc à se fabrefactum mundum, sine ulla coactione, liberrimè gubernantis eximiam perfectionem, & libertatem, tanquam supremã, præcipuamq; omnis contingentiæ causam, & originem adiicerent; à qua, & in prima materia formarum omnium priuatio; & ad eas rursus omnes in eadem potentia, & naturalis quædam (ita dixerim) propensio; & in iis aut illis efficiẽtibus causis uniuersis & concursus, & uirtus, & infirmitas, nec nõ efficacia, & inefficacia, atq; humanæ præterea uoluntatis arbitrium, & cæterarum insuper potentiarũ, ac uirtutum omnium uigor, & imbecillitas, & actus deniq; cuncti quorumcunq;, uel qualitercunq; causarum agentium, pro cuiusq; natura, & pro uniuersi Orbis administrationis ratione, moderantur, & pendent. In plateas enim hastiludia, & alia tum torque aurea, tum aliis magnificis à primoribus urbis, propositis uictoribus præmiis, (singularis ex electione noui, Pontificis conceptæ lætitiæ symbolum) magnificè gerenda spectaturus ciuis ille, contingenter nuncpro perat; quoniam diuina uoluntas liberè, & contingenter, ab æterno illa ad ista spectanda accedere uoluerit; uoluerit inquam, non imperando, sed permittendo; quatenus sua libera uoluntate, eum illius naturæ, ut ad ista spectanda, pro arbitrio, accedere, uel non accedere ualeret, effecerit; & accessuro etiam suppetias ferre decreuerit. G H

PIVS IIII, uir prudentissimus, ac sapientissimus pastor totius nunc Christi gregis, ac caulæ domini curam gerit, quòd clemẽtissima diuina uoluntas his turbulentissimis temporibus, præstantissimum, atque prudentissimum sui ouilis pastorem liberè, & contingenter illum esse & uoluerit, & decreuerit. Ad quem autem modum de rebus, & rerum euentibus cunctis, non necessariis solùm (si qui sint necessarii) sed contingentibus etiam, & temerariis Deus Opt. Maximus statuat ab æterno, ac decernat; inferius sectione octaua uberius declarabitur. Interea notatũ paulisper optamus; nonnulla Theologos nostros in æternitate signa, instantia, pro modulo nostræ intelligentiæ, quæ signa, signa originis illi uocitarunt, perpendere; in quorum primo, Deum, & diuinam essentiam purè, & simpliciter intelligunt; in secundo, personarum emanationẽ, & pluralitatẽ, utpote Patrem à se, Filium à patre, Spiritum sanctum à patre, & filio, cũ quadã etiam signorum distinctione. In tertio, Deum trinum intelligentẽ. intelligit nanq; omnia per diuinã essentiam, incõplexa quidẽ, ut hominem, animal, lapidem, substantiam, elephantum, & id genus alia signo quodã priore; posteriore uerò cõplexa; & horum quædam affirmatiuè, ut hominem esse animal, lapidẽ esse

A esse substantiam; alia negatiuè, ut hominem non esse elephantum lapidē non esse aīal, & huiusmodi. Et tam eorum, quæ diximus, Deum affirmatiuè cognoscere; quàm eorum, quæ negatiuè; aliqua intelligit esse possibilia, alia impossibilia, nonnulla necessaria; & alia contingentia; hoc est dictu, aliqua ita intelligit, quæ si aliquando sunt, à causa necessaria producuntur; alia uerò, quæ à minimè necessaria; & quæ uel actu eueniunt, uel possunt euenire. nonnulla etiam intelligit quæ tantùm imaginatione, & intelligentia queunt esse; cæterùm causam suæ ueræ, ac realis existentiæ nullo modo habere possunt, sicut illa sunt, quæ impossibilia dicūtur. In quarto signo determinat Deus de aliquibus quod sint, uel non sint, & quando, & cum quibus. non quidem de absolutè impossibilibus id determinat; sed neque de absolutè necessariis. Hæc.n. talia sunt, ut nulla diuinæ uoluntatis præcedente determinatione, hæc non esse, illa uerò esse, non possint. Sed de possibilibus tantùm, & contingentibus, quæ & esse, & non esse possunt, quin etiam de necessariis, & de impossibilibus decernit; sed (ut dictum fuit) non de illis quæ absolulè, uel necessaria, uel impossibilia sunt, sed quæ talia respectiuè dicuntur; hoc est, ut ad physicam, & naturalem causam referuntur; quæ nihilominus, ad supernaturlem causam, & ad Deum relata, contingentia, & possibilia dici pos

B sunt. De quibus, ad quem modum diuina uoluntas ab æterno constituat, & determinet, inferius libro octauo cap. XIIII, declarabitur. Nunc autem tantùm dictum sit, quòd ea, quæ siue necessariò, siue contingenter, siue etiam temerè eueniunt (eueniunt certè cōtingenter cuncta, si ad Deum euentum referas, quæ in orbe uniuerso eueniunt) non nisi præcedente diuinæ uoluntatis determinatione euenire possunt. Verùmenimuerò illud in primis sciēdum est, quòd & si multa, immo (quod paulò ante diximus, & fusius postea declarabitur) ad diuinam uoluntatem relata cuncta, contingenter eueniant: quod tamen fortuitò re uera, & propriè, si ad eandem referatur; quod temerè, quod (ut inferius copiosè exponetur) sine ratione, aut præter rationem eueniat, est nihil. Sed ea, quæ fortuita re uera dicuntur; ut ad humanam libertatem, & inferiorem aliquā causam inefficaciter operantem relationem, habent, ita dicuntur; quæ rursus casualia, uel temeraria nuncupantur; ut ad materiam, uel magis, ut ad secundam aliquam inefficacem causam imbecilliter quidem, sed tamen naturaliter agentem, cuius actioni, præter intentionem obiter quæpiam impediens obrepserit causa, relationem habent, ita nuncupantur. Illud semper (quod sequenti capite plenius disputabitur) in huiuscemodi fortuitis, & temerariis euentibus omnibus intelligentes: quod cuncti tam Theologi, quàm Philosophi (Stoicos excipio, & eos, qui euentibus singulis aliquam per se causam ascripserunt, de qua re sequenti capite uidebimus exactius) ultrò confitentur: quòd ea ratione, qua casuales & temerarii illi sunt; non esse in eis per se inqui

C rendam aliquam causam; quoniam causam per se, & propriam, renuit eorum natura. sed à materiæ pertinacia, & ab efficientium (ut dictum fuit) infirmitate, præter eorundem intentionem, uel propensionem, & rebus, & ipsis efficientibus causis obiter, aliudq́; quidpiam illis molientibus, adueniunt temeritas, & casus, & fortuna. Satis igitur nunc sit, unde ortum secundum Theologos, & secundum Physicos habeant effectus temerarii, & contingentes, in uniuersum indicasse. Quomodo autem inde singuli oriri dicantur, exactissimè declarare, non solùm extra propositam & disputationem, & eam, quam in disputatione, nobis proposuimus, breuitatem omnino est; sed extra methodum omnem, & disciplinam: cum præsertim, nulla sit scientia: quæ non singulares euentus reiiciat.

An fortuiti, & casuales euentus, per se causam habeant, inquiritur. Cap. VI.



D VONIAM ad calcem superioris cap. temerariis effectibus, per se causam, ab ipsa natura, denegatam diximus; & cunctos tam Physicos (paucis quibusdam exceptis) quàm Theologos, ita (ut res se habet) existimare affirmauimus; non ab re forsitan fuerit, eorum nunc rationes, siue argumentationes adducere, qui secus sunt opinati; & casui causam determinatam, & certam, & essentialem, & necessariam posse assignari crediderunt. Ex iis autem hæc una est; ea de quibus, tanquam de conclusione, & effectu, perfecta scientia haberi potest; causam per se, & certam habere dicuntur. Fortuita autē (ut uerbi causa) monstra, eiusmodi sunt, de quibus perfecta scientia potest haberi. Nam & libro quarto de Generatione animalium, cap. IIII, contra Democritum, affert Arist. causas cur monstra generentur. Et Albertus cognomēto Magnus, uel potius Alemannus cap. III, tractatus tertii, lib. II, Physicorum, multa disserit de effectus temerarii, & monstri causa. Multis modis confirmari potest, quod dictum est. Nempe libro tertio Mineralium cap. primo asseruit idem Albertus, scientiam inueniendi thesauri. Post enim aliquot de metallis, hæc ad uerbum ille subiecit. In quibus locis, & montibus hæc inueniantur; & quibus indiciis, partim est scientiæ naturalis, & partim est scientiæ magicæ; quæ uocatur, de inuentione thesaurorum. Hæc ille. Est autem inuentio thesauri, quid temerarium, &

fortuitum. Fortuitorum igitur potest esse scientia, eorum ergo causa certa, & per se erit. Adde quòd monstra similia, ut homo sedigitus, uel biceps, habent similes, & certas causas, à quibus, si ille extiterint; non esse ista non possunt. E

Altera ratio sit ista. In illis efficientibus causis, à quibus monstra, & casualia fieri dicuntur, natura posuit principia, & dedit potentias; quibus istiusmodi temeraria euenta efficerentur. nisi enim ita se res haberet, fieret id, quod impossibile est fieri. Etsi posuit (cùm frustrà, atque incassum illa faciat nihil) ad actum igitur sunt ista principia, & istæ potentiæ aliquando reducendæ. potentia nanque deficiendi (dicebat Auerroes lib. secundo Physicorum, commentatione XLVIII) quæ non reducitur ad actum, ociosa est in natura. Verba Auer. sunt, Si non inuenitur impedimentum extrinsecum; contingeret tunc; ut possibilitas in illo esset ociosa. Hæc ille. Si igitur ex impedimento isto, monstra eueniunt, erit impedimentum istud & per se causa monstri, & per se intentum à natura.

Tertia, quoniam quæ natura intendit, causam habent per se, & certam; intendit autem potissimùm natura Orbis uniuersi integritatem, & perfectionem; igitur ea omnia, quæ ad huiuscemodi perfectionem faciunt, & integritatem, per se natura intendit; & habent per se causam, sed ad eam monstra, & casualia faciunt; hæc ergo sunt per se à natura intenta, habent igitur certam, & per se causam. Accedit, quòd sæpe idem effectus, qui ad unam aliquam causam relatus, dicitur esse per accidens; relatus ad aliam, & maximè ad primam, dicetur esse per se. Sed dici, esse per se, non posset; si modo aliquo causam per se non haberet. Poterant & aliæ ad hoc idem adduci rationes plurimæ: sed hæ sunt inter eas, quæ adduci possunt firmiores. Siquidem in his diluendis, ad ea omnia, quæ possunt obiici, refellenda, aditus aperietur. Nos contra diximus casualia minimè per se causam habere. Nempe si casualia, & temeraria propriam, & per se causam haberent, & certam; temeraria non essent temeraria; quod contradictionem, & impossibilitatem includit. Non enim (ut sæpe dictum fuit) habent temeraria per se causam; sed obrepunt causæ per se, & essentiali; dum aliud illa moliri contendit. Exemplum. Lapis dum sui grauitate, & naturali sua propensione ad rerum grauium locum, & ad mundi centrum descendit, in caput prætereuntis decidit: illudque fregit: cùm nulla tamen sit in lapide, ad frangendum caput, naturalis propensio, ut omnino nulla possit huius effectus, & capitis fractionis esse per se causa. Si dixeris. Si lapidi decidenti, caput subierit Socratis; non poterit caput eius non infringi; posita causa, sequitur effectus. Est igitur descensus lapidis causa per se, & necessaria illius effectus, quem alioqui casualem nuncupamus. Respondebo ego, quòd positis causis omnibus cuiuscunque effectus, quamuis maximè fortuiti, & temerarii, non poterit effectus ille non produci. Non enim dicitur quispiam effectus fortuitus, aut temerarius, quia non ponatur, posita eius adæquata causa, quæ ex multis sæpe causis, siue simul, siue quadam serie positis, proficiscitur; sed uel quoniam eius adæquata causa per accidens ponitur; quoniam neque à natura, neq; ab aliquo per se agente, eius positio intenditur, uel quoniam effectus, ut fit ab hac causa, uel ab his causis, ita ab alia, uel ab aliis fieri poterat, uel etiam propter utrunque. Per hæc autem quæ dicta sunt, ad obiecta facillimè responderi potest. Ad primum, duas dare possumus responsiones. Vna est, quòd monstra, ut monstra sunt; non habent (ut dictum fuit) certam, & per se causam; quoniam multis modis potest monstrum fieri; ut si fiat quis sedigitus, monstrum est, aut si biceps, uel si monoculus, aut claudus, & aliis ferè modis infinitis. cum enim extra naturalem suam dispositionem unaquæque res fuerit, monstrum erit. At quot quæso modis, rem præter sibi naturalem dispositionem fieri contingit? Altera, quòd esto, quòd uno tantùm modo, & per unam, & certam tantùm præter naturalem causam disponi res posset; ad cuius causæ positionem, monstrum ex necessitate sequeretur; non propterea diceretur monstrum habere per se causam; quoniam natura non intendit causam illam, uel (si plures causæ fuerint ad idem monstrum, & ad suæ adæquatæ causæ integritatem concurrentes) illarum causarum coniunctio (ut diximus) non intenditur à natura. Sed per accidens, & casu coierunt illæ causæ. Sed instas, quoniam per similes causas monstra similia fiunt, certè hoc uerum est (ut iam diximus) quòd positis causis, omnibus cuiuscunque effectus, etiam temerarii non potest non sequi effectus; sed ponuntur causæ monstri, & temerarii effectus non per se, sed per accidens; tum quoniam loco quarundam, aliæ constitui poterant: tum quoniam non sunt earum connexiones à natura intentæ; tum quoniam monstrum (qua monstrum est) priuatio est; priuationis autem causa (ut aliàs demonstrabimus) non nisi priuatio esse potest; quæ priuatio, cum sit non ens, non potest poni in esse, nedum habere per se causam. ea enim tantùm, quæ habitus à Physicis, & positiones dicuntur, uerè habent esse, & ueram per se habent causam. Si dicas, sextus digitus non est priuatio, sed actuale quidpiam, & positiuum. Dicendum, quòd bifariam considerari potest digitus sextus, ut est deformitas manus, & præternaturalis quædam dispositio, & sic est priuatio, & monstrum, & non habet causam nisi priuatiuam: & nullam per se causam habet alio modo, ut tale quid & hoc modo non est simpliciter

A ter priuatio, sed potius positiuum quidpiam, & suo modo habitus quidam, & habet causam positiuam, quam dicere possumus non esse per se, sed per accidens; quoniam neque Sol in generatione, neque homo, neque, breuiter, natura illum sextum digitum intendebat, sed obiter & temerè causis per se,& essentialibus illa causa irrepsit. Quòd si obstinatè contendas, effectū illum habere causam per se, quoniam ad positionem unius certæ causæ: ponitur ille effectus. Dicendum, quòd monstrum illud ad certam suam, & determinatam causam relatum, non habebit rationem amplius monstri, & priuationis, sed positiui, cuiusdam, & speciei,& naturæ: quod inferius sæpius, sed potissimum in sectione sequenti cap. XXI, & XXII, uberius declaraturi sumus. Quamlibet autem speciem,& naturam, causam habere per se, necessarium est. Sed de monstro, non ut est species, & natura quædam, sed ut monstrum, est quæstio. de eo nanque diximus, & repetimus quòd nullam per se causam habeat. Vnde sequitur ut nulla de ipso scientia haberi possit: quòd si, non ut monstrum, sed ut species, & natura quædam est, consideratur; habet per se, causam, & per illam eadem scientia propriè haberi poterit. Ad secundam tria dicimus. Vnum, quòd illa principia, & illæ potentiæ, quibus monstra efficiuntur, ut monstra sunt, sunt potius impotentiæ, & principiorum defectus,& priuationes, quàm potentiæ, & principia. Vt ea quamuis priuationes sunt,
B poni in natura, & existere sit impossibile. Existentia nanque habitus, & rei positiuæ, proprietas quædam est, quæ priuationi conuenire non potest. Alterum, quòd non ualet argumentum. Si potentia cum defectu sibi possibili non reducitur ad actum, sequitur, ut frustra sit data illa potentia; nisi cum addito, hoc est, sequitur, quòd frustrà sit data illa potentia deficiendi. Sed dices, est argumentum Auer. Negamus in hoc Auerroem, si illo modo intellexerit: multa nanque dixit Auerrois, quæ mera sunt philosophiæ deliramenta. Omnis nempe potentia tam passiua, quàm actiua, data est à natura cuique, non ut deficiat, sed ut perficiat. Tertium, quòd esto etiā, quòd argumentum Auerrois admitteremus; non tamen admittendum est hoc argumentum, si potentia deficiendi non reducitur ad actum, est ociosa; ergo si reducitur, per se reducitur, & à natura, eius reductio intenditur. Non est dubium, si possibilitas deficiendi potentiæ uisiuæ non reduceretur ad actum, quod potentia illa deficiendi, esset ociosa; at si reducatur, & fiat cæcitas; non dicendum est propterea, cæcitatem habere causam per se, & à natura intentam. Si tamen ratio aliquid concludit; demonstro, non ut est monstrum, concludit, sed ut species est quædam in natura, & de defectu causæ, non ut defectus, sed ut, ex modo deficiendi, causa alia per se, &
C positiua statim insurgit.

AD tertiam,& ultimam rationem dicendum est; quòd temeraria, ut monstra, sub ratione qua monstra sunt, sunt (ut paulò ante dicebamus) priuationes; priuatio uerò est non ens; non ens autem non potest esse de integritate, & perfectione uniuersi, nisi ualde per accidens, ad quem modum furis suspensionē, dicimus esse de perfectione ciuitatis. sub ea tamen ratione, qua ea, quæ appellamus monstra, entia quædam, & naturæ quædā sunt; possunt esse de integritate uniuersi; Quoniam species quædam in natura sunt, & habent per se causam,& sunt à natura intenta, idcirco mūdi integritatē, & perfectionem per se faciunt, sed ita sumpta,& hoc modo considerata, monstra nō sunt. Ad confirmationem, dicimus, quòd effectus per accidens, sunt in duplici differentia; quidam secundum quid, quidam simpliciter. Illum uoco per accidens secundum quid, cuius causarum cōcursus ab una earum intenditur, ab altera non; ut fit cum clàm inimicum suum quispiā aggreditur, inimicorum certè concursus ab uno tantùm, ab inuasore.s. intenditur. Simpliciter uerò illum uoco, cuius causarum concursus, à nulla earum intentus est. Iste quidem, ad quod uolueris, comparatus, semper est per accidens, etiam si ad cœlum, & ad Deum retuleris; quod inferius commodius demonstrabimus. Ille uerò si ad eam causam referatur, intuitu cuius casualis dicitur, &
D temerarius est, & per accidens. Vt semper effectus quilibet, qua casualis est, per accidens sit; & nullo modo causam per se, & essentialem habere dicatur. Et de his in præsentia dicta, sufficiant. De contingentia autem an sit, & quid sit, & unde sit, tam ad Physicorum opinionem, quàm ad Theologorum catholicam ueritatem, hactenus.

De Necessitate, an sit, & ad opinionem Philosophi, & ad sententiam Theologi inquiritur. CAP. VII.



E CONTINGENTIA, quantum disputationi nostræ sat est, hactenus disseruimus. Verùm tum quia oppositorum eadem est facultas, & disciplina; & unius notitia (quòd mutuò referri illa dicantur) ad alterius cognitionem mirificè faciat. tum quia disputationis nostræ series, & intelligentia deposcit, ut tam necessitatis, quàm contingentiæ naturam in primis diligenter perspectam habeamus (etenim sine ipsius contingentiæ, & necessitatis cognitione, qui fieri potest, ut an rerum euentus necessariò à suis causis, an contingenter emanēt uel

uel non, aliquo modo percipiamus?) propterea de ipsa necessitate, quæ contingentiæ formaliter opponi censetur (quod fusè satis inferius libro tertio, cap. xxxi. declarabitur) ea percurrere theoremata operæprecium fuerit, quæ de ipsa iam contingentia declarata fuerunt. Omnis igitur non inepte philosophantium, sed in primis Peripateticorum schola, in æternis omnibus, quà æterna sunt; siue numero, siue etiam specie, æterna illa sint; necessitatem absolutam affirmauit; etiam si in eorum aliquibus, dependentiam non negauerit. Cœlum sanè, ad Physicorum disciplinam, & si à superiore substantia dependeat, omnino tamen, ad illorum dogmata, & ineuitabili necessitate, & est, & mouetur. ad eundem modum inferior intelligentia, & si à superiore dependere censeatur; simpliciter tamen, & absolutè necessaria est; præsertim penès Aristotelem, quem à præceptore Platone in hac causa non dissentire, tenent Alexander Aphrodisieus, Ammonius Alexandreus, Ioannes cognomento Philoponus, Simplicius, Syrianus, & uniuersi denique Græci Aristotelis fideles interpretes. Nec profectò, cum in Timæo Plato, tempus ortum habuisse, aut cæteros intellectus, & inferiores Deos ad suam æternitatem summi illius Dei, quem Deorum Deum patrem, atque opificem loco citato idem Plato appellauit, opera indigere, asseruerit; aliud nobis, quàm & temporis ab æuo, & inferiorum intellectuum à superioribus, & cunctarum denique rerum ab uno Deo Opt. Max. dependentiam significare uoluit. Quamobrem hæc in scholis Philosophorũ, Platonis præsertim, & Aristotelis, & aliorum candidius philosophantium, absolutè necessaria est enuntiatio. Cœlum mouetur. Et ista similiter. Equus est animal; etiam si huius quidem à cœlesti corpore, illius uerò à superiore substantia, ueritas in esse dependeat. Quòd æternis temporibus & cœlum sit, idemq; moueatur, et equus sit, idemq; sit animal. causa enim inhærentiæ prædicati in subiecto in his propositionibus, ad eorum disciplinam impediri non potest. Nostri Theologi, quamuis cum Philosophis, in illo conueniant, quòd in æternis absolutam necessitatem confiteantur, discrepant tamen ab eisdem; quoniam illi innumera æterna astruunt; hi uerò unum Deum benedictum. Ad calcem namque prioris ad Timotheum epistolæ, Paulus ita scribit. Quem suis temporibus ostendet beatus, & solus potens, « Rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem. Et lib. secundo Ma- « chabæorum, capite primo dicitur. Deus solus iustus, solus omnipotens, solus æternus. Sed de « necessitate eorum, quæ æterna esse dicuntur, hactenus. Ea autem, quæ neque à Theologis, neque à Physicis, æterna dicuntur, sed caduca, fragilia, & temporaria sunt; secundum philosophantium disciplinam, necessitatis duplicem speciem recipere possunt; tum conditionis, tum relationis. Causæ enim naturales, & naturaliter agentes, à causis item superuenientibus, non impeditæ, non possunt, secundum Aristotelem, & aliorum rectè philosophantium disciplinam, pro ratione suæ uirtutis, & naturæ in materiam prædispositam, & modo debito approximatam, effectum non producere. Hanc quidem necessitatem relationis, ego necessitatem uoco; quòd effectus in suas naturales causas referamus, à quibus, iis, quæ requiruntur, conditionib. positis, non produci non possunt. Illam uerò necessitatem, conditionis necessitatem ego appello, quàm Logici necessitatem consequentiæ nuncupauerunt. Ea autem est, quando uno posito (& si illud, quod ponitur & cõtingens sit, & contingenter ponatur) alterum tamen prorsus, & ineuitabili quadam necessitate consequitur, etiam si illud, quod sequitur, contingens, uel etiã casuale esse possit. Exemplum. Si Socrates currit, Socrates ineuitabili necessitate mouetur. Quamuis enim accidentarium sit penitus, & aliquando etiam causuale, Socratem loco moueri; supposito tamen quòd currat; etiam si contingenter currat, ipsum tamen moueri, est adeo necessarium, ut non moueri, sit penitus impossibile. Priorem illam necessitatem, qua effectus in causas suas retulimus; in duas partes diuidere possent accuratiores. quoniam & si naturalis causa, in materiam prædispositam, non impedita de necessitate agat; impedita tamen, pro ratione impedimenti, aut non agit penitus, aut ægrè. Impediri autem potest, uel à nobis, uel à causa superiore. Quamobrem si effectus temporaneus à causa naturali euenerit, quæ à nobis nec impedita sit, nec impediri potuerit; absoluta & ineuitabili quadam relationis necessitate, euenisse dici potest: ineuitabilitatis nunc ratione latius sumpta. ut nauis mersio ex tempestate, domus euersio ex terræmotu; arboris ustio ex ictu fulminis; & alia id genus innumera. At si à causa euenerit, quæ potuerit à nobis impediri, & non impedita fuerit, necessitate quidem illum euenisse dicemus; sed non ita, ut prius, ineuitabili. cùm clarissimum sit, potuisse à nobis effectum uitari. Omnis necessitas relationis, conditionis etiam necessitas appellari poterit, non contrà. quoniam in necessitate relationis non solùm in causas effectus referimus; sed ponimus præterea (ecce conditionem) quòd causæ ponantur, & positæ non impediantur; à quibus demum non impeditis non potest, non sequi effectus. Et huius generis innumera sunt apud Physicos necessaria. Quæ quidem, quoniam necessaria sunt, eo modo, quo necessaria sunt; non esse non possunt. ut autem non possunt non esse; speciem quandam ineuitabilis necessitatis præseferre uidentur; à qua nihilominus ineuitabili necessitate, sæpe longissimè absunt. At paulùm ad Theologos nostros me conuerto, penès

A nes quorum catholicam ueritatem, præterquàm in repugnantibus, & in his, quæ ex conditione nuper diximus, esse necessaria; qualia sunt illa, Si currit mouetur; Si est equus, est animal; currere certè, & non moueri; equum esse, & non esse animal (quod idem de aliis huiuscemodi infinitis sentiendum est) implicant, & contradictionem includunt; ut illa fieri sit penitus impossibile. His, inquam, & aliis id genus, exceptis, nullum, non in iis inferioribus, & materiatis tantùm, sed in uniuersa prorsus creaturarum natura, necessitatis genus asserendum est. Nec est in istis (quæ dicta sunt) absoluta aliqua, aut ineuitabilis, sed tantùm conditionata necessitas, quæ nihilominus, quoniam, antecedente supposito, non sequi consequens, est impossibile; ineuitabilis necessitatis speciem, præ se ferre uidentur. Nullam namque relationis ineuitabilem necessitatem, aut in iis, quæ temporanea sunt, aut in illis, quæ à Physicis æterna putantur; confiteri, Theologi nostri coguntur, quòd omniũ & naturaliter, & liberè, & temporaliter, & æuiternè agentium uim ac potestatem impedire, suspendere, uel etiã in oppositam suæ uirtuti operationem trahere, & impellere Deus ualeat; ut inter omnes naturales causas, nulla sit, quæ tantum uirtutis habeat, ut absolutè, & simpliciter impediri nõ possit. Quamobrem cogitaui sæpe ego, quid, exclusis Physicorum principiis, quibus Theologus minimè tenetur, poterat in mentem uenire D. Thomæ doctissimo, qui & in lib. secundo Contra Gentiles cap. xxx, in quibusdam creatis rebus, absolutam necessitatem, debilibus admodum rationibus, asseruisse; & in plerisq; suæ Theologiæ locis, multos effectus absolutè necessarios construxisse; quibus causas etiam simpliciter necessarias connexisse, uidetur. Vt ea quidem dixerit absolutè necessaria, quæ corruptibili, & potentiali carent materia; & illos effectus absolutè necessarios asseruerit, quorum causæ essent necessariæ. Ea uerò contingentia, quæ materiæ potentia sui partem haberent. Et illos effectus contingentes, quorum causæ contingentes essent. Sed, quæso, inter effectus omnes, qui in toto mundo, uniuersoq; Orbe reperiri possunt; quos'nam magis necessarios iudicabimus, quàm ignem urere? Cœlum moueri? Solem lucere, uel etiam moueri, & ulterius (ita dixerim) progredi? si enim ista, effectus absolutè necessarios ille non existimat; nescio, quæ alia possunt illi uideri effectus absolutè necessarii. Hæc autem quòd absolutè, & simpliciter contingentia sint, ex sacris literis liquidò edocemur. Nam & tribus pueris ignem accensæ fornacis, & B. Ioanni Euangelistæ feruentis olei dolium pepercisse; & Solem ad iussum Iosuæ perstitisse; et precibus Isaiæ etiam retrocessisse, & sub morte D.N. non illuxisse, in sacris codicibus legere possumus. Non equidem negamus, effectus illos esse simpliciter, & absolutè necessarios; quorum causæ sunt absolutè & simpliciter necessariæ; & impediri non possunt, sed ad quem modum, creaturam aliquam, causam absolutè necessariam, & minimè impedibilem ille faciat; non intelligo. Cum in sententiam B. Augustini super Gen. ad lit. communi consensu, Theologi omnes, ipso etiam D. Thoma non excepto, facillimè ueniant; quæ est; quòd ad esse quod creaturæ obtinent omnes, non secus illas se habere, quàm aeris illuminatio, ad lumen solis se habeat. Habenti igitur in se ipsis cunctæ deficiendi principium, sicut aer tenebrarum absente solari lumine: ut non solùm impediri quælibet, sed etiam non esse posit. At hæc missa faciamus. Manifestum igitur hactenus factum est, quæ sint absolutè, & ineuitabiliter necessaria: quæ rursus minimè ineuitabiliter. Quæ item etsi non sint, dici tamen, utcunque possunt, ineuitabiliter necessaria; & quæ ineuitabilis præseferre necessitatis speciem uideantur; & quomodo; tam ad physicam disciplinam, quàm ad Theologicam ueritatem. Quæ enim causam habent necessariam, & quæ impediri nullo modo posit; ineuitabili necessitate eueniunt. At ea quorum causæ impediri possunt, ineuitabili necessitate non eueniunt, & si euenire non illa uideantur.

D

Quid sit necessitas penès Physicos, & penès Theologos, declaratur. CAP. VIII.



De secundo Theoremate, quod deinceps sequitur; hoc est, quid necessitas sit; nunc est dicendum. Inquirimus autem non illius necessitatis in hac nostra disputatione, diffinitionem, quæ commodum, uel utile magis, quàm necessitas sæpenumero dicitur; sed eius, quæ uerè necessitas, & propriè nuncupatur: & ipsi contingentiæ, è regione, & formaliter opponitur. Nisi forte, quemadmodum superiori capite diximus, necessarium esse trifariam, simpliciter, relatione, & conditione: ita triplicis necessitatis deffinitionem inuestigare uoluerimus. Et illius, quæ contingentiæ ex diametro, & formaliter opponitur; quæ uerè sola, & propriè, & simpliciter necessitas est, necessitatisq; nomen sibi sola iure uendicare, meretur. Et illius, quæ ad causam non impeditam, sed sua natura operantem, consequitur; quam necessitatem, relationis necessitatem uocabamus: Et illius præterea, quæ aliunde, siue ab extrinseca aliqua causa, & minus forte naturali, rebus accidere potest, per uiolentiam, & coactionem; siue per simplicem cuiuspiam

iuſpiam accidentis inhæſionem; ſiue per cuiuſpiam rei poſitionem; eſſe intelligitur; quam neceſsitatem, conditionis neceſsitatem nos prius appellabamus. de his igitur tribus neceſsitatibus ad ampliorem ipſius neceſsitatis, doctrinam, quid unaquæque ſit, inueſtigandum à nobis nunc ſupereſt. Dicimus igitur, quòd ſicut contingentia illa, quæ uerè, & propriè, & formaliter eſt contingentia; modus eſt (ut dictum fuit prius) rei cui ineſt, intrinſecus, & poſitiuus, quo id, quod eſt, natura ſua, id eſt, ex aliquo ſibi interno, & naturali principio, & eſſe, & non eſſe poteſt. Fortuna autem, & temeritas modi ſunt contingentiæ (ita dixerim) extrinſeci, & rebus quibus adueniunt, extrinſecus omnino aduenientes: qui fuſius ſumpto contingentiæ nomine, modi contingentiæ nuncupari poſſunt. ita neceſsitas illa, quæ è regione propriæ huiuſcemodi contingentiæ opponitur, modus eſt rei, cui ineſt, intrinſecus, & poſitiuus (non enim eſt neceſsitas quid additum, extra animum, ſuper eſſe rei; ut nonnulli, quos, in Deſtruct. diſp. III. dub. XIIII, repræhendit Auerr. falsò exiſtimauerunt) & eſt, illius rei quæ neceſſaria eſt, modus, & proprietas quædam intrinſeca, & naturalis, qua id, quod eſt, ſua natura, hoc eſt, ex ſibi inſito, & naturali principio, abſolutè, & ſimpliciter non eſſe non poteſt. Alii autem neceſsitatis modi extrinſeci ſunt, & rebus, quibus adueniunt, extrinſecus penitus accedentes: qui fuſius ſumpto neceſsitatis nomine, non autem uerè, & propriè, neceſsitates appellantur. Et quamuis de iſta tantùm neceſsitate, quæ (ut diximus) rei intima, & naturalis eſt; qua etiam neceſſaria dicuntur illa, quæ uerè, & proprie, & ſimpliciter, & ineuitabiliter neceſſaria ſunt: ſufficeret nobis ſermo; tum quoniam ſola illa contingentiæ, ut ſuperius diximus, & iuferius libro tertio, capite XXXI, copioſè demonſtrabimus, è regione opponitur; tum quoniam Stoici neceſsitatem abſolutam, quam Fatum appellarunt, & ineuitabilem prorſus, in cunctis rebus ita tuentur, ut ab extrinſecis cauſis, ſicut in libro primo Quæſt. naturalium, cap. III, teſtatus eſt Alex. Fatum deduci minimè omnium fateantur. Quia tamen Fati aſſertores quamplurimi, rerum, & euentuum extrinſecam cauſam, hoc eſt, cauſam effectricem à forma, & natura rei, quæ efficitur, longè diuerſam, illud eſſe aliquando aſſeruerunt; & ipſi etiam Stoici, æternam quandam cauſarum colligationem, quæ ab æterna diuina præordinatione procedat, Fatum dixerunt: in qua, ut multas, uel ipſis inuitis, extra rem, & rei naturam, & euentum cauſas eſſe neceſſum eſt; ita in eam neceſsitatis ſpeciem, quam relationis paulò ante appellabamus, ut Fati neceſsitatem conſtituant, eſt neceſſarium. non ab re propterea fuerit: neceſsitates etiam illas conſiderare, & definire, quæ modi rerum extrinſeci eſſe perhibentur: quales, ut diximus, citra controuerſiam, & conditionis, & relationis neceſsitates ſunt; quas nulla certè difficultate tunc diffiniemus, uel deſcribemus potius; quum id, quod de uero, & legitimo neceſſario dictum fuerit; uidelicet, quòd illud ſit, quod ſua natura, & ab interno, ac naturali principio ſimpliciter, & abſolutè, atque ineuitabiliter non eſſe non poteſt, ad omne, quod modo aliquo neceſſarium eſſe dicatur, commodè, & pro neceſſarii natura transferemus. Omne etenim neceſſarium, quà neceſſarium eſt, non eſſe ineuitabiliter ſuo modo non poteſt. Et ſi quoddam neceſſarium ſit, quod ab interna, quoddam uerò, quod ab externa cauſa, ineuitabilitatis ſuæ principium recipiat. Si nanque paleæ apponatur ignis; non poterit non ſequi incendium: hæc autem neceſsitas, eſt neceſsitas relationis. Qui ſimiliter quidpiam coactus agit; illud idem, ut patet, quod agit, non agere non poteſt. Lapis etiam, qui ui quapiam in altum defertur, quantum ad ſe attinet, pro impetus ratione, non aſcendere, ac ſurſum ferri non poteſt. Qui homo eſt, non poteſt non eſſe animal; Item qui currit; non moueri non poteſt. neceſſaria ſunt nanque hæc omnia, neceſsitate conditionis, aut relationis. Quin etiam æger, qui ſanitatis eſt cupidus, quatenus utilitati ſuæ conſulit, & ſaluti, in phlebotomiis, & uenarum ſectionibus, chlyſteriis, potionibus, & aliis huiuſcemodi, medico non obtemperare non poteſt. Quæ neceſsitas, & ſi commodum, & utile dicitur; nihil tamen prohibet, ut ſub conditionis neceſsitatem utcumq; reducatur: quòd uno poſito, aliud modo quodam ineuitabili, non ſequi non poſsit. Illi igitur neceſsitatis modi, qui ab extrinſeca etiam cauſa fiunt, ſiue ea ſecundum ſubiecti naturam patientem moueat; ſiue præter, uel etiam contra patientis, & ſubiecti naturam, impellat; & qui cauſarum complicatione, à Stoicis, & colligatione, conſequentia quadam ineuitabiliter fieri dicuntur: non penitus negligendi, & à noſtra conſideratione abigendi ſunt: quoniam & ſi re uera modi extrinſeci ſunt (quicquid ſecus Stoici ſomniauerunt, putantes neceſsitatem ex nexu cauſarum prodeuntem, non ſolùm abſolutam, & ineuitabilem eſſe, ſed etiam euentui rei intrinſecam eſſe, & naturalem) & eius contingentiæ, quæ uerè, & propriè contingentia dicitur, rationi haud formaliter opponantur; illorum tamen, ut dictum eſt, plurimi, qui fatum aſtruunt, illud, neceſsitatem eſſe ineuitabilem, uel per agentis naturalis uirtutem, uel per cauſarum nexum, & conſequentiam, uel etiam per cuiuſpiam rei poſitionem, extrinſecus rebus accedentem, non negarent. Dicamus ergo, quòd neceſſarium ſimpliciter, eſt illud, quod ſimpliciter, ideſt natura ſua, & ab interno principio non eſſe non poteſt. quod quidem, uel non habet cauſam, ut Deus ipſe, uel ſi habet, illa nec impeditur, nec impediri poteſt. ut quod à Deo immediatè fit. Neceſſarium ex relatione,

A tione, est illud, quod non quidem simpliciter, & ab interno principio, sed secundum quid, idest ab extrinseco principio, & à causa, uel naturali, & naturaliter operante, uel etiam minimè natura li, modo tamen aliquo in naturalem redacta, sed non impedita, non esse non potest. Nec te moueat, quòd dixerimus à causa uel naturali, uel minimè quidem naturali, modo tamen aliquo in naturalem redacta, quasi à causa nō naturali, ut non naturalis est, huiusmodi necessitas prouenire non possit. Nam ideo à causa tantùm uel naturali, uel in naturalem redacta, eam necessitatem euenire posuimus; quoniam & si euenta plurima, præter, uel etiam contra intentionem, & propensionem, ac naturam & subiectorum patientium, & agentium remotiorum eueniant; sunt tamen omnia illorum quàm propinquorum, ac immediatorum, & patientium, & agentium naturalia, exemplum. Incendium & si accidat paleæ, contra eius formæ naturam; est tamen secundum naturam, & ab igne excitatum, & in palea receptum. Quin etiam monstrum, ut homo biceps, & si contra naturam est patris, siue eius, qui semen in uterum emisit; est tamen secundum naturam illius proximæ, quæ superuenit, causæ; & quæ bicipitem hominem fecit; quæcunq; illa sit. Cum autem necessitas relationis sit in comparatione effectus ad suam quàm proximam caussam, quæ naturaliter agit, diximus propterea necessarium ex relatione esse semper à causa uel natu

B rali, & naturaliter operante; uel in naturalem suo modo redacta. Necessarium autem expositione est omne id, quod uno posito, siue secundum naturam, siue præter, uel etiam contra naturam, illud ponatur; non esse non potest. Sed cùm hoc quod dico [non esse non posse] congruat modo quodam omnibus his tribus necessitatis generibus; manifestum est, quòd & hoc, quod dico [ineuitabiliter esse] singulis necessitatibus dictis, suo modo, conueniat. Quoniam id, quod non esse non potest; sicut non potest non esse, ita esse ineuitabiliter iudicatur; hoc est dictu, quoddam est simpliciter, quoddam uerò secundum quid ineuitabile. sed iam omnes necessitatis modos paucissimis definiuimus. Verùm & si modos omnes necessitatis definierimus; & neminē, ut dictum fuit, contempserimus: de eo tamen, in suscepta disputatione, necessitatis genere, potissimùm est nobis sermo; quod contingentiæ per se, & formaliter opponitur, & rei, uel euentus illius, qui necessarius dicitur naturæ quàm intimum est; undecunque illud eueniat: quod aliquando absolutè necessarium; aliquando uerò necessarium ineuitabile dicitur; quoniam uidelicet euitari illud, & declinari, aut illius causa impediri non possit: de hoc inquam nobis potissimum sermo est. Quoniam hoc unum nostræ disputationi mirificè, & plenè deseruiat; in qua perquirimus, an res, & rerum euentus necessariò penitus, uel contingenter, hoc est ineuitabili-

C ter'ne, an euitabiliter absolutè, & simpliciter eueniant. alia nanque præter hoc unum, necessitatis genera, ut illud, quod dicitur commodum, uel utile, & huiusmodi; quin etiam ea, quæ relationis, uel conditionis necessaria nuncupauimus; ut diffusè inferius notum erit; contingentiæ potius quædam sunt, quàm necessitates; & euitari illa sine dubio possunt; quoniam & eorum posita causa potest impediri; & id, quod ponitur, potest non poni, & non esse. Illud autem unum necessitatis genus, quod contingentiæ per se, & formaliter opponitur; est modus, ut prius dictū fuit, intrinsecus, & intrinseca quædam rei, uel etiam euentus (si aliquis euentus sit ita necessarius) proprietas, à ratione, ut paulò post dicetur, formæ, & intrinsecarum causarum desumpta, atque ita desumpta, ut id quod illo modo necessarium est; absolutè, & simpliciter, & ineuitabiliter est; & non esse non potest. Alia autem omnia necessitatis genera, sunt modi extrinseci, & aduentitii: non à ratione formæ rei, & intrinsecæ cuiuspiam causæ, sed à ratione efficientis, uel finis, uel alterius cuiuspiam extrinsecæ causæ (si aliqua sit, præter has duas, extrinseca causa) & sæpenumero aduentitiæ, & obiter interrepentis suscepti; quas contingentiam, uel etiam, temeritatem magis, quàm necessitatem indicare, suo loco demonstrabimus. Quam rem cum animaduertissent Stoici; errori errorem addiderunt, & ab extrinseca causa (quamuis ab illa perpetua cau

D sarum serie, à qua si esset, intrinseca etiam rei cuiusque natura ortum duceret) fati rationem, propriam uocem ignorantes, se sumere, non sunt arbitrati: quòd præcedentem causam, non ex accidenti aliquando, sed ex se, & per se posteriorem causam semper generare existimauerint: sic ut inter ipsas causas omnes, esse essentialem ordinem, facilè opinati fuerint. posterior autem causa, & si causa sit sequentis effectus; est tamen effectus præcedentis causæ; uel potius totius ordinis præcedentium causarum: ut omnes omnino effectus, à causis, à quibus, generantur, per se, & essentialiter ita generari, arbitrentur: ut nec ab aliis causis generari queant: nec ab iis ne generentur, aliquo modo impediri possint. Sed de necessitate quid sit, hactenus.

E

Vnde neceſſitas ortum ducat, & iuxta Philoſophorum, & iuxta Theologorum dogmata, declaratur, Cap. ix,



Ertio loco de Neceſsitate conſiderandum ſupereſt; unde, ſiue á quibus cauſis originem neceſsitas ipſa trahere dicatur. Omiſsis nunc illorum opinionibus, qui fatum, in rebus uniuerſis, & ineuitabilem neceſsitatem ſtruxerũt; qui à primis ab ſe conſtitutis principiis, quæcunque illa fuerint, ſiue cœlum, ſiue unum elementorum, uel plura, ſiue atomi, & minuta corpuſcula, ſiue diuina præcognitio, & diuina prouidentia, ſiue nexus quidam cauſarum, ſiue aliud quodcunque, cunctam neceſsitatem uiſi deduxiſſe fuerunt. de quibus omnibus opportuniore loco dicemus uberius. Ariſtoteles, & alii, qui rectius, candidiuſque philoſophati fuerunt; quemadmodum contingentiam omnem, ut ſuperius diffuſè ſatis declaratum fuit, à materia, & ab ea, quæ omnium formarum in materia eſt priuatione, & potentia ad eaſdem germinare dixerunt; à qua imbecillitas etiam efficientium cauſarum procedit: ita omnem neceſsitatem à forma, & ab eo, qui in forma reperitur, actu oriri, & quaſi ſcaturire aſſeruerunt: à quo plurium ſæpe qualitatum, & connatarum proprietatum cumulus, ſequela quadam, & comitantia, deriuatur. Ea nempe neceſsitas, quæ uerè, & propriè neceſsitatis nomen meretur; & quæ ipſi contingentiæ per ſe, & formaliter opponitur (ut ex libro ſecundo Phyſicarum auſcultationum cuiuis qui philoſophiam uel à limine ſalutauerit, notiſsimum eſſe poteſt) à ſubſtantiali forma, & à formæ ſubſtantialis habitu, & actu, atque ab eiuſdem actus conſtantia, & ab earum proprietatum, quæ hunc actum comitantur, ſequela, originem ducit. Sed ſi non de ea tantùm, ſed de omni ſuperius poſito neceſsitatis genere, loquendum ſit; dicimus in uniuerſum; quòd ſicut omnem contingentiam à materia deduximus; ita neceſsitatem quamlibet à forma, non quidem ſubſtantiali tantùm, ſed uel à ſubſtantiali, uel ab accidentali, & quæ per accidens ineſt, originem trahere, exiſtimare debemus. Si quid enim aliter quàm ſit, ſe habere non poteſt; uel ſimplex eſt forma, uel ſaltem hoc quod eſt (non poſſe aliter ſe habere) habet beneficio cuiuſpiam formæ, uel ſubſtantialis, & naturalis, uel accidentariæ, & aduentitiæ. Deus propterea, qui ſimplex forma eſt; ab Ariſtotele lib. de Mundo, non ſolùm quid neceſſarium, ſed etiam neceſsitas, eſt appellatus. Verba Ariſtotelis, in quibus alluſiſſe ille uidetur, opinioni eorum, qui fatum, & ineuitabilem in cunctis rebus neceſsitatem à Deo eſſe dicebant; ex interprete hæc ſunt. Equidem neceſsitatem ipſam etiam nihil aliud, quàm Deum dici cenſuerim, & intelligi. Hæc ille. Idem dicimus de ſententia Theologi; penès quem, ſicut omnem paſsiuæ potentiæ materiæq; contagionem Deus ſolus abſolutè, & modis omnibus excludit; ita ipſe ſolus, & ſimpliciter neceſſarius eſt, & abſolutè neceſsitas nuncupari poteſt. Et hanc, quam habet Deus, abſolutam, & ſimplicem neceſsitatem, non ſolùm alii à ſe non communicauit, ſed neque communicare ille potuit. Hoc eſt dictu; illam tantam neceſsitatem, alteri communicari non erat poſsibile. Contradictionem nanq; implicat, ut alibi fuſius declararunt Theologi noſtri, plura eſſe, quæ illo modo, quo Deus neceſſarius eſt, neceſſaria ſint; nihil minus, quàm plures eſſe Deos. Diuina nanque ſublimitas habere conſortem non poteſt; cùm ſola omnem teneat poteſtatem. Sed quamuis ſolus Deus ſit abſolutè, apud Theologum, & ſimpliciter neceſſarius; & ex relatione apud eum (ut prius diximus) abſolutè neceſſarium ſit nihil; multa tamen ſunt, apud eundem, ex conditione, ſiue ex ſuppoſitione, ut ſuperius dicebamus, ita neceſſaria; ut aliter eſſe, ſit penitus impoſsibile. ut hac ratione, abſolutè etiam, & ineuitabiliter neceſſaria dici poſsint. Quorum omnium neceſsitas à forma antecedentis (quæ enim ex ſuppoſitione neceſſaria ſunt, connexione duorum enunciatorum exprimuntur) ſiue quod idem eſt, à forma ſubiecti, quæ quidem ſubiecti forma, per prædicatum antecedentis exprimitur, ducit originem. Antecedens autem illud eſt, quod poni dicitur. Et ideo quemadmodum antecedentis prædicatum, poteſt & ſubſtantialem ideſt, quæ per ſe, & accidentalem, ideſt quæ per accidens inſit, formam dicere: ita & forma, à qua hæc ſuppoſitionis neceſsitas ſumitur, & accidentaria per accidens, & ſubſtantialis, & propria eſſe poteſt. Exemplum, quando ab ipſa rei, quæ ſupponitur, ſpecie, natura, & forma ſubſtantiali ortum deducit, eſt; ut ſi dixero, Socrates eſt animal. Hæc nanque propoſitio & apud Philoſophum, & apud Theologum ex ſuppoſitione ſubiecti, ſiue ex ſuppoſitione formæ illius, quæ per prædicatum antecedentis intelligitur, eſt neceſſaria. ſit autem uerbi cauſa antecedens, Socrates eſt homo. ſiue etiam, Socrates eſt. Nempe ad utrumque aſſumptum, ineuitabili neceſsitate ſequitur: ut Socrates ſit animal. Profectò, & ſi ſubiectum aliquando ſit, aliquando non ſit, (non enim neceſſarium eſt Socratem ſemper eſſe) poſito tamen quòd ſit; non eſſe animal, eſt impoſsibile. Impoſsibile nempe eſt prorſus, ut Socrates ſit, & idem non ſit animal. Quoniam autem exiſtentia non diſtinguitur à candidis Philoſophis, ab eſſentia; huic propterea conſequenti, Socrates eſt animal (cuius neceſsitatem à forma ſubſtantiali ſubiecti antecedentis ſumi diximus) duplex antecedens aſsignauimus,

A uimus, tum illud, Socrates est homo, tum hoc, Socrates est. Et diximus utriusque antecedentis prædicatum, formam substantialem subiecti dicere. Quòd illius etiam posterioris antecedentis. Socrates est, prædicatum, quod est, est, siue ipsa existentia, formam indicat substantialem. Exemplum quando ab accidentali, & aduentitia forma subiecti necessitas emanat, est, ut si dixero. Socrates mouetur: hæc nanque propositio consequentiæ ratione est penitus, & ineuitabiliter necessaria, posito antecedente, quòd Socrares currat. Currere nanque, est forma subiecti antecedentis quidem, sed accidentaria, quæ per prædicatum antecedentis illius, Socrates currit, exprimitur. ex qua, inquam, forma Socratem moueri, tanquam necessarium sequebatur, & ineuitabile. Impossibile profectò est, currere Socratem, & eum non moueri. Illa rursus propositio. Homo est animal. quæ apud Philosophum, non Zenonem quidem, aut Empedoclem, & alios, qui orbem uniuersum temerè conflagratum iri, uel alio modo corrumpi, & dissolui; & denuo generari, & conglobari affirmarunt: sed apud Aristotelem, & Platonem, & alios candidius Philosophantes, qui uel sensu, uel cuiuspiam ratiocinii persuasione ducti, mundum æternum putauerunt; est simpliciter (quidquid Alexander ex Aphrodisiade Philosophus alioqui excellentissimus libro primo Quæst.nat.cap.XXIII, secus sensisse, sit uisus) & absolutè necessaria. Quòd hominem non esse, hoc est humanam formam non existere, & materiæ potentiam (ita dixerim) nõ actuare, sit apud eosdem penitus impossibile. apud Theologum non absolutè, & simpliciter, sed ex suppositione tantùm antecedentis necessaria est; quòd apud illũ, hoc est, penes catholicã ueritatem, humana forma materiei potentiã actuare, uel non actuare possit; & ex consequenti homo ipse possit esse, & non esse. at idem dum est, animal, non esse non potest. Quoniam ita requirit, atque ineuitabili necessitate ita exigit hominis species, & forma. quæ quidem species, & forma, & si à Deo, nulla necessitate, sed contingenter prorsus, pro diuinæ uoluntatis ratione, & arbitrio effecta sit; et tunc, quando ipse uoluerit, illo nihilominus modo est ab eo instituta, & effecta, ut nonnulla eius existentiam, necessitate ineuitabili sequerentur; hoc est ita sequerentur; ut ea posita, illa non poni, & non consequi, ac comitari esset penitus impossibile. Vnde nõ ista solùm propositio, Homo est animal. sed istæ etiam, Homo est rationalis, Homo est substantia, Homo est uisibilis, Homo est erectæ figuræ, & aliæ id genus innumeræ; quæ illam, Homo est, de necessitate ita consequuntur, ut non consequi nequeant; ad philosophorum dogmata sunt ita simpliciter, & absolutè necessariæ, sicut illa, Homo est animal. uel etiã illa, Homo est. Ad theologicam autem ueritatẽ, sunt necessariæ tantũ ex suppositione. Quoniam illa, Homo est animal, uel illa etiam, Homo est. est similiter tantùm ex suppositione, apud illũ necessaria. Omnis igitur, quæ uel in hac propositione, Homo est animal, uel in aliis, quas expressimus, Et illis similib. omnibus, apparet necessitas; ab ipsa forma subiecti siue suppositi, siue quod idẽ est, à prædicato antecedẽtis, hoc est ab hominis existentia (nempe antecedens erit illud; Hõ est) ut patet, deducitur. Et quod de necessitate istarum propositionum dictum est, idem de reliquis, quas, tam apud Theologum, quàm apud Philosophum ex conditione, & positione necessarias appellauimus, dictũ esse opinari debemus. illius semper memores quòd multæ propositiones apud Physicũ simpliciter necessariæ existimantur; quæ apud Theologum tãtùm ex suppositione necessariæ sunt. De illis uerò enunciationibus quas ex relatione necessarias appellauimus; & sunt illæ, in quibus prædicatum non inhærentiam tantùm, ut in prioribus, dicit, sed actionem præterea quampiam naturalem, actualem, uel aptitudinariam significat; ut sunt istæ, Cœlum mouetur, Sol lucet, Ignis urit, & id genus innumeræ. Dicendum est; quòd in his, & aliis huiuscemodi enunciatis omnibus, ad Theologorum sententiam, & catholicam ueritatem, uel nulla (ut semel, atque iterum dictum fuit) est necessitas, uel saltem non est in eis aliqua necessitas, ut prædicata relationem, & actionem important; etiam si illa adsint omnia, quæ ad actionem requiruntur. quòd ablatis etiam omnibus, quæ à quauis causa naturali, prouenire possunt, impedimentis, apud theologum possibile sit (ut prius dicebamus) cœlum non moueri; Solem non lucere; ignem non urere. Sed si in huiusmodi propositionibus, theologicè loquendo, necessitas aliqua sit, erit tantùm, ut prædicata aptitudinem dicunt; & nec tunc ex relatione, sed ex conditione tantùm, siue ex suppositione, hoc est, posita suorum subiectorum existentia. Nempe si cœlum sit, ex necessitate consequitur, non quidem ut circulo statim moueatur, sed ut moueri possit. Si ignis sit, sequitur similiter necessariò, non ut urat, sed ut urere ualeat. Non enim absolutè, & simpliciter necessarium est, ut uel hic urat, uel illud moueatur, etiam si existat. At secundum opinionem Physicorum, huiuscemodi propositiones omnes sunt etiam ex relatione simpliciter, & absolutè necessariæ, quantum uidelicet necessitati ex relatione, absoluta necessitas cohærere potest. Tum quia uirtutes illæ, quibus naturaliter agunt agentia naturalia, non sunt in agentium potestate, sed necessariò, quantum ad se attinet, in actionem ita ruunt; ut non ruere non possint, si adsint ea, quæ actionem recipiant, & non impediantur. tum etiam quia in tota specie impediri nulla possunt; quædam uerò neque in indiuiduo. Dubitare forsan hoc loco lector diligens poterit, de illis propositionibus; Homo ridet. Ho

mo intelligit. Homo hominem generat, & huiuſcemodi; an ad Peripateticorum doctrinam ſint cenſendæ ſimpliciter neceſſariæ; quum homo in ſuis operationibus, & Peripateticis, & cordatis cæteris Philoſophis, ſui iuris eſſe, uideatur; unde nullam neque relationis, neque conditionis uidentur, ad Phyſicorum etiam dogmata, iſtæ propoſitiones habere neceſſitatem. Sed ſine dubio ſunt & iſtæ ad Phyſicorum dogmata ſimpliciter, & abſolutè neceſſariæ. Verum eſt tamen quòd bifariam ſumi poſſunt earum prædicata, uel ut dicunt aptitudinem tantùm, uel ut cum aptitudine actionem coniunctam important. Primo modo abſolutam neceſſitatem habent tam in ſingulis indiuiduis, quàm in tota ſpecie, ſi occaſionatos præſertim, & ad non nulla obeunda præter naturam diſpoſitos quoſdam excipiamus. At ſecundo modo, tantùm in ſpecie, & in uniuerſum. Neceſſum eſt.n. ad Phyſicorum dogmata, Peripateticorum præſertim (quod uberius in quinta commentatione libri tertii de Anima ab Auerroe declaratum fuit) ut ſemper aliquis homo rideat, aliquis generet, aliquis intelligat, quininmo aliquis etiam ſit fœlix. Sed hæc de primo eorum, quæ propoſuimus conſideranda, hoc eſt, de Contingentia, & de Neceſſitate, atque de iis, quæ tanquam proloquia erant nobis ſupponenda, ſufficiant.

IVLII SIRENII CARRARII HIERONYMIANI, THEOLOGI, ET PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

De Fato liber tertius.

In quo præcipuè de Fato agitur.

In hoc libro tertio de Fato, quomodo sit à nobis procedendum.

CAPVT PRIMVM.



VM de contingentia, & de necessitate, satis hactenus, ut suscepta à nobis disputatio postulabat, dictum fuerit; ostendimusque, & quòd sint, & quid sint, & à quibus causis ambæ originem ducant. quæ omnia tanquam suppositiones, & proloquia, ad rem, de qua disputaturi sumus, præmissa sunt. Vt qui, ea, uel intelligentia non consequatur, uel non admittat ut uera, frustra ad illa, quæ sequuntur, capescenda laboret: cùm communem hic usum, & significationem utriusque uocis contingentiæ, & necessitatis ignoret. Hac autem ignorata, nullus ad tantæ, tamque difficilis rei, de qua disputatur, intelligentiam aditus relinquetur. Nunc illud superest; ut ad rem ipsam propius accedamus, atque de Fato, quod rerum, & euentuum, uel omnium, ad quorundam opinionem, uel saltem plurimorum, ad aliorum sententiam; necessaria, & ineuitabilis causa (licet frustrà) existimatur; itemque de diuina prouiden-
C tia, quam nonnulli Fati nomine complectuntur; agamus. Nam & si totus hic, ac uniuersus liber, de Fato est à nobis inscriptus; quippe quòd res, & rerum euentus, de necessitate ne, an contingenter à suis causis eueniant; ubique ipse perquirat; non erit tamen ab re, si huius ipsius libri, quem de Fato inscripsimus, aliqua pars priuatim eidem Fato dicetur: in eaque primùm quæratur, Illud sit nec'ne: deinde si sit; quid sit: postremò à quibus causis proficiscatur, uel potius proficisci existimatur. Neque parum certè ad uitam traducendam refert; credere, uel non credere Fatum esse, & ineuitabilem euentuum cunctorum necessitatem. Non enim, ut rectè inquit Alexander, simili modo operabitur ille, qui fatum esse, crediderit, ut ille, qui illud esse, negauerit. Nempe, si reuera illud fuerit, & extra hominum mentem, in re, & natura constiterit, dubiũ non relinquetur (nisi frustra illud esse dixerimus) euentus cunctos, uel saltem plurimos ineuitabili necessitate euenire; ut illi qui esse illud crediderint, ad labores suscipiendos inepti, propter eam rationem; quam ἔργον λόγον appellauit Cicero, de qua nos lib. de Prædestinatione dicturi sumus, & ad opera perficienda pigri, & segnes reddendi sint homines uniuersi. At si non esse (nisi forte in uana hominum opinione) aut si sit, longè secus, quàm illi existimant, qui aliquam de Fato opinionem hactenus habuerunt, esse ostenderimus; quod ineuitabili necessitate eueniat,
D supererit nihil. Ex quo sanè fiet, ut qui non esse fatum persuasum habebunt: ii suis quisque cõmodis, & utilitati, qua maiore poterint diligentia, inseruient; nullumque non suscipient laborem, & periculum; quo à se, suisq; rebus mala omnia depellant. post hæc autem, de diuina prouidentia, quæ prima re uera, & suprema est rerum omnium causa, differemus, eamq; fati illius, non quod in hominum tantùm opinione consistit, sed quod re uera est, matrem, nec non contingentiæ, & necessitatis altricem; quæ in hoc Orbe uniuerso tanquam in communi nido utrauque ueluti binos pullos, simul fouere, educareque demonstrabimus. In hoc igitur libro, & præcipua quam de fato instituimus, disputatione, ut exactius, perspicaciusq; an fatum sit, uel non sit, intelligere ualeamus, primùm de ea inuestigabimus, quid sit, deinde, an sit, inquiremus; imitati Aristotelem, qui lib. quarto Physicarum auscultationum, de uacuo disputaturus (quòd uacuum, non in rerum natura, sed in opinione tantùm, & uana antiquorum quorundam philosophantium existimatione esset) Primùm, quas eidem assignauerant illi definitiones retulit; illas deinde, quasi an sit, disputaturus, illudq; non esse probaturus, redarguit. Nobis igitur, qui de

de Fato, hoc est, de re, (de Fato inquam, eo modo loquendo, quo de eo Stoici, Mathematici, E quin etiam uulgares promiscuè, & communiter loqui solent) de re inquam, quæ in re nequaquam, sed in opinione duntaxat quorundam hominum est; considerationem aggredimur; nostrorum theorematum, atque in his quidem considerandis, propositi à nobis, ordinis rationem immutare; primumq; quid fatum sit; deinde, an sit; pro instituta breuitate, differere liceat. Quod & si adeo notum, & clarum uideatur Alexandro, ut & nullo modo, Fatum an sit, perquirendum ille censeat; sed quid sit duntaxat; & Anaxagoras Clazomenius, quia fatum negauit, & communi de eodē existimationi reclamauit, minus extiterit apud peritiores fide dignus: quo tamen & nostræ disputationis ordo seruetur, perscrutatioq; de Fato suo ordine progrediatur, & quoniam in opinione de Fato, non penitus cum Alexandro, sentimus, immo ab eo, & Peripateticis omnibus plurimùm dissentimus; idcirco an fatum sit nec'ne, inuestigandum suscepimus. In cuius sanè inquisitione diu nobis, ac multum paulò post laborandum erit. Verùm quemadmodum cum de prædestinatione, alio uolumine, hoc est libro, de Libero arbitrio, atque reprobatione ageremus; missos tantisper Philosophos fecimus; quòd illa à nostris tantùm Theologis tractarentur: ita nunc de Fato disputaturi (quòd à catholicis, & ritè theologiam profitentibus, in F uniuersum ferè fati nomen ignoretur) Theologos, uel prorsus omittemus; uel ex eorum sanctissimis disciplinis, ad calcem huius tertii libelli, paucissima, ut congruum, atque opportunum uidebitur, producemus. Sed iam ad rem ipsam ueniamus.

Opiniones de Fato per diuisionem auctor uenatur. Cap. II.



Plvres, & uarias passim de Fato opiniones, & eidem, à diuersis, diuersas ascriptas definitiones, uel potius descriptiones, & ueluti ipsius nominis declarationes, & circumloquutiones uidere, nulli non licet. ut autem has omnes tam definitiones, quàm opiniones facilius assequamur; utemur diuisione huiusmodi, per quam cunctas de Fato & opiniones, & descriptiones, siue definitiones; & quo singulæ inter se differant, quo item conueniant, depræhendere nulla difficultate poterimus. Duobus conuenerunt Ethnici Physici, Aristotele, & Peripateticis etiam non exceptis, omnes quicunque de Fato opinionē aliquam hactenus habuerunt. G Vnum est, quòd corpora cœlestia, & sidera ipsa, uel tanquam primariæ, & principales causæ; uel saltem tanquàm primarum, & præcipuarum causarum instrumenta principalia, intra Fati rationem constituerentur. Eos nempe qui à causis materialibus, infra lunare globum, existentibus, Fatum deduxerunt; sicut Epicurus, Democr. Leucippus, & eorum sectatores ab atomis; Empedocles ab amicitia elementorum, & inimicitia, alii ab elementis ipsis, uel omnibus, uel aliquibus, aut à corpore aliquo, quod inter elementa medium uisum fuerit; Longè non modò à ueritate, sed à recta etiam opinandi ratione distare; primo libro huius nostræ disputationis, cap. III. utcunque demonstrauimus; ostendimusq; nullam in rebus necessitatem posse à materia oriri; præterquàm in priuationibus quibusdam, quæ priuationes nihil sunt. Sed inferius in hoc tertio libro idem fusius ostensuri sumus; ubi non tam ineuitabili necessitate, quàm, quod implicat, euitabili temeritate, & cœco casu; ad eorum opinionem, qui prima principia materiata esse dixerunt euenire ea, quæ eueniunt cuncta, uberius ostendemus. Sed de uno eorum in quo omnes conuenere, qui non absurdè admodum de Fato disseruerunt hactenus. Alterum est, quod ea, quæ Fato eueniunt, ineuitabili necessitate eueniant. ut, quod in fatis sit, euitare possimus nihil. in his inquā duobus, præter Aristotelem, & eius sectatores (quod inferius suo loco fusius declarabitur) H omnes fati assertores conuenerunt. Aristoteles nanque & Peripatetici, & si multa eorum, quæ Fato eueniunt, ineuitabili necessitate euenire dixerunt; longè plura tamen & Fato, & euitabiliter euenire rectissimè putauerunt. sed hucusque Fati assertores conuenere. Dissenserunt uerò, quia eorum quidam, ut principio libri quinti de Ciuitate Dei notauit Augustinus; & in libro de Fato, ad calcem capitis secundi Plotinus, à sideribus, corporibusq; cœlestibus Deum, & diuinam uoluntatem alienarunt; putaruntque (quicquid interea de Deo sit) uirtutem tantùm, & actionem huiuscemodi corporum, quocunque modo ad nos illa delaberetur, illud esse, quod Fatum iure uocitatur; quòd hæc ipsa regeret, urgeret, & cogeret uniuersa; à qua ineuitaibili necessitate euenirent cuncta, quæ eueniunt. Alii uerò fatalem uim, etsi à motu cœlestiū corporum, & stellarum configuratione quadā, & habitudine ortū illā ducere, & inde adhæc subcœlestia iugiter delabi fateantur; à Deo tamen aliquo modo, atque à Deorum uoluntate, & decreto pendere, paulò rectius, ac moderari, existimauerunt. Non enim cœlestium corporum uirtutem tantùm, sed Deum etiam, diuinamque uoluntatem, intra Fati rationem constituerunt; & Deum, non autem cœlestia corpora, primam rerum cunctarum causam rectius asseruerunt. Verùm hæc opinio subdiuiditur. Quidam nempe intra Fati rationem, præter Deum, & astra, siue cœlestia corpora posuerunt

A fuerunt nihil; alii uerò intermedias etiam causas, quæ inter rei euentum, & primam, supremamq; causam, quæcunque illa sit comprehenduntur, intra fati diffinitionem concluserunt. Priores quidem illi, in duas partes, iuerunt. Quidam Fatum permutabile, quidam uerò (ut paulò inferius declarabitur) impermutabile asseruerunt. Posteriores autem, & qui non Deum solùm, & astra; sed causas etiam intermedias, idest causas, quæ inter primam, supremamq; causam, & rei euentum, concurrunt, intra fati rationem posuerunt; sunt etiam, meo iudicio, bipartiti. Quidam enim omnes secundas; & interpositas causas; quidam uerò non omnes, sed causas tantùm naturales, & naturaliter agentes, intra fati rationem, admiserunt. Sed rursum, priores illi, qui intercidentes causas omnes intra Fatum constituerunt; in duas partes secari possunt; quatenus eorum aliqui, Deum, idest primam, supremamq; causam liberè, sed necessario (non enim libertati necessitas omnis aduersatur) aliqui uerò liberè, & contingenter mouere, & efficere, quæ efficit, asseruerunt. Et utrique fatum duplex esse tradiderunt; partiale, & uniuersale. partiale erit certa, uerbi causa, cœli reuolutio, uel certus causarum ordo, unde certus euentus emanare dicatur. Vniuersale uerò Fatum, erit tota cœlestiũ corporum, & cæterarum mobilium omnium causarum explicatio, quæ
B dam, & series, siue animales causæ sint, siue corporeæ, siue superiores, siue inferiores. unde omnes quotquot in Orbe uniuerso fiunt; ducantur euentus. Illi qui primam causam liberè, sed necessariò agere dixerunt; & præterea omnes, & singulas intermedias causas intra Fatum posuerunt; & eas necessitate quadam mutuò connexas, & complicatas asseruerunt; euadere nequeunt; quin omnia ineuitabili necessitate ita eueniãt; ut possibilis, & contingentis, quod uerè & propriè possibile, & contingens dicitur, naturam de medio statim tolli, sit prorsus necessarium. Et quem admodum isti in omnibus infallibilem necessitatem asserunt (quoniam causa prima ex necessitate operatur, quæ operatur; à qua certus etiam causarum ordo ad unumquenque effectum usque, connexionis necessitate progreditur) ita contrà, illi, qui Deum liberè, & contingenter efficere existimant; necessitatem omnem simplicis, & absolutæ ineuitabilitatis auferunt, & contingentiam in rebus omnibus; aut si in aliquibus, necessitatem admittunt, eam non penitus ineuitabilem statuunt; fatum tollunt, quod nihilominus in cunctis rebus (mirabile dictu) charissimè complectuntur. Hoc autem, ad quem modum, ueritatem habere queat; suo loco quàm clarissimè declarabimus. Sed de diuisione opinionum de Fato, hactenus. sequitur ut de eiusdem definitione dicamus.

Quid fatum sit, ad Mathematicorum opinionem. CAP. III.

C POSTQVAM de Fato iam, per diuisionem, opiniones multas & fortè omnes collegimus; sequitur, ut quid fatum esse existimet unaquæque, uideamus. Sed in primis scitu dignum est; quòd in occultarum causarum inuestigatione, suborta est, inter philosophos, opinio Fati. Et quoniam cùm causa occulta est, Deo, & superioribus causis, quæ in effectum quemlibet influere dicuntur, effectus ascribitur; ideo communi quadam notione, ita à quibusdam fatum definitum est. Fatum est necessitas quædam desuper rebus illata. cum dicitur [quædam] modus necessitatis significatur; quoniam non est quæcunque necessitas; sed necessitas ineuitabilitatis. Cum dicitur [desuper] cœlestia corpora, aut etiam superiores causæ designantur. Sed distinctius, ac (propè dixerim) particulatius, ab uno uel altero modo de eodem opinantibus, de quibus modis, superiori capite, diffusè satis dictum est, diuersimodè definitur. Illi nanque, qui uel astra solùm, & corpora cœlestia, (ut faciunt Mathematici) uel ad summum, cum astris, Deum intra fati definitionem admittunt; illumq; (quicquid agat) quamuis liberè; ex ne
D cessitate tamen agere existimant; hoc modo fatum definire uidentur. Fatum est, quod suus cuique astrorum conspectus necessitate decernit. Vel fatum est dispositio ex actione corporum cœlestium, in rebus inferioribus immobiliter derelicta. Vel fatum est uis cœlestis, qua eueniunt, quæcunque eueniunt. In idem autem incidit postrema hæc definitio cum superioribus. Dicitur primò [uis cœlestis] quoniam est uirtus motus, luminis, configurationis, habitudinisq; cœlestium corporum, & siderum; est præterea occultæ cuiusdam cœlestis proprietatis uis quædam, & energia. Dicitur secundò [qua eueniunt, quæcunque eueniunt] intelligas, tu ineuitabili necessitate, communis nanque opinio est; quæ uulgo Mathematicis ascribitur; cuncta, à nescio qua uirtute cœlesti, ineuitabili necessitate, euenire. Ita ut homini, equo, abieti, lapidi, & aliis quibuscunque rebus, quæcunque contingunt (quòd ex huiusmodi siderum) corporumq; cœlestiũ uirtute, & influxu, eueniant) necessitate infallibili contingant, eueniantque. Hanc opinionem, atque hanc fati descriptionem Plotinus Platonicorum maximus, libro de Fato cap. 11,
» ubi opiniones quatuor de Fato retulit, ita ex interprete posuit. Alii totius Mundi circuitum om
» nia complectentem, motuq; singula facientem; atque habitibus, configurationibusq; stellarum
tam

tam errantium, quàm non errantium mutuis peragentem; fatum iudicant. Et prædictionibus E
per cœlestia factis freti, singula inde fieri arbitrantur. Hæc ille. Manilius uerò libro quarto Astro- »
logικῶν sic inquit.

» *Fata regunt Orbem; certa stant omnia lege;*
» *Longaq; per certos signantur tempora cursus.*
» *Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.*

Et Seneca in Tragœdiis.

» *Primusq; dies dedit extremum.*

Et libro sexto Iliad. Homer.

» Μοίραν δ' οὔ τινά φημί πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.

Quem uersum ita nonnulli uerterunt.

» *At fatum effugit nemo (mihi crede) uirorum.*

Et Menander.

» *Imminet unicuique quod debet pati.*

HAEC est opinio; quam Mathematicis communiter ascribi diximus; sidera ipsa, & ipsa cœlestia corpora, quæ natura tantùm, non etiam uoluntate aliqua agere norunt, Deos esse existimantibus; quibus nulla superior instat uirtus, à qua uel corpora ipsa, uel ipsorum corporum uirtutes, & influxus dependeant, & moderentur. Quæ opinio, quoniam nil nisi gentilitium sapit; gentilibus propterea promiscuè ab Augustino, à Gregorio, & ab omnibus denique catholicis expositoribus solet ascribi. Sunt nihilominus Mathematicorum quidam, & illi egregii; quibus cœlestia corpora disponere tantùm, & inclinare; non autem urgere, & cogere placuit. Iuxta quorum opinionem, B. Thom. lib. sexto Metaphysicæ, circa finem, Fatum esse, dicebat rebus, inferioribus inhærentem dispositionem, ex actione corporis cœlestis. Ab hac, quam fusè satis recitauimus Mathematicorum opinione, non multum absunt philosophi quidam theologizantes Aegyptii; qui sicut libello de Fato Gregorius Nyssenus & libro de Natura hominis, ca. XXXV, Nemesius scriptum reliquerunt; fatum quidem in astris constituerunt; idemq; ex sideribus, ad nos deriuare, emanareque sunt opinati; sed precibus uel ad Deum, uel ad alia quædam astra effusis, permutari, ab iraque, & indignatione auerti posse crediderunt. Esse enim quosdam astrorum cultus, & obseruationes, mitigantes, & irata pacantes fatalia astra; & excellentes insuper alias quasdam potentias; quæ ipsa uertere, & propitia reddere possint; autumarunt. De iis quidem, non autem de Stoicis, intelligendum est opinor, quod lib. secundo Physicorum, cap. XIX, secundi tractatus, Albertus cognomento Magnus, uel potius Alemannus Stoicis deceptus ascripsit. Et inter alia, illud quod ait; Arcalus & Cerina patres, in timore malorum fatorum, capite agnæ albæ, & immaculatæ, Iouem placari, præceperunt; quia caput admonet sapientiæ, & agna mansuetudinis. sexus nempe fœmineus de facili à proposito dimouetur. Albedo autem meliorem fortunæ partem significabat. Hactenus ille. Hi nanque illi sunt, quos per mutabile fatum asserere superius dicebamus. Sed notandum hoc loco est, quòd & si uerbis dissentire uiderentur; re tamen cum Mathematicis illis hi conueniunt; qui ineuitabilem in cunctis rebus necessitatem affirmant. Quoniam & si fatum auerti posse dicunt, & permutari; Fato nihilominus superiore auerti posse, crediderunt. ut in fatum omnino, idest in uim quandam cœlestem, & siderum cogentem influxum, & in ineuitabilem rei euentum incidere tandem, necessarium sit. Sed de Fato quid sit, ad Mathematicorum opinionem, dicta in præsentia sufficiant.

Quid item fatum sit ad Platonis, & Stoicorum opinionem. CAP. IIII.



EQVITVR, ut, ad eorum opinionem, qui Deum, & astra, & secundas, intermediasq; causas omnes, intrà Fati rationem posuerunt; quid fatum sit, uideamus. Hi nempe sunt Stoici, & Academici. (Academicos nunc eos appello, qui Platonis sunt philosophiam sequuti) qui quidem Academici, meo iudicio, in eandem sententiam ueniunt cum Stoicis; differunt uerò in uerbis. quoniam Deorum minorum, uel angelorum, & dæmonum, aut nulla apud Stoicos, aut rara est mentio. Etenim Seneca, cum esset Stoicus, dæmones negauit; contrà apud Academicos frequens; ut qui his ducibus, & auctoribus, multa fieri eorum, quæ fiunt, arbitrantur. At quoniam Dii isti, quicunque sint; & dæmones, & angeli (si eos ponimus) intermediæ causæ sunt; ideo re conuenire cum Stoicis, Academicos asseruimus. Igitur tam isti, quàm illi, Deum cuncta, præsentia, præterita, & futura, suo modo, idest modo præstantissimo (de quo plura in sequentibus opportunius dicemus) cognoscere, rebusq; omnibus liberè etiam prouidere, dixerunt. liberè inquam, non ita, ut ad hanc, uel ad illam contradictionis partem rem; siue rei euentum, pro libito, hoc est, ut facit homo, qui mutabilis, modò sic, modò aliter de re eadem

deliberat

A deliberat, ualeat mouere, uel etiam inclinare; quòd cum necessitate quadam, suæ naturæ congrua (est enim, ut dicebat Orpheus, insuperabilis necessitas Deus) & secundarum simul omnium causarum æterno ordini, perpetuæq;, ac præordinatæ earundem complicationi conueniente; ad alteram tantum contradictionis partem determinata sit hæc libertas, & prouidentia diuina. ita ut effectus nec possit non euenire, nec aliter possit euenire, quàm eueniat; nec secus eum Deus producere, quàm producat, aut aliter de eo decernere, quàm decernat. sed liberè, idest non coactè (necessitati nanque nulla præesse potest necessitas) sed uoluntariè, & ex sui ipsius uoluntatis ratione. Hoc est, dicebat Bœthius, ex ratione in summo rerum omnium principe constituta. Hanc rationem rerum cunctarum euentus, & euentuum ordo, explicare dicitur. quem quidem rerum ordinem, sicut liberè, ita necessariò Deus prædestinat, ac præordinat; eundemq; certis mediis causis, causarumque colligationibus, & liberè, & necessariò in lucem deducit. Et hæc opinio, etiam si uariæ, in materia de Fato, sint, apud scriptores, de Stoicorum, & Platonis opinione, sententiæ; Stoicorum mihi opinio, & Academicorum uidetur; perspicuè, & clarè B (ut fieri potuit) à nobis exposita. Quamobrem hanc, quam recitauimus, opinionem, in ultimo de Legibus, Platoni utcunque ascripsisse uidetur Ficinus; cùm Fatum de Platonis sententia, immobilem quandam rerum mobilium dispositionem, in anima mundi, statuerit. quæ quidem mundi anima, & liberè, & ex necessitate agit ea cuncta, quæ agit; cuius instrumentum (ut Plotinus, Proculus, & Auicenna disputant) est cœlestis natura, & cœlestis motus; materia uerò, atque subiectum, in quo eius uis, mediante instrumento, recipiatur, hæc moles est elementorum; & ea insuper omnia, quæ ex elementis, & elementorum qualitatibus, cõponuntur. In eo nanque quod ait [immobilem rerum mobilium dispositionem] causas primas, secundas, tertias, & omnes denique, quæ ad rerum mobilium, id est rerum generatione, alterationeq;, uel alia quacunque permutatione transmutabilium existentiam, uel mutabilitatem faciunt; intra Fatum conclusit. Quin & modum agendi primæ causæ liberum, & necessarium tetigit; liberum, cùm [dispositionem] dixit, necessarium cùm [immobilem] per quod etiam uerbum, rei euentus ineuitabilitas subindicari potuit. Diximus, subiectum fati; & illud, quod à fato pati dicitur, esse naturam corpoream; quòd in uim intellectiuam, & in ipsam rationalem animam fatum nihil agere, per hæc instrumenta, rectè putauerit Plato. quamuis in eam ex Platonis, & Platonicorum multorum sententia (ut principio tractatus nostri de Libero hominis arbitrio dictum fuit) C fatum, hoc est Deorum decretum; quod alio nomine prouidentia dicitur; tum per se, quòd uirtute infinita (quæ omnium actiones attingit) Deus polleat, tum per quorundam minorum Deorum, & per dæmonum quorundam ministeria (quod fusius postea declarabitur) agere uideatur.

Ad ampliorem intelligentiam opinionis Platonis de Fato, nonnulla ex Platonicis annotantur. CAP. V.



ERVMENIMVERO ut Platonis, de Fato, opinio melius à nobis percipi possit; non erit ab re fortasse, ex Platonicis, nonnulla hinc inde collecta referre. In primis autem ex libro decimotertio de Animorum immortalitate Ficini, nonnulla hoc loco producemus. Inquit igitur ille; tres esse rerum ordines; qui ad humanam animam pertinere uidentur. Prouidentiam, Fatum, Naturam. Prouidentia est series mentium; Fatum series animarum; Natura series corporum, mens supra animam, corpus infra, anima in medio utriusque. Mentium plures sunt gradus. quædam à corpore solutæ penitus; quædam animarum cœ D lestium corporum; quædam dæmonum; quædam humanarum animarum sunt. Deus mens est: quæ est caput mentium omnium. Deus autem, & mens suprema, radium suum rerum omnium creandarum rationibus præditum, per angelos omnes, demittens gradatim, format omnes; ita ut in mentes etiam humanarum animarum, quasi in quosdam infimos angelos, radium eundem traducat; iisdem præditum rationibus. Qui quidem radius, lex diuina mentibus inscripta, dicitur. Et hæc mentium dispositio, prouidentia nuncupatur. Verùm enimuero animæ rationales non modo uim illam habent intelligendi; per quam angelicæ sunt, & in ordine prouidentiæ numerantur; sed uim etiam regendi, & uiuificandi corpora sua; alendi corpus in corpore; sentiendique corporea per corpus. Hanc uim idolum, id est simulachrum rationalis animæ Platonici nuncupauerunt. In hoc idolo sunt semina motionum, & qualitatum omnium, quæ in corpore explicantur ab anima. Caput omnium idolorum, est idolum animæ mundi. Huic connectuntur idola duodecim animarum, duodecim sphæras agitantium. Hæ autem sphæræ duodecim sunt; Terræ sphæra, Aquæ, Aeris, Ignis, Lunæ, Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, & Firmamenti. Quoniam uerò in qualibet sphæra plures sunt animæ; harum omnium idola ad unum idolum unius communisque animæ contendunt, & religantur; quæ totam illam sphæ-

ram temperat;eidemque præſidet. Vnde fit,ut omnia animarum rationalium idola, mutua quadam conſpiratione, ex uno pendeant idolo ſummo: ita ut nutus quilibet primi idoli, in media; & mediorum in infima tranſeant;& ſemina rerum omnium corporalium à primis idolis, idolis ſequentibus inſerantur. Hæc conſpiratio idolorum,& ſeminum traductio, Fatum eſſe, ad Platonis decreta, arbitratus loco citato, eſt Ficinus. Tertius ordo natura dicitur. Natura autem eſt certa quædam complexio in corpore,& affectio quædam;quam efficax, atque uitalis uiuifica uirtus animæ ſuo corpori tribuit. Hanc autem experiri facilius eſt,quàm deſcribere. Volunt Platonici, quòd ſit ueſtigium quoddam,& ueluti umbra corporis; quæ ſit cum diuiſione corporis diuiſibilis. Et hæc affectio ſtatim ineſt animæ: & per animam corpori tribuitur; cum tenue corpuſculum, à Diis minoribus, & ſecundis, id eſt à ſphærarum duodecim mentibus, ex ſimpliciſſimis elementis compactum, & fabricatum (de quo aliàs opportunius dicendum eſt) anima ipſa ingreſſa fuerit. His igitur ita breuibus explicatis, dicunt Platonici, quòd anima per mentem eſt ſupra Fatum; in ſolo prouidentiæ ordine conſtituta; per idolum eſt in Fato, non autem ſub Fato; per naturam uerò, ſiue per corpus, eſt ſub Fato. Cum enim corpuſculum iſtud, quod nonnulli Platonici ſecundum animæ uehiculum nuncuparunt; ingreſſa fuerit, anima; Fati legibus ſtatim ſubiicitur, & aſtringitur. Hæc uolui paulò altius quidem, ſed, quàm fieri potuit breuioribus, ac facilioribus, repetere: quò Platonicorum & de Fato, & de prouidentia, de qua libro ſequenti diſputaturi ſumus, modo aliquo opinionem perciperemus, intelligeremusque facilius nonnulla, tum principio libri de Libero hominis arbitrio, ex Platonicis, à nobis poſita, tum hoc tertio libro, & ſequenti ponenda. Sed de his hactenus. redeo unde diſceſſerat oratio. Quidquid igitur Fatum ſit; ad opinionem Platonis, & Stoicorum; ad nos per ſeriem intermediarum cauſarum (quæcunque intermediæ iſtæ cauſæ fuerint) delabitur, à prima, & ſuprema cauſa. Nam, ut ex paulò ante dictis, facillimè intelligi poteſt; à Deo eſt ordo mentium; ſub quo eſt ordo idolorum, & animarum, quod Fatum dicitur; ſub hoc autem,& ſub Fato ipſo eſt ordo corporum; qui ordo, ut diximus, natura appellatur. ut hæc omnia, ita diſpoſita, intermediarum cauſarum ſeriem, meritò appellare poſſimus. Demandatur nanque uis iſta fatalis, non ſolùm ſecundum Chryſippum, & Stoicorum diſciplinam; ſed & Platonis, & Academicorum; à prima cauſa, ad poſtremum effectum, & rei euentum uſque; per ſucceſsiuum quendam, & perpetuum ordinem, atque mutuam quandam conſpirationem, continuatamque quandam ſeriem, & certam complicationem cauſarum; in qua cauſarum ſerie, & complicatione, Deos ſecundos,& minores, ſiue mentes, & idola, & dæmones, tanquàm primi Dei miniſtros, & corpora cœleſtia, tanquam diuinæ adminiſtrationis inſtrumenta; & reliqua ordine quodam ſub cœleſtia corpora, uti intermedias cauſas conſtituere (ut ex Apuleio in dogmate Platonis liquet) connumerareq́;, Platonicè poſſumus; quomodocunque hanc cauſarum ſeriem, ſiue mentium, idolorum, & naturæ conſpirationem, ſiue mediarum cauſarum nexum, & complicationem, appellare libeat. Minores Dii,ſiue,mauis dicere,dæmones, ut refert Iamblichus, ſinguli cuiusq; uitæ accommodantur; tanquam fati executores. Sic enim cap. XLII, libri de Myſteriis ſcriptum ille, ex interprete, reliquit. Sors alicuius propria tribuitur animæ, dum deſcendit ex toto mundi corpore; & uita, prout nunc ſe habet ad illam; & illa Sors certo dæmone ducitur, & impletur. Hæc ille. Quamobrem Nemeſii nobis de Platone cenſura, quam libro de Hominis natura, capite XXXVII, expreſſit, non arridet. inquit enim, quòd Fatum non ab æternitate Plato deduxit, ſuppletu,ut fecerunt Stoici; ſed ab his, quæ in manu noſtra ſunt. Quæ uerba ut intelligamus, repetenda ſunt breuibus ex libro de Libero hominis arbitrio non nulla. Diximus enim eo in loco: quòd aliquæ ſunt ſuppoſitiones, ut bellum gerere, uel nauigare: aliqua uerò ex ſuppoſitionibus, ut proſperè nauigare; uel fœliciter bellum gerere. Illa, inquit ex Platone Nemeſius, in nobis ſunt; iſta uerò in fatis. Sed mihi magis dicendum uidetur ſecundum Platonem, hæc, & illa in fatis eſſe; modò fatum paulò fuſius ſumamus; ut prouidentiam, & Deorum decreta, & leges diuinas includit; & ab immutabili lege diuina,omnia dependere, & per Deos, ac dæmones, & ut uno uerbo dicamus, per intermedias cauſas cuncta ex Deorum decretis in lucem perduci. Sed de his in ſequentibus uberius.

Ex Stoicis, & Academicis,Fatum diffinitur,& multis modis,hoc eſt,pro ſerie cauſarum, pro ratione huius ſeriei, pro præſcientia diuina, & aliis modis Fatum ſumi poſſe, declaratur. CAP. VI.



A His igitur ita breuissimè prælibatis, ad quem modum & Stoici, & Platonici Fatum diffiniant, uideamus. Stoici, & aliorum plurimi, de Stoicorum sententia, Fatum, quod illi ἀπὸ τοῦ εἱρμοῦ (ut inquiunt Plutarchus, & Aphrodis. Alex.) ideſt à ſerie, & nexione cauſarum εἱμαρμένην, ideſt eimarmenem uocitant; ita diffiniunt. Fatum eſt ſeries, atque ordo cauſarum, à prima ad ultimam neceſſaria connexione procedens. Dicitur primò [ſeries ſiue ordo cauſarum] quoniam ineuitabili neceſsitate prima cauſa ſecundam mouet, ſi in rei natura eſt; ſi non eſt, illam generat prius, deinde mouet; ſecunda ſimiliter tertiam, tertia quartam; & ita deinceps. Et hoc in cauſis cuiuſcunque euentus exiſtimandum eſt. dicitur ſecundò. [à prima ad ultimam] à prima, quæ, ut dictum eſt, liberè, ſed neceſſariò operatur; quicquid operatur; & neceſſariò mouet, quicquid mouet. ad ultimam uſque ſiue proximam; à qua rei euentus, immediatè producitur. Dicitur Tertiò, [neceſſaria connexione procedens] propter cauſam, quam diximus; quoniam prima ſecundam generat, ſi in rerum natura non ſit, & genitam mouet; ſecundam
B da tertiam; & ita ſucceſsiue ad rei euentum uſque. Non enim illa, quæ futura, & euentura ſunt, ſubitò exiſtunt; ſed quaſi ad modum rudentis, à cauſa in cauſam explicantur. Cum autem effectus quilibet, ex certa quadam (quæcunque ſit illa) ſerie, & connexione cauſarum, ita efficiatur, ut uel ab alia effici, uel ab iſta non effici, non poſſe crediderint Stoici; colligebat primo libro cap. IIII, Quæſt. naturalium Alexander, fieri ita ad Stoicorum diſciplinam omnia ex neceſsitate; ut poſsibilis, & contingentis rei natura penitus euerteretur. Stoicorum hoc placitum Cicero. libro de Diuinatione, quantum potuit, φυσικώτερον, ideſt rei naturæ accommodatius, expoſuit, in-
„ quiens. quòd ideo eſt fatum, iſte nexus cauſarum perpetuus; quoniam cauſam cauſa ex ſe gi-
„ gnit; Intelligas tu (ut paulò ante in diffinitionis expoſitione dicebamus) quòd præcedẽs cauſa ſequentem cauſam, & ſibi proximam generet; ſi non exiſtat, atque genitam moueat; & hæc aliam immediatè ſequentem; atque ita perpetuo quodam tenore procedatur. Et ſubdit ibidem, ſe, &
„ Stoicorum placitum, de fato, magis declarans Cicero. Ea autem eſt, ex omni æternitate, fluens
„ ueritas ſempiterna. Ex quo intelligitur; ut Fatum ſit; non id, quod ſuperſtitioſè; ſed id, quod
„ Phyſicè dicitur cauſa æterna rerum; cur & ea, quæ præterierunt, facta ſunt; &, quæ inſtant, fiant;
„ & quæ ſequuntur, futura ſunt. Hactenus Cicero. ſed hoc loco omittendum non eſt; quòd non ex
C ſerie ipſarum cauſarum tantùm, ſed ex ratione etiam, ſiue præuidentia ipſius ſeriei, & ex præcognitione rerum, quam in Deo eſſe crediderunt, & Stoici, & Academici, fati ſæpe rationem deſumpſere: nec immeritò. Profectò ſi tanti quiſpiam, tamq; perſpicacis ingenii eſſet; ut præteritarum, præſentium, & futurarum cauſarum omnium animo colligationem, qualis qualis illa ſit, atque complicationem perſpicere poſſet; adde & tantæ præterea uirtutis, ac poteſtatis; ut ſuo nutu, ordinem cauſæ ipſæ reciperent, & regerentur uniuerſæ; ita ut cæteræ quæcunque agentes cauſæ; ad eius nutum actiones ſuas collimarent; quocunque modo ſeu per naturam, ſeu per uoluntatem ageret; ſiue liberè & contingenter; ſiue liberè & neceſſariò; hic rerum quarumuis euentus omnes Phyſicè, & non ſuperſtitioſe longiſsimis ante temporibus calleret, & proſpiceret; nihilq; eum falleret; ſed omnia certè, quamuis futuris (ut dictum eſt) longiſsimis temporibus, euentura, naturali quodam ordine, præuideret; ac firmiſsime præcognoſceret; hicque meritò, atque eius uoluntas, & ratio, & præſcientia, & ordinatio, fatum, & ineuitabilis, inſuperabilisque neceſſitas, atque inuincibilis poteſtas nuncupari poſſet; & ſuprema rerum cunctarum prouidentia. Verùm cum nemo hominum, ſed Deus ſolus (ſi tamen iſta intelligere illum fateamur, quod faciunt Stoici, & Academici) huiuſmodi cauſarum ordinem, (quem cum Homero libro octauo Iliadis, Iouis cathenam, uel cum Platone decimo de Repub. fatalem fuſum dicere poſſumus) &
D iſtam cauſarum colligationem intelligere poſsit: naturam quidem, ſed in primis Deum, qui illum nexum & nouit, & operatur (propter quam cauſam Deum ipſum ἀνάγκην, teſte Ariſt. libro de Mundo ad Alex. nonnulli, & potiſsimum Stoici, & ante Stoicos Orpheus appellauerunt; Cicero autem cauſam æternam rerum nuncupauit) ipſamq; diuinam uoluntatem, uel etiam præcognitionem diuinam, & præordinationem, plurimi non ſolùm ex Stoicis, ſed ex Academicis etiã, & fatum, & prouidentiam uocitauerunt; quamuis diuerſa, eorum quidam, ratione; à qua omnia, quæcunque eueniunt, ineuitabili neceſsitate euenire putauerunt. Hinc Virg. libro ſeptimo Aeneidos, de Rege Latino inquit.

„ *Filius huic fato Diuum, prolesq; uirilis* *Nulla fuit.*

Vbi per Fatum, idem quod Deorum uoluntatem ſignificauit. Simili modo ubi in eodem libro ait,

„ *Heu ſtirpem inuiſam, & fatis contraria noſtris* *Fata Phrigum.*

Homerus eo modo, ni fallor, Fatum ſumpſit cum & Vlyſſem lib. quinto Odyſſeæ, & Hectorem lib. uigeſimoprimo Iliadis, in naufragii periculo exclamantes inducit.

„ Νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι. hoc eſt,

 E

Nunc autem me ingloria morte fato sancitum est perire.

QVAMOBREM lib. quarto cap. XVII, de Platonica Theologia dicebat Proculus; ineuitabilis numinis statuto obedire omnia; & cunctas Deorum distributiones, & mensuras quasque, ac conseruationes, propter illud esse, subdebatque, quòd ex Orphæi sententia, opifex uniuersa custodit; & æreos baculos sumens tympano tantopere personat; quod Deos omnes ad se conuertit. Hæc Proculus. Si nanque Deos cæteros ad se supremus Deus conuertit, (ii autem rebus omnibus præsunt) & (ut libro sequenti ex Platone uberius declarabitur) ueluti ex puppi, etiam hominem ipsum regunt; & cunctos hominis actus dirigunt: immo agentium omnium operationes uniuersas; non est dubium, quin uniuersa necessitate ineuitabili secundum hanc opinionem eueniant. Vnde Zoroastes Deorum uoluntatem, necessitatem appellat, cùm de cœlo inquit. ἀιδίῳ βελῇ φέρεται ἀεὶ τρέχει ἔργῳ ἀνάγκης. idest, sempiterna uoluntate fertur, semper, necessitatis ope racurrit. Et Orpheus (cuius auctoritatem magni Plato, & Platonici faciunt, inquit, Δεινὴ γὰρ ἀνάγκη πάντα κρατεῖ. Idest, fortis necessitas, omnibus dominatur. Rebus, inquit, omnibus dominatur inuincibilis necessitas; per quam inuincibilem necessitatem, non nisi Deum, & Deorum uoluntatem, atque decretum intelligere potuit; qui immobilis manens cuncta mouet. Quum igitur in sui ratione, ac præordinatione, & præcognitione, ut in primo libro argumentatum prius fuerat, falli non possit Deus; item quum Dii cæteri primò (quod etiam ex Orpheo Plato confirmauit) & summo Deo ad nutum obediant omnes; quum rursus omnibus cuiuscunque effectus collectis insimul causis, effectum non euenire sit impossibile; euenire autem necessarium; quarum omnium causarum nexum, & colligantiam, ut summus Deus solus æternis ante sæculis nouit; ita statuit, & ut ille statuit, ita cæteri minores Dii, & eorum pedissequi dæmones, & ipsa natura subinde operantur; nec cessant ab opere, & causarum complicatione, donec ad effectus generationem, pro summi Dei uoluntate, & decreto, peruentum fuerit; sequitur, ut siue diuinam uoluntatem, & rationem (ut facit Virgilius libro septimo Aeneidos, & alii Poetæ alibi, ut paulo ante dicebamus) siue præcognitionem illam ordinis causarum in intellectu diuino; siue illam ipsam præordinationem, & decretum; siue ipsam etiam extra diuinam mentem causarum seriem, & nexum, ex Deorum uoluntate liberè, sed necessariò, per cœlestium corporum motum, qui in orbē fit, & per inferiorum Deorum, & dæmonum administrationem; & insuper per naturam ipsam; siue per istarum sublunarium causarum mutuam consequutionem, & operationem, uel per aliū quemcunque modum, perpetuo quodam tenore, & ordine, procedentem, Fatum appellaueris (quod ad nostram disputationem attinet) nihil refert. quod ex uno uel altero dicendi modo, G idem ad Stoicorum, & Academicorum disciplinam sequatur. omnia uidelicet (etiam si hominis uoluntatem liberam statuant) ex infallibili, & ineuitabili necessitate euenire.

Ex Stoicorum monumentis, plures Fati definitiones ponuntur. CAP. VII.



SVPERIVS capite quarto, eam fati definitionem posuimus, quæ & Stoicorum & Academicorum placitum magis, & simplicius, & exactius explicare nobis uidebatur, nunc alias intellectu obscuriores, & explicatu difficiliores, ex Stoicis collectas afferemus; quarum aliquæ seriem causarum tantùm, aliæ seriei diuinam præcognitionem, aliæ utranque, aliæ prouidentiam, aliæ aliud explicare uidebuntur. Ex quibus nihilominus tamen omnibus, idem indicatur, hoc est ineuitabilem rerum euentum, quod quisque facillimè intelligere poterit. Hesiodus, à præcognitione diuina, fati rationem sumpsit; cùm fatum Διὸς νοῦν, idest Iouis mentem appellauit. Chrysippus, apud Gellium, fatum esse dixit, naturalem compositionem rerum omnium, ab æternitate aliarum ex aliis nascentium, immutabili ordine complicatarum. In qua definitione, non illam ordinis causarum in Deo præordinationem, atque rationem, & præcognitionem; sed ipsam causarum seriem in re, & natura existentem per quarundam, antegressarum scilicet causarum effectionem, & in primis per cœlestium corporum multiplex ministerium, ab æterno, in lucem, nexu, ac successione perpetua prodeuntem; quibus res, & rerum causæ immutabili ordine mutuo complicatæ, & connexæ sunt; unde res ineuitabili necessitate euenire dicuntur; fatum appellasse uidetur. Plutarchus libro primo de Placitis, quem secutus est Pontanus, libro priore de Fortuna; fatum ex Chrysippo, uim esse putauit spiritualem, quadam ratione uniuersi constitutricem; seriemque quandam causarum rerum omnium gubernatricem; à qua cuncta causam ducerent. Ex quibus uerbis, & causarum seriem, & (ni fallor) diuinam simul rationem, & præcognitionem, ac prouidentiam, quam appellauit uim spiritualem (nisi forte ignem, caloremque quendam, quem Stoici, ut libro quarto de Lingua latina Varro affirmauit, uiuificare omnia putauerunt, per uim spiritualem intelligere uelimus) intra fati rationem admisisse uidetur. Aliquando fatum, idem Chrysipus dixit esse mundi rationem, & legem eorum, quæ in mundo prouidentia constituuntur, quibus diuinam tantùm uel rationem,

A uel præcognitionem, siue præordinationem, & prouidentiam, & tandem Deum ipsum, fatum esse existimauit; a qua nihilominus ratione, & præcognitione, causarum colligationem pendere est arbitratus. Zeno Citiæus Stoicorum facilè princeps, fatum, ut quidam retulerunt, diffiniebat, potestatem esse materiæ motricem. In qua diffinitione & corpora cœlestia, & seriem illam causarum, & naturam, & diuinam præcognitionem, & potestatem, & prouidentiam, siue Deũ ipsum (quanquam satis occultè omnia) posuisse uidetur; quod sequenti libro, ubi à nobis ista definitio copiosè satis exponetur, commodius explicabitur. Quamuis enim à Deo tantùm prima materia, quæ formarum istarum omnium receptaculum esse dicitur, pro ratione moueatur, (à nullo enim, præterquàm à Deo, iuxta Stoicorum, & Academicorum doctrinam, ut libro sequenti declarabimus, materia prima moueri potest) ab eo tamen, & ab agentibus cæteris naturalibus, ut puta à cœlestibus corporibus, & aliis intermediis causis materia, quæ sit aliqua qualitate affecta, moueri, & transmutari potest. Vnde fit, ut non Deum tantùm, sed causas etiã omnes, & causarum connexionem intra fati diffinitionem Zeno posuerit; cùm, fatum, dixerit, potestatem esse materiæ motricem. Heraclitus substantiam fati (inquit Plutarchus) mentem esse ait; per uniuersæ essentiam naturæ pertinentem; eam autem esse æthereum corpus, semen pro
B creationis uniuersi. Quam diffinitionem diligens interpres ab illa Zenonis nihil, uel parum admodum distare cognoscit. Cum ait [fatum esse mentem] Deum, diuinamque prouidentiam, & rationem, in fati definitione constituit; quod indicant maximè uerba illa [per uniuersæ naturæ essentiam pertinentem] essentiam autem cuiusque in igne, hoc est in calido, ut paulò ante dicebamus, consistere Stoici sunt arbitrati. Idcirco subditur [eam autem esse æthereum corpus] quamuis æthereum ab Arist. lib. tertio de cœlo, parte XXXV, dictum sit ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, hoc est à perpetuo motu. Stoici tamen, & Anaxagoras à uerbo αἴθειν, deduxere, quod ardere significat; unde solem μυδρὸν, id est candentem. ferrum uocitabant. hunc autem ignem, & hoc æthereum corpus, est illud, quod appellant [semen procreationis uniuersi] Hanc opinionem libro sexto Aeneidos tetigisse uidetur Virgilius, cum diceret,

» *Principio cœlum, & terras, camposq; liquentes,*
» *Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra* *Spiritus intus alit.*

Et aliquot interpositis.

» *Igneus est illis uigor, & cœlestis origo* *Seminibus.*

C Alexander Aphrodisieus principio libri de Fato, ad Stoicorum opinionem, fatum ita simplicissimè diffiniuit. Fatum est impermutabilis, siue ineuitabilis causa, per quam fiunt ea, quæ fiunt; &
» eo modo quo fiunt. Sed de diffinitione fati ex Stoicorum monumentis, hactenus.

Ex Platonicis plures Fati diffinitiones ponuntur, & nonnulla ex eisdem de Parcis recitantur. CAP. VIII.



VIDIMUS præcedenti capite plures ex Stoicorum placitis Fati diffinitiones; superest, ut ad quem modum illud Platonici definiant, uideamus. Sed prius ex Hermete Ter maximo, quoniam maximus rex, maximus sacerdos, & maximus Philosophus fuit; illud diffiniemus, quòd ab eo Plato, & Platonici doctri-
» næ, ac Philosophiæ plurimum, atque Theologiæ hauserint. fatum igitur in libro
» cui titulus Asclepius, ita Hermes descripsit. fatum est complexio causarum sin-
» gulis temporaliter distribuens; quæ sacramento Deorum cœlestium sunt præ-
» ordinata. per Deos cœlestes, exponit D. Thom. suo libello de Fato, stellas, & earum motores; quæ
» sitibus, spatiis, imaginibus, proportionibus, coniunctionibus, angulis, radiorum interfectio-
D nibus, & aliis rationibus, in hæc agant inferiora. Iterum ad finem eiusdem libelli ita illud diffini-
» uit. fatum est necessitas omnium, quæ geruntur, semper sibi cathenatis nexibus iuncta. quæ ne-
» cessitas, inquit, uel est Deus, uel à Deo. in qua diffinitione, nõ solùm Deum, diuinamq; rationem, & præscientiam, & cũ ea seriẽ causarum posuit; sed unde etiam hæc causarum series, & complexio ortum deducat, expressit; à ratione. s. & præordinatione, siue præcognitione, ac prouidentia Deorum. Ita ut utrunq;, & prænotionẽ diuinam, siue rationẽ, & uoluntatem, quam sacramentum dicit esse Deorum. sic enim & ad Ephes. Apost. scribit cap. 1, Vt notum nobis faceret sacramentum uoluntatis suæ. Est autem sacramentum hoc loco, idem quod sacrum absconditum, & seriem ipsam causarum, fatum appellauerit; uel magis ex utroque fatum constitui putauerit; quòd unum ex altero dependeat. Et ideo loco citato subdebat Hermes; quòd tribus fatum constaret, uidelicet, εἱμαρμένης, id est imarmene, quæ rerum omnium parit initia, necessitate, quæ initia illa ad progressũ cogit; ad finemq; ea perducit; quæ ex imarmenes primordiis pendent; & ordine, id est textura, & dispositione temporis rerum perficiendarum. Et post pauca inquit. Hæc ergo tria εἱμαρμένη, necessitas, & ordo, Dei nutu maximè effecta sunt; qui mundum gubernat sua lege, & ratione diuina.

uina. Vbi (ut uides) tam diuinam ordinis causarum rationem, & præcognitionem, ac prouidentiam; quàm seriem illam causarum, fatum appellauit; & ex utroque ipsum perfici existimauit. E
Hæc tria, nisi ego fallor, uim Fati quasi in triplicem personam partientes, appellarunt Poetæ, Lachesim, Clotho, Atropon, tres filias Demogorgonis; De quibus Plato in lib. de Repub. diffusè. Lachesis sit ipsa εἱμαρμένη, quæ causarum serie, & connexione rerum omnium parit initia, atque causas. Clotho, est, ordo & textura ipsarum rerum, atque causarum; quarum per Lachesim, & causarum seriem subministrantur initia: Atropos uerò rerum necessitas; qua ineuitabiliter ea producantur; & quæ Lachesis, hoc est, nexus causarum statuit, & præordinauit; & quæ Clotho, idest rerum series, & causarum ordo, & temporum reuolutio deposcit. Hæc omnia uisus est uno carmine perstrinxisse Ouidius, cum inquit:

» *Clotho colum baiulat, Lachesis trahit, Atropos occat.*

Præterquàm, quòd munera (aut ego fallor) Clotho, & Lachesis uisus est permutasse; & quod Lachesi Plato tribuat, ille Clotho; & contrà, id quod Clotho, ille Lachesi tribuisse uideatur. In fine lib. de Theologia Platonica, multa de Parcis ex Platone Proclus comminiscitur; in quo loci quandoque Lachesi præterita, Clotho præsentia, Atropo futura ascribit; quandoque rursus Clotho dextra, Atropon sinistra fusum uertere ait; quatenus una auspicatur actus eos, quos altera prosequitur, & terminat. Et post pauca. Lachesis, inquit, ante delectum agit in animas; Clotho post delectum torquet; & congruum singulis Fatum distribuit; post quas Atropos fatalium regularum, descendentisq; ab uniuerso ad nos ordinis finem concludens, reuolutis immutabilitatem, & terminum indidit. Sed quod de Clotho, & Lachesi, ante, & post delectum Proclus ait, difficile est. Ad cuius intelligentiam notandum, quòd animæ (ut sæpius à Platonicis dictum, & repetitum fuit) tria induunt corpora; æthereum, aereum, & ostreaceum. Ab extremo & ostreaceo, in morte se absoluunt; à medio, & aereo dum apud inferos expurgantur; ab æthereo nunquam. F ‹‹ ‹‹
Dum hoc æthereo potiuntur solo, sunt animæ Diis persimiles; & cum eisdem regunt, & temperant mundum, cum ad aereum descendunt; uitæ quædam illis influitur species; quæ irrationalis dicitur; idest, affectionibus, & uariis desideriis referta; (tangitur enim, inquit Plotinus, anima amore corporis priusquam tangatur à Fato) propter quæ desideria ab æthereo ad aereum deuolutæ sunt; ut sibi illam uitæ speciem animæ delegerint. ante delectum igitur dicitur Lachesis, in eam agere; quoniam sunt Deo persimiles; post delectum uerò Clotho; quoniam pro ratione delectæ uitæ Clotho fusum torquet; ut congruum singulis Fatum distribuat. Sed de hac re, à nobis in libro de Libero hominis arbitrio fusius. Alii de Platonis etiam sententia, per Atropon ἀπλανῆ, idest aplanem & inerrantem sphæram, sic dictam, quòd nullo pacto uel à superiore corpore trahatur; uel à superiore uirtute secus, quàm mouens proprium moueat, circumuoluatur; atque ita circumflectatur; ut proprii motus sui ordinem (quod aliæ sphæræ facere uidentur) permutet; per Clothon erraticas; per Lachesim sortem, quæ in hæc sublunaria, per sidera tam errantia, quàm non errantia distribuitur, intellexerunt. Marsilius cap. xv, libri Plotini, cui Titulus, Vtrum stellæ aliquid agant, Lachesis nomine sortes ait, formasq; uiuendi significari; nomine Clotho conuolutionem earum, euolutionemq; ostendi per uniuersum; Atropos denique necessarium huius explicationis effectum. necessarium, inquam, quatenus consistit in natura fati, & quantum huic anima cedat. Vt iis omnibus Fatum constare; & à Deo per cœlestia, & superiora corpora, item per minores Deos, & per dæmones, radium quendam diuinum, idest uim illam iis inferioribus demandari; unde cuncta, quæ eueniunt, ineuitabili necessitate eueniant, intelligatur. Porrò in Deo cunctæ res sunt; & (ut dicunt Platonici) speciebus, & ideis quasi fons scaturire Deus non definit. In cœlestibus item corporibus, & animabus, quinimmo in terrenis etiam, animabus, & rebus, latere quasdam euentuum causas affirmant omnes; uti in semine latent segetes; & in floribus fructus. Propterea quæ in Deo, uel etiam in mundi anima, uelut in glomo continentur inuoluta, & complicata; per huiusmodi, & superiorum, & inferiorum corporum permutationes; & per aliorum Deorum, & dæmonum ministeria; certo quodam ordine euoluuntur, & explicantur. Deus nanque rerum in se cunctarum exemplaria gestat, & eis, quasi scaturire, fertur; per motum uerò (immobilis nanque manens dat cuncta moueri) ea omnia, & singula, in materia, suis temporibus, depromit, atque explicat; Dei igitur uoluntas per motum ab Aplane, & à Planetis confectum, & per elementorum, ac subcœlestium causarum, adde, & dæmonũ, & Deorum cæterorum operam, tanquam Fatum, in res istas descendit: cui aduersari quidpiam impossibile est. Ideo Ouidius. G H

» *Frustra Medea repugnas; Nescio quis Deus obstat ait,*

Et Virgilius,

» *Manent immota tuorum, fata tibi.*

Et Homerus loco prius citato ex Iliad. ζ.

Nemo fatum effugiet.

A Et alius Poeta,

» *Te tua fata trahunt, ne cœpta relinquere possis;*

» *Ne trahas animum, te tua fata trahunt.*

Idem fortasse uoluit Possidonius Stoicus; cùm fatum, tertium, à Ioue statuerit. Nam rerum harum primas Deo, secundas naturæ, tertias fato partes assignauit; ea forsitan ratione, quoniã à Deo, mediante cœlestium corporum, & aliarum causarum naturalium opera, perueniat ad nos id, quod dicimus fatum. Idest eueniant cuncta ineuitabili necessitate. Ita nempe Possidonium intelligo, ut simul sint hæc tria rerum cunctarum causæ; & iis tribus debeat unaquæque res, quòd sit, à Deo primùm tanquam præordinanti; deinde naturæ ceu causas connectenti; demum ipsi Fato, hoc est certæ cuipiam causarum colligationi, & ordini; ex quo effectus tandem, & id, quod est, productum non quidam utcunque, sed ineuitabiliter esse intelligatur. Apuleius de Doctrina Platonis, fatum diuinam legem esse credidit; per quam ineuitabiles Dei cogitationes, atque incœpta compleantur. Ex qua definitione à Dei ratione, & præcognitione fatum deduxisse; diuinamq; uoluntatem, & præcognitionem; quam legem, & cogitationem appellauit diuinam, & seriem causarum, per quam ineuitabiles Dei cogitationes implentur; fatum esse, & rerum

B præterea cunctarum initia esse in Deo, ex Platone, opinatum fuisse, facillimè depræhendi potest.

» Consimilem fati definitionem alii quidam ex Timæo Platonis tradiderunt; dum inquiunt, Fatum

» est diuina sententia, à qua cuncta, ordine, & necessitate quadam ineuitabili, producuntur. Ficinus (ut paulò ante dicebamus) ad finem libri de Legibus, fatum hoc modo ex Platone rectè defi-

» niuit. Fatum est rerum mobilium immobilis in anima mundi dispositio. Et Plutarchus libro de

» Placitis, ex Platone ita fatum diffiniebat; fatum est sempiterna ratio, lexq; æterna, uniuersalis

» naturæ. Vt parum interfuerit Platonis interpretibus, uel per seriem causarum, uel per seriei præ ordinationem, & præcognitionem; quam rationem sempiternam, legem æternam, dispositionem immobilem, diuinam sententiam, uel etiam cogitationem, & mille modis aliis appellarũt; uel per utrunque fatum diffinire. quòd, quocunque modo illud diffiniatur; idem (ut dictum est) sequi semper manifestum sit; cuncta uidelicet ineuitabili necessitate fieri. Sed de fati diffinitione ad Stoicorum, & Academicorum opinionem, hactenus.

Diffinitio fati ex Boethio ponitur; & quarundam capite secundo positarum opinionum diffinitiones de Fato differuntur. CAP. IX.



C BOETHIVS, libro quarto de Consolatione, prosa sextã, Fatum definiuit; & ita uerbis definitionem temperauit; ut & si ritè, & catholicè exponi diffinitio possit; eam tamen Boethius met ita exposuit, ut Stoicorum, opinioni, & Pla

» tonicæ de Fato diffinitioni subscripsisse, uideri potuerit. diffinitio est. Fatum est

» inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam suis quæque prouidentia nectit ordinibus. Hanc diffinitionem Doctor sanctus tum in loco citato, in librum quartum, prosa sexta, de Consolatione philosophica (si modò expositio sit diui Thomæ) tum in prima, quæst. CXVI; tum in tertio libro Contra gentes, cap. XCIII, piè, & catholicè exponere fuit conatus, cum dicitur [inhærens dispositio] non sumitur, inquit, dispositio, qualitas; sed dispositio relatio; idest sumitur, ut rerum, & causarum ordinem dicit. sequitur [rebus mobilibus] ut hinc diuinæ prouidentiæ ordinem, à rebus ipsis, contingentiamq;, & mobilitatem non auferre intelligas. dicit [rebus inhærens] ut à prouidentia fatum distinguatur. non enim illa rebus inhæret, sed in diuina mente persistit. dicit ultimò] per quam suis quæque nectit ordinibus [quoniam, & si ad inferiores causas relatum quidpiam fortuitum, uel casuale dici possit, relatum tamen ad aliquam superiorem causam, & in primis ad Deum, (quic-

D quid illud sit) per se intentum, esse dicitur. Ea enim, inquit ille, quæ hic per accidens aguntur; siue in rebus naturalibus, siue in humanis; reducuntur in aliquam causam præordinantem; quæ est prouidentia diuina. Hæc B. Doctor. Ea certè, quæ iste sanctus Doctor dicit, doctè, & ritè dicta sunt; sed an ad mentem Boethii, in eo præsertim loco; & præterea an, ita dicendo, contingentia in rebus, & temeritas seruari possit; ualde ego dubito. Mihi profectò (cui forte ob meã id tarditatem contingit) Platonicorum eo in loco, & Stoicorum magis quàm sanam, & rectam catholicorum opinionem de Fato, Boethius secutus fuisse uidetur. Tria sunt, quæ in hanc me sententiam ducunt, ne dicam, trahunt. Vnum, quòd eo in loco philosophum, non Theologum agit Boethius; quod patet, tum ex eo, quòd ubique philosophiam loquentem faciat; unde etiam liber titulum sumpsit; tum etiam cum alicubi, ex Theologo quopiam, depromere sententiam

» uoluit, inquit, Vt quidam me quoque excellentior ait. Alterum quoniam uerba Boethii indissolubilem causarum nexum passim affirmant, ut faciunt Stoici, quo admisso ineuitabili necessitate eueniunt cuncta, quæ eueniunt. Non enim à Stoicis distant catholici, quia illi ab aliqua causarum

rum serie, ii uerò à nulla, euentus proficisci arbitrentur. quum nihil sit, quod ab aliqua causarum complicatione, non ueniat. sed quia illi causarum nexum indissolubilem, atque impermutabilem asserant; quod catholici nō faciunt. Tertium quoniam immobilitatem, & necessitatem ubique Fato euidentissime ille tribuit, quod non tribuunt Theologi. primū ex se satis euidens est. Secundum autem, & tertium patebunt, si uerba Boethii percurrerimus. qui postquam ostendit aliqua non subesse Fato; statim subdit [si supernæ mentis hæserit firmitati motu carens; fati quoque supergreditur necessitatem] ecce, inquit, fati quoque supergreditur necessitatem, ergo ea, quæ Fato subsunt, fati necessitatem non effugiunt. Et aliquot interpositis, subdit. [Ea series (uide licet causarum, de qua prius mentionem fecerit) cœlum, ac sidera mouet; elementa in se inuicem temperat, & alterna commutatione transformat. Eadem nascentia, occidentiaq; omnia per similes fœtuum, seminumq; reuocat progressus. Hæc actus etiam, fortunasq; hominum indissolubili causarum connexione constringit, quæ cum ab immobilis prouidentiæ proficiscantur exordiis; ipsas quoque immutabiles necesse est esse. Ita enim res optimè geruntur; si manens in diuina mente simplicitas, indeclinabilem causarum ordinem promat; hic uerò ordo res mutabiles, & alioquin temere fluituras, propria incommutabilitate coerceat.] hactenus Boethius. In quibus uerbis, fati necessitatem; causarum complicationem indissolubilem, temeritatis ablationem, humanorum actuum coactionem, si singula uerba paulò exactius, perpenderis, facilè percipies. Et adeo aperta uerba hæc sunt; ut B. Doctor in prima parte, Quæst. citata, art. III I, Boethium secutus, dixerit; hæc omnia sublunaria, esse Fato subiecta. fati autem immobilitatem articulo præcedente concluserat; quæ si admittantur; ad quem modum fortunæ, liberi arbitrii, possibilis, contingentisq; natura permaneat, non uideo. Sed de fati diffinitione, à Boethio nobis exhibita, hucusque. de qua inferius libro octauo, capite penultimo nonnulla dicemus; eamque; sicut nunc Stoicè Boethius exposuit, ita tunc catholicè nos exponemus. Quid quidem fatum sit, ad Academicorum, & Stoicorum opinionem, & eorum breuiter, qui causas omnes intermedias, intra fati diffinitionem, constituunt, hactenus uidimus. Quid autem fatum sit, ad eorum opinionem, qui causas eas intermedias tantùm, quæ naturales sunt, & naturaliter agunt; prima liberè, & necessariò agente; aut etiam quid idem fatum sit, ad eorum sententiam, qui omnes quidem intercidentes causas intra fati rationem constituunt; sed primam supremamq; liberè, & contingenter agere existimant, inferius suo loco dicemus. Interea, quoniam non solùm ii, qui fatum definire hactenus tentauerunt (catholicos excipio) sed alii etiam multi passim reperiuntur, qui fati opinionem, idest rerum cunctarum ineuitabilem necessitatem, mordicus defendunt; aliquot propterea rationibus, præter eas, quas, in principio disputationis, primo libro multas adduximus; quòd fatum, & ineuitabilis rerum cunctarum necessitas, admittenda sit; confirmaturi nunc sumus; ut tam ex harum, quàm ex illarum rationum, argumentationumque dissolutione, rei ueritas, & contingentiæ natura, ac temeritatis ratio magis, ac magis euidens, ac illustris euadat.

Proponitur, quid à nobis excutiendum nunc sit; & uulgatior, famosiorq; Stoicorum de Fato diffinitio repetitur. Cap. X.



POSTQVA'M tum ex Stoicorum, & Academicorum monumentis, tum ex Mathematicorum disciplinis, aliquam iam de Fato concepimus existimationem, nouimusq;, non quid sit (nam quod non est, ut principio libri Posteriorum dicebat Aristot. non est scire) fatum autem, quale illi sunt opinati, ut paulò post demonstrabimus, non est: sed quid saltem sibi uelit uox ipsa, Fatum, & quid per eam, Fati assertores intelligant; audaciusculè possumus nunc inquirere; an reuera, & non tantùm in opinione hominum, sed extra hominum mentes, & opiniones, in ipsa rerum natura fatum consistat (quamuis non an sit fatum, sed tantùm quid sit, inquirendum Alexander existimauerit) & an singula, ut fati assertores arbitrantur, quæ eueniunt, fato, hoc est, ineuitabili necessitate eueniant; uel an potius hominum quorundam ambitione, & quadam dicendi curiositate, fallaciis illud inuentum fuerit; & hominum mentibus turpiter inuectum. Verùmenimuero, cùm fatum ad Stoicorum dogmata, sit series (ut dictum fuit) ordoque, & nexus, complexioq; quædam perpetua causarum secundarum omnium; tum ad seinuicem, tū ad primam; à qua secundæ suo singulæ ordine, & dependent, & digeruntur. quemadmodum (ut plurimas interea eorum opiniones mittamus, qui intellectualem naturam, intelligentemq; primam causam non agnouerunt) de prima ipsa causa, atque de Deo duæ sunt opiniones. Aliqui enim, sicut Theologi nostri, de quibus nonnulla paulò post dicturi sumus; primam causam liberè, & nulla necessitate, sed contingenter prorsus, & pro uoluntate, ac pro uoluntatis arbitrio, atque electione mouere, efficereque ea, quæ efficit, rectissimè, sanctissimèque affir-

A affirmauerunt. Alii uerò, ut Arist. & ante Aristotelem (nisi me mea fallit opinio) Plato, & Stoici, & alii aliarum sectarum philosophantium plurimi, ne dicam omnes, primam causam & si liberè, non tamen contingenter; sed ex suæ naturæ necessitate, ita mouere, atque ita agere, sicut mouet, & agit, putauerunt; ut secus quàm agat, agere; & secus quàm moueat, mouere, non ualeat. Quemadmodum inquam duæ sunt, de modo, quo prima causa mouet, opiniones. Ita duæ, ut in superioribus dictum est, in genere de Fato illo, intra cuius essentiam, uel, ut melius dicam, circumscriptionem, præter cœlestia corpora, Deus inseritur; constituendæ sunt, & opiniones, & fati diffinitiones, siue descriptiones; ut una quidem sit illa; quæ ita fatum diffiniat. Fatum est series, & ordo, siue nexus secundarum causarum omnium ad primam liberè, & contingenter mouentem; unde omnia, idest, suo ordine singula, liberè, & contingenter eueniant; quæcunque eueniunt. Altera uerò quæ ita ipsum describat, Fatum est series & ordo, siue nexus causarum secundarum omnium, ad primam liberè quidem, at non contingenter (etiam si Deum esse fateamur, & intelligentem primam causam illum, statuamus) sed de necessitate mouentem, &
B agentem; unde omnia, quæcunque eueniunt, de necessitate eueniant; nec non euenire, aut alio modo quàm eueniant, euenire non possunt. Quarum quidem opinionum, & diffinitionum prior paulò post, idest ad calcem huius tertii libri, à nobis fusius considerabitur. Posterior uerò diffinitio (ut cap. XXVII, libri de Placitis Philosophorum, inquit Plutarchus) est diffinitio fati (si præsertim causam primam cuncta hæc subcœlestia intelligere dicamus) ad mentem Heracliti, & Platonis: adde, si libet, omnium etiam rectius in sua secta sententium Stoicorum, & Academicorum. Hanc igitur Fati diffinitionem, & opinionem præterea Mathematicorum, Stoicorum, & Academicorum de fato, & de impermutabili, ineuitabiliq; rerum cunctarum euentu, excussuri nunc sumus quàm diligentissimè. Quid autem esse fatum sentiant Peripatetici, paulò post opportunius manifestum erit.

An fatum sit, quale nobis Mathematici, Stoici, & Academici tradiderunt, inquiritur; & pro parte affirmatiua aliquot rationes adducuntur. CAP. XI.

C POSTQVAM plurimas iam ex antiquorum monumentis de fato opiniones, & diffinitiones, siue circunscriptiones collegimus; à quo putant (ut uidimus) Mathematici, & Stoici, & forte etiam Academici, ineuitabili cuncta necessitate euenire; inquirendum superest; An Fatum iuxta positas definitiones existat; præsertim secundum diffinitionem Stoicorum, & Mathematicorum. Pro quorum diffinitione, & Fati cuncta necessariò cogentis, ac (prope dixerim) necessitantis opinione confirmanda; præter ea, quæ multa superius, principio huius nostræ disputationis, ad probandum cuncta, quæ eueniunt, Fato, & ineuitabili necessitate euenire; ad calcem totius operis dissoluenda, adducta fuerunt; pauca quædam nunc quoque adducemus, quæ & non minorem, quàm priora illa, ad soluendum difficultatem facere; & non minus pro Mathematicorum recitata de Fato opinione; quàm pro Stoicorum, & Academicorum decretis, Fatum, & rerum cunctarum ineuitabilem necessitatem concludere uidebuntur. Primùm igitur rationes, deinde sequenti capite rationum confirmationes aliquot afferremus. Prima ratio est communis illa uulgata hominum sententia; *Præteriti ratio scire futura facit.* quemadmodum igitur ad fatum se habet id, quod præteritum, & factum est: ita se habere uidetur & id, quod futurum est. Sed quod factum est, fato, & ineuitabiliter factum est; ita, ut infectum fieri
D non posit. ergo quod futurum est, fato, & ineuitabiliter ita est futurum, ut non aliquando fieri non posit. ponas non fieri; non erat futurum. cuncta igitur ineuitabili necessitate eueniunt. Secundò sunt duæ graues admodum, & ad soluendum difficiles rationes; quarum una pro fato ad opinionem præsertim Stoicorum, altera uerò pro eodem ad opinionem Mathematicorum, facere maximè uidebitur. prior illa est, quæ à Ficino cap. VII, libri Plotini de fato, iis uerbis explicatur. Quarta de fato sententia, unà cum secunda, conuenit in eo, quòd ab uno quodam uitali principio cunctis infuso, singula per rationes seminales existimat generari; quod est potissimùm à Stratone probatum. dissentit uerò in eo; quòd non solùm eiusmodi uitale principium esse efficax arbitrantur; sed multa præterea sub eo, aliquam agendi efficaciam possidere; ita tamen ut non aliter agant, quàm à primo trahantur. Addunt causas sub his alias deinceps, aliasque subinde consequi, atque ita connecti; ut & à prioribus sequentes necessariò deducantur, atque ducantur: & quicquid agunt; necessariò facere; quicquid inde fit; necessariò fieri, atque ad omnem ubique euentum, cunctas inuicem, quamuis aliter alibi, conspirare: quæ maximè uidetur sententia fuisse Chrysippi. Hæc Marsilius. Eandem rationem ex libro Alex. de Fato cap. XIII, breuissimis, interpretem quasi, & paraphrastem agentes, ita explicabimus. Mundus (inquit

quit Alexander) unus est, & res uniuersas intra se complectitur; à uitalique, & rationali, ac intellectuali natura regitur; & serie quadam, atque ordine procedentem dispensationem habet perpetuam. priora nanque causæ sunt posteriorum; cuncta autem sunt ita mutuò connexa; ut in Orbe uniuerso fiat nihil, quod idem non sit cuiuspiam rei alterius causa; quæ ex præcedentibus, & anteiactis causis ineuitabili necessitate consequatur. Nam si secus fieri, & à prioribus posteriora absolui possent; mundus non esset unus; motus esset sine causa; & una eademque administratione regi, & gubernari, mundus non posset. ad quem gubernandum, propria, & singulari cunctarum rerum natura, ac opera Deus Opt. Max. utitur. Hactenus Alex. In quibus uerbis & rationem, & eorum quæ in ratione sumuntur causam, ad Stoicorum placita, compendio explicauit Alex. Sed nos rationem hanc nostro more quàm facillimè sic erigamus. Si prima causa, siue liberè, siue non liberè, modò ex necessitate secundam moueat; secunda prorsus de necessitate mouebitur. sed eodē necessitatis genere secunda tertiam mouebit; quo eadem à priori, & à prima ipsa mota fuerit. ergo secunda etiam de necessitate prorsus & mouebitur à prima, & mouebit tertiam. At tertia rursus propter eandem rationem, ex necessitate & mouebitur à secunda, & mouebit quartam: quod idem de quarta respectu quintæ; & de omnibus breuiter successiuè ad euentum usque rei sequentibus causis, dicendum est. Sequitur igitur, ut si prima ex necessitate moueat; quòd intermediæ uniuersæ causæ de necessitate & moueant, & moueantur. Vnde sequi prorsus est necessarium; ut cuncta tandem ineuitabili necessitate eueniant. assumptum quidem, idest primam causam de necessitate, mouere; tenent cum Stoicis, & Academicis Peripatetici; illationem uerò ii formidant, & abhorrent; qui contingentiam in multis rebus, quin etiam temeritatem in aliquibus doctè tuentur; ac rectè, & eam, ad sensum etiam, demonstrare, conantur. At illatio pro Stoicis & Academicis persuaderi potest; tum quoniam in actione sua posteriores causæ à prioribus dependent; & ab eisdem (ut dictum fuit) mouentur: tum etiam, quoniam positis cuiusque effecti omnibus causis; non potest effectum illud non esse, & non euenire; & nō in lucem deduci; at causæ omnes, pro temporum explicatione, non solùm ponuntur utcunque (si prima causa de necessitate secundam moueat) sed etiam ineuitabili necessitate: quoniam in causis mouentibus, & motis, eousque de necessitate proceditur; quousque ad causam illam ultimam tandem, & proximam deuenitur; à qua effectum, & rei euentum producitur. Igitur non posse eam effectum illud non producere, quod producit, fateri cogimur; cum de necessitate à prioribus causis (ut diximus) posteriores ad effectum producendum semper moueantur, & pendeant. Effecta igitur, quæ ab ipsis primis, & remotis simul, & ab ultimis, immediatisque, & proximis causis producuntur; non poterunt, ut dictum est, non produci. sed cuncta à suis causis remotis, & proximis producuntur; ergo cuncta necessitate ineuitabili produci, & euenire inficiari minimè poterimus. Hanc rationem uisus est confirmasse Aristoteles, cum in fine lib. secundi de Generatione, & corruptione, hoc est parte LXIX, & multis prius dictis collegerit; omnia, quæ apud nos sunt, ideo ex necessitate moueri in circuitu, quia quod in circuitu mouetur, semper aliquid mouet. Verba Arist. ex interprete hæc sunt. Hæc profectò rationabiliter, cùm perpetuus sit circularis motus; & ille, qui cœli est; quoniam hæc ex necessitate fiunt, & erunt; quotquot sunt, sunt motus huius, & propter hunc. Si enim quod circulariter mouetur, semper aliquid mouet; necesse est & horum motum circulo esse. Vt si est superior latio circularis, Sol ita circulo mouetur: quoniam autem sic, sunt temporum uicissitudines; idcirco circulo fiunt, & reiterantur. His autem factis, cætera ab his fiunt. Hactenus ille. quibus uerbis ostendit cuncta moueri, & mouere; quia à motu circulari cientur.

ALTERA non minus urgens, & efficax ratio, quæ pro fato, ad Mathematicorum præsertim opinionem, concludere uidebitur, est, Quoniam effectus cuiuscunque agentis, ineuitabili necessitate sequitur in subiecta materia, & in ipso patiente; quando uirtus efficientis tanta fuerit, quanta ad patientem materiam sibi plenè subiiciendam requiratur. Diximus enim libro secundo, ex efficientium infirmitate, quibus uel materia per uirtutem formæ, qua pro tempore actuatur, resistit; uel aliunde intercurrentes causæ obiiciuntur; temeritates, & euenta fortuita proficisci. Sed tota hæc sublunarium rerum omnium collecta materies, uirtuti cœlestium corporum, mentiumque corpora illa mouentium (si cœlestibus corporibus motrices intelligentes substantias adhiberi dixerimus) effectioni patientissimè, humillimeque ita subiecta est, ut ad illam plenè, & exactè subiiciendam, plus in illis uirtutis minimè requiratur. Ergo corporum cœlestium, mouentiumque huiusmodi corpora uirtutum effectiones, in hac materia, ineuitabili necessitate prorsus recipiuntur; quæ à Mathematicis influxus appellitantur. Innuit nobis hanc rationem forsitan Aristoteles, quando libro primo de Historia animalium, cap. XXVIII, ex interprete, inquit. Tum etiam multis in locis cœli, & situs conditio causa, ut in terra Illyrica, & Thracia, & in Aepyro, asini parui habentur, in Scythica, & Gallica nulli, propter immodicum frigus; in Arabica lacerti, magnitudine cubitum excedunt, & cætera huiusmodi. Omnia igitur, quæ saltem

A tem in iis inferioribus, & materiatis rebus eueniunt; ita ex cœleſtium uirtutum influxu de neceſ
ſitate eueniunt penitus; ut uel non euenire, uel ſecus quàm eueniant, euenire non poſsint. fatum
igitur, & cunctarum rerum impermutabilis neceſsitas.

Opinio de Fato, & neceſsario, impermutabiliq́; cunctarum rerum euentu, multis modis confirmatur. CAP. XII.



MVLTIS modis opinio de Fato, & impermutabili rerum cunctarum euentu,
confirmatur. Primò ex communi, & uulgata, quam omnes homines habent de
Fato opinione, quòd ſit; atque adeo celebri; ut nequaquam an Fatum ſit, ſed
quid ſit Fatum, tantùm inueſtigandum eſſe, Alexander cenſuerit. Illæ nanque
opiniones, quæ hominum mentibus, non per alias antepoſitas opiniones,
& rationes; ſed quaſi à natura inſertæ eſſe uidentur (ut tradunt Philoſophi, &
præſertim lib. ſeptimo Ethicorum cap. XIII, Et libro de Somno, & uigilia Ariſt.)
falſæ penitus eſſe non poſſunt. Eſt enim (inquit Cicero) hominum conſenſus, quaſi naturæ uox.
B Heſiodus propterea poſteriorem partem libri cui titulus, ἔργα καὶ ἡμέραι his clauſit uerſibus.
» φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ
» λαοὶ φημίξουσι. θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή.
» hoc eſt. Fama, quam multi populi celebrant: perire funditus non poteſt. Dea etenim quædam,
» & ipſa eſt. Quamobrem Anaxagoras uir alioquin grauiſsimus, cuius dictis maxima à cunctis ad
hibebatur fides; cùm Fatum negaret; & puram, uanamq́; uocem eſſe Fatum aſſereret: minus
apud ſuos fide dignus extitiſſe perhibetur. Secundò, ex primo libro cui titulus Meteora, Ne
» ceſſe eſt (dicebat ibi Ariſt.) hunc mundum ſuperiori eſſe continuum; ut omnis uirtus eius inde
» gubernetur. Si nanque uirtus omnis ſubcœleſtis, ab illa cœleſti regatur, ac moueatur; quocun-
que modo, ſiue ex neceſsitate, ſiue ex contingenti illa cœleſtis agat, & moueat; qui hanc ſubcœ-
leſtem non de neceſsitate (quantum ad ſe attinet) agi, & moueri, non confitebimur? quanto autem
magis, ſi & illa, à qua regitur, & mouetur; de neceſsitate, ut aiunt Peripatetici, agat, quicquid
agit. Iſtud eſt, puto, quod ſub maximi Clitiæ erga Solem amoris fabula, uelarunt Poetæ; quam
ita illũ deperire confinxerunt, ut eandem ex Zelotypia in uirgultum illud, quod Empirici Heli-
tropium uocant, ferant conuerſam; quòd præcurrentem ſolem undiquaque ſuis aſpectibus, iu
C giter illud proſequi uideatur. Vnde etiam nomen Helitropium ἀπὸ τῆς πρὸς τὸν ἥλιον τροπῆς, id
eſt ab ipſa ad Solem conuerſione, Poetæ deſumpſiſſe uidentur. Id nempe, quod fabula inſinuat,
mihi eſſe uidetur, quòd terra, & hæc moles elementorum, atque ſublunaria cuncta, qualitati-
bus affecta cœleſtibus, ab eiſdem undiquaque rapiantur; quoniam omnis illorum uirtus inde,
ut dicebamus ex Ariſtotele, gubernatur. Quinetiam libro quarto de Hiſtoria Plantarum cap. x,
Flores loti Aegyptiæ Sole occidente comprimi; lotumq́; ipſam ſub aquis ſucceſsiuè, ut Sol occi-
dit, utq́; ſub imis tegitur, contegi, oriente uerò eodem, mox aperiri, & ab aquis (ut Sol ori-
tur, utq́; ab imis ſupra orizontem ſurgit) exurgere, tradidit Theophraſtus. Quæ res ut paulò an
te dicebamus, regi hæc inferiora à ſuperioribus, & terrena à cœleſtibus moueri, demonſtrare ui
detur. Mirum illud omnium eſt, quod libro XVIII. cap. XXVII, ſcriptum reliquit Plinius de her
bis quibuſdam, quæ Vergiliæ ea cauſa dictæ ſunt, quòd cum ſtellis eiuſdem nominis oriantur, &
occidant. Quid nanque hæc, & alia id genus innumera aliud nobis ſignificare poſſunt, quàm quòd
omnis harum ſubcœleſtium rerum uirtus, à cœleſti corpore & excitetur, & dirigatur? ut in rebus
quidem omnibus Fatum aſſeramus, & ſi non in omnibus ſit æque manifeſtum. Nempe ſi ex una
luna globoſa, & rotunda oſtenſa, libro ſecundo, de Cœlo & Mundo; parte LIX, & aliquot ſe-
D quentibus, omnes ſtellas globoſas, & rotundas collegit Ariſt. quid nobis, ex cœleſti, in una, uel
altera re, qualitate, & influxu oſtenſo; unde ad motum aliquem, rem illam cogi conſpicimus;
de cæteris ſimiliter rebus omnibus colligere, prohibebit? Idem etiam tertiò confirmari
ex lapidibus quibuſdam poteſt; quorum aliqui pro Lunaris luminis permutatione, ex cæru-
leo colore in candorem, & contrà ex candore in cæruleum permutantur. Alii uerò maculis qui-
buſdam inſigniti ſunt; quæ ad Solis motum ſingulis horis permutari uidentur. hunc puto he-
lithem, & illum ſelynethem; & utrunque forſitan aſtritem, nonnulli lapidarii appellitarunt.
Narrarunt mihi quidam, Leonem X, & Clementem VII, huius generis lapides habuiſſe. Vn-
de quæſo, his lapidibus hæc impræſsio; niſi ex cœleſti quodam rebus uniuerſis influxu demiſſo,
quo uaria uariis modis, inſuperabili quadam neceſsitate, afficiuntur? Quid de lapide magne-
te dicemus? qui à ſtellis poli borealis conuerti dicitur; de quo hoc obſeruatum affirmant multi
(ut lib. de Sympathia & antipathia retulit Hieronymus Fracaſtorius, uir apprimè eruditus) per
pendiculum in nauigatoria Pixide, magnete illinitum, in noſtro quidem hemiſphærio à Fortuna
tis inſulis ad Catygaram declinare dextrorſum, in altero uerò hemiſphærio nutare ſiniſtrorſum.

Quartò. opinio recitata de fato confirmatur. Quoniam Suetonius Tranquillus, dum de Vita Sergii Galbæ Imperatoris edisserit; nobis ſcriptum reliquit; triumphantibus Imperatoribus morem fuiſſe, lauros quaſdam, pangere (lauri puto ramos illos, quos ipſi triumphantes geſtabant manibus) & obſeruatum præterea fuiſſe, ſub cuiuſque Imperatoris obitum, arborem ab ipſo inſtitutam elanguiſſe. addit, Nouiſsimo Neronis anno, lauretum totum radicitus exaruiſſe. Quomodo namque accidere iſta potuiſſent, niſi ab una cœleſti quapiam, eademq́, uirtute, & ab uno aliquo, eodemque fato, triumphantis, & à ſe inſtitutæ lauri, Neronis & ſyluæ, ſiue laureti uiredo, & ariditas; uita & mors dependiſſent? Quid de Phalangio, qui uulgo Tarantola nuncupatur, dicemus? à quo ſiquis morſus fuerit, uel quotannis (ut quidam retulerunt) tempore, quo fuit morſus, uel nunquam (ut alii affirmare uidentur) ſtare loco nequit; quoad phalangius uixerit; eo autem uita functo, ceſſat ille motus; niſi uirtute cœleſti aliqua iſtud fiat; qui fieri poterit? Quinimmo (& eſt confirmatio quinta) expresſiſſe ſæpe nobis fatum uidetur ſummus illæ naturæ interpres Ariſt. ut libro quinto Phyſicarum auſcultationum, ad tex. LVII, & libro quarto de Generatione animalium, in ultimis ferè uerbis, & libro quinto de Hiſtoria animalium cap. XIX. Quaſdam enim in his locis generationes fatales affirmauiſſe illum, quilibet uidere poterit. Libro item primo cui titulus Meteora, capite ultimo, dixit. magnas æſtates, & magnas hyemes fatalibus temporibus fieri. Multis præterea locis (& eſt confirmatio ſexta) ut libro primo de Cœlo, libro ſecundo de Generatione, & corruptione, libro ſecundo ſiue minore primo Metaphyſicæ, libro quarto de Generatione animalium cap. ultimo, & ſæpe alibi; certam rebus periodum à natura inſtitutam; & præſcriptum uitæ, & ſuæ durationis cuique rei terminum eſſe, affirmauit. quod eleganter in libro decimo Virgilius exprimit, dum inquit, *Stat ſua cuique dies.* Iſta periodus, & hoc uitæ præſcriptum, unde eſſe habet, ſi non à fato? ſi periodum admittimus, cur fatum negamus? Hæc ſunt, quæ poſt rationes, & confirmationes illas, quas multas, & admodum ualidas in principio noſtræ diſputationis libro primo poſuimus; nobis pro ineuitabilis fati confirmatione occurrerunt; quæ cuncta ad finem huius tertii libri diſſoluemus. Interea ne ſimplicior quiſpiam his adhæreat, multis epicherematibus, & machinamentis, & certis adeo rationibus, ac euidentib. demonſtrationibus aduerſus fatum ita ſpero, dimicabimus; ut fatum ipſum & ipſam, quam de ineuitabili, impermutabiliq́; rerum neceſsitate plurimi habent opinionem, penitus euertiſſe nos, quiuis facilè intelligere, poterit.

Aduerſus fatum communes aliquot rationes adducuntur. CAP. XIII.



VERVMENIM uero & ſi multis confirmationibus, & ualidis admodum rationibus, ad fatum aſtruendum, uſi fuerimus; aduerſus nihilominus eam, quam de fato communiter habent homines exiſtimationem, ut quod fatum ſit illius generis, cuius opinati ſunt, uel Stoici, & Academici, uel Mathematici, uel alii quicunque; ſcilicet ut uel certo ſiderum influxu, uel præfixa cauſarum complicatione, uel diuina præordinatione, uel alio quocunque neceſsitatis modo, quæ eueniunt, ab eo ineuitabiliter eueniant. Quin contrà, quòd nullum omnino in rerum natura ſit tale fatum; aut ſi ſit in uana tantùm quorundam hominum opinione conſiſtere; præter ſolidas, inconcuſſaſq́; illas rationes, quas in primo lib. aduerſus fatum, & cunctarum rerũ impermutabilem neceſsitatem prius adduximus; alias nunc non minus conſtantes; & ſolidas immo ſolidiores forſan, & efficaciores adducemus. Aliquot igitur nondum à nobis productis ante epicherematibus, contra fatum arguitur. Et primò eſt auctoritas Anaxagoræ Clazomenii, qui (ut lib. de Fato cap. primo retulit Alexander Aphrod.) fatum eſſe penitus denegauit. Ait enim loco citato ex Anaxagora Alexander; nihil eorum quæ fiunt, fato fieri, uanumq́; eſſe hoc fati nomen. Secundò, quoniam omnis humanus ſenſus, contra iſtius generis fatum, quod cuncta neceſſariò cogere, impellereq́; dicitur (ut ſuperius dictum fuit) euidentiſsimè reclamat. Conſilia enim euertit; humanas negociationes deſtruit; liberum arbitrium, & id, quod eſt in nobis demolitur; fortunam præterea, & caſum abigit; leges, pœnas, & præmia tollit; otium, ignauiamque hominum, & torporem nutrit; nihil denique in uita honeſti, & commodi relinquit. Multa etiam alia, quæ ſtatim admiſſo huius generis fato conſequuntur incommoda, quiuis animo compræhendere, quin etiam oculis quaſi cernere; & quotidie experiri magis, quàm ego nunc oratione proſequi, facilius poterit. Cuncta fortunæ tribuere (dicebat Plutarchus. per fortunam fatum intelligens) nihil aliud eſt, quam omnem uiuendi rationem funditus tollere.

CONFIRMARI poteſt ratio. quoniam natura ſicut non deficit in neceſſariis; ita ſuperfluò, ac fruſtrà operatur nihil. tribuit autem homini uim conſultandi, atque deliberandi. non igitur fruſtrà. at fruſtrà ocioſeque eam tribuiſſet; ſi omnia fato euenirent. Non me interea præterit, quibuſdam argumentorum ineptiis, quæ ab Alexandro in extremis duobus capitibus libri

A bri de Fato, recitantur; conari Stoicos, cum fato consilia, deliberationes, fortunam, leges, præmia, pœnasque coniungere. Sicut cum dicunt; Non est fatum id est εἱμαρμένη, & series causarum, & non πεπρωμένη id est, quod omnia terminat; Non est pepromene, & non Αἶσα, idest quod semper est, Non est Αἶσα, & non nemesis, id est rerum distributio; Non est nemesis, & non lex; non est lex, & non recta ratio, quæ agenda imperet, & contraria prohibeat; quæ nanque imperat, sunt rectè facta; quæ prohibet sunt peccata; non sunt hæc, & non uirtus, & uitium; uirtus est honesta, & laudabilis, uitium uerò uituperabile; non sunt laudabile, & uituperabile, & non sunt pœnæ uel præmia; igitur non est Fatum, & non leges, & pœnæ, & præmia. Et cum dicunt: Non omnia fato fiunt, & non est libera, atque soluta mundi administratio: Non est hoc, & non est mundus; Non est mundus, & non sunt Dii; At Dii sunt, si uerò Dii sunt, boni sunt: si boni sunt, uirtus est; si uirtus est, prudentia est; si prudentia est, scientia rerum agendarum, & non agendarum est; si hæc est, consilium, & fortuna, & rectè facta, & peccata sunt; si hæc sunt, & laudabile, & uituperabile sunt; si hæc sunt & præmium, & pœna sunt. Igitur non est Fatum, & non sunt leges,
B & consilium, & præmia, & pœnæ: Vt sicut negare Fatum, sit leges tollere; ita Fatum ponere, sit leges, & consultationes, & præmia, uel pœnas statuere. sed harum, & id genus aliarum Stoicarum rationum infirmitas, atque ineptia, magis manifesta est, quàm ut pluribus sit nunc demonstranda. Illud tantùm referam, quod eisdem obiecit Alexander; quoniam lex iis datur, quibus utrunque uidelicet rectè agere, uel non rectè, potest contingere: non iis autem qui impulsione quadam ineuitabili, & à circunstantibus causis ad unam consultationis, & eius quod est in controuersia, uel alteram partem compelluntur. unde sequitur oppositum eius, quod Stoici putauerunt, arguentes. si est Fatum, est lex; immo si Fatum est, lex non est. Simili modo claudicat argumentum illud. Si est fatum, est Deus; immo contrà, si fatum est, Deus non est. quoniam Deus si esset, mundum regeret, & non auferret ab homine libertatem, & ab ipsis humanis rebus contingentiam, & casum. Eodem modo sequitur: si fatum est, prudentia non est: contra quàm putant Stoici. Quid enim prudentia opus est, ubi nihil fit, quod per hominem aliter disponi, aut uitari possit? Item quod dicunt. si Dii sunt, uirtus est; si uirtus est, prudentia est. malè certè collectum est, & ineptè in Diis esse prudentiam: quoniam prudentia non est uirtus Deorum, sed hominum. Prima etiam sequela posterioris rationis, id est, si est fatum, est mundi administratio; non bene colligit. quoniam in mundi administratione, permittuntur euenire aliqua
C contingenter, aliqua ex electione, aliqua ex fortuna, & casu; quibus omnibus fatum aduersatur. Sed tum ex incomposito modo loquendi, tum ex multitudine argumentorum, auditoris animum occupare, decipereque conantur Stoici. Tertiò, est ratio Plutarchi libello de Fortuna quòd cum homo unus, ut meminit Plato, & lib. septimo Naturalis historiæ scripsit Plinius, inermis inter omnia animalia, nudusque sit à natura relictus: ut non sit satis æstimare, parens melior homini, an tristior nouerca fuerit. ante omnia unum animantium cunctarum alienis uelat opibus: cæteris uariè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, uillos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, uellera: truncos etiam, arboresque cortice interdum gemino, à frigoribus, & calore tutata est: hominem tantùm nudum, & in nuda humo natali die lacrymabundum abiicit, contenta unum illi dedisse; quo omnia moliri posset: nempe rationem, curam, & prudentiam. Porrò experientia, atque longo usu, memoria, sapientia, & bonis artibus (teste Anaxagora) bona earum animantium, quas armauit natura, nobis usurpamus: mel colligimus; lac mulgemus; uellera conficimus; omnia denique in usum nostrum conferimus, atque traducimus: ita ut nullæ hic sint fortunæ partes: sed totum agat consilium, & industria.

Hoc ipsum artes omnes astruunt. Quæ nanque (ut lib. de Fato cap. III. inquit Alexander)
D foret dementia, domum, lecticam, lyram, calceos, & ea breuiter, quæ ex arte, maxima sæpe industria fiunt, fato fieri dicere, aut etiam opinari? At dicunt Stoici: ea etiam, quæ ex arte, & industria facimus: ex circunstantibus, circunfusisque quibusdam circa nos causis, ineuitabili necessitate facimus. Sed, amabo, si ita se res habeat; quid laborem arti, & industriam adhibere necesse erit? Quid ad lyram pulsandam ratione, ad choream ducendam numero, ad canenda carmina rithmo, ad aliquid denique faciendum, quid inquam mente, & singulari quadam animi attentione opus est? quorsum in scholis sub clarissimorum uirorum disciplina diutius immoramur? & tempora frustra conterimus? si ex circunfusis causis, & earum complicatione quales sumus, tales euadimus? Sed aduersus uanam Stoicorum opinionem inferius; nunc autem in uniuersum fatalem necessitatem impugnamus.

Aduersus opinionem Mathematicorum de Fato arguitur. Cap. XIIII.

Mathe-




MATHEMATICI (ut diximus) in uniuersum, fatum dixerunt esse uim quandam, quæ à sideribus, cœlestibusque corporibus emanaret, rebus his subcœlestibus omnibus insinuandam: qua ineuitabili necessitate fierent, & euenirent, quæcunque fiunt, & eueniunt; communiter inquam Mathematici (ut Ptolemæum, & alios multos probè doctos, de Fato modestius loquentes excipiamus) nec Mathematici tantùm, sed ex idiotis, & uulgaribus permulti, ne dicam ferè omnes, ita de Fato, & fatali rerum cunctarum necessitate sentire uidentur. Atque hi quidem Mathematici (paucis quibusdam Aegyptiis exceptis, de quibus paulò superius dicebamus, qui uim fatalem quibusdam precibus auerti posse crediderunt) à nulla sideribus, & corporibus cœlestibus superiori uirtute, uim istam fatalem deriuari, uel moderari posse putauerunt: quòd hæc corpora cunctarum rerum supremam causam existimauerint. Verùmenimuero, quòd ii in hac sua opinione bis (ut dicitur) per omnia decipiantur; iam sumus breuibus ostensuri. Inquirimus, igitur ab his in primis: an uis ista siderum, & cœlestium corporum, quam Fatum appellant, quæ in ista feriora, & subcœlestia delabitur: & siue agant ista aliquid, siue patiantur: agere, aut pati necessitat, atque impellit. An inquam istiusmodi uirtus uoluntate aliqua, & sui iuris arbitrio, an nulla potius uoluntate, sed sola natura sua, & modo tantùm naturali agat, illud omne, quod agit? Voluntate (quæ sui præsertim iuris sit, & arbitrii) illam agere, dicere isti (puto) non possunt. Primò, Quòd diuinam, id est spiritualis cuiusque superioris substantiæ ab hac uirtute (in quo etiam pessimè errant) segregant uoluntatem. nulla autem alia, quam superioris naturæ; & breuiter diuinæ huic uirtuti, & ipsi cœlesti corpori uidetur posse ascribi uoluntas. Secundò, Quoniam cum ab hac una uirtute, talis, tantaque, ut patet, rerum, & actionum diuersitas, passim, ubertimque proueniat. Si uoluntate, & non natura, uim istam agere dixerimus: liberè omnino, & contingenter hoc, uel illud uirtutem istam, & uelle, & efficere (contra eam, quam de Fatali uirtute ipsimet habent opinionem) fateri cogerentur. hoc est à uoluntate cuncta, quæ sui iuris esset penitus, & non quæ de necessitate ageret, euenirent. Tertiò. quod magis, urget: non siderum, siue cœlestium corporum uirtutem eam dicemus, quòd hæc quicquid agat, necessitate, atque naturæ suæ propensione, non autem uoluntate, agere dicatur, sed alicuius intellectus (contra propriam opinionem) intellectualisque cuiuspiam naturæ, atque uoluntatis, & Dei summi Opt. Max. hanc uim esse, negare, illi non possent. E F

SI autem non aliqua uoluntate (quemadmodum reuera isti dicere uidentur) sed natura tantùm sua, atque propria, licet occulta qualitate in nos ipsos, & in hæc inferiora agere dicantur cœlestia corpora, & ipsa sidera, siderumque uirtutes: cum in homine uno, & eodem tam distantes sæpenumero inter se opiniones, & appetitus, in eodem tempore simul ingeneret (quod in seipso nullus non expertus est) omnium miserrima erit humana conditio. Quòd tam in diuersa à uirtute superiore per uiolentiam distraheretur. Adde quòd cùm natura quælibet, omni uoluntate semota (ut experientiis infinitis cuilibet manifestissimum esse potest) in unum tendere, in idemque omnino semper niti, conspiciatur: qui tantam in rebus, tantam in rerum actionibus & passionibus, tantam in hominum uel iudiciis uel desideriis, tantam in cæterarum animantium appetitibus, diuersitatem, & inconstantiam, ab hac una ui, ab isto uno quod isti putant, necessitatis Fato, & ab hac una siderum occulta uirtute proficisci, atque emanare, putabimus? cùm isti præsertim (ut lib. secundo de Diuinatione copiosè admodum retulit Cicero) uelint, omnes eodem tempore exortos, ubi ubi terrarum nascantur: eadem conditione nasci. Vt nihil ad natum, uentos, imbres, tempestates, cœli serenitates, uel perturbationes; sed hanc tantùm cœlestium siderum fatalem uirtutem, facere existiment. Quis non uidet, quantam in moribus, à parentibus filii instructi diuersitatem referant? Quot eodem etiam temporis spacio nati sunt: qui tamen longè dissimiles & educationes, & naturas, & uitas, & casus habuerunt? G H

QVOT similem uitæ exitum habuerunt, in uitæ moribus dissimillimi, atque distantissimi? Plutarchus in uita Niciæ, & Crassi, hos asseruit eundem ferme uitæ exitum habuisse; cum tamen Nicias, nullum diuinationis signum aliquando neglexerit; Crassus uerò contrà, omnia Deorum portenta penitus contempserit. Filiorum forma (inquit Plotinus) parentibus similis testatur pulchritudinem, deformitatemq; ab ipsa stirpe, non ab astrorum motibus proficisci. Addit. Probabile est insuper eodem in tempore animalia omnigena, hominesq; simul oriri; in quibus eadem omnino oporteret accidere; quibuscunque stellarum eadem dispositio imminet. At quomodo homines simul, & cætera per easdem cœli figuras exoriuntur? Cap. VII lib. quinti de Ciuit. Dei, Istam opinionem, istamque Mathematici fati uanitatem, pulcherrimo exemplo illudebat B. August. Eodem etenim (inquit ille) die, adde, si libet, & eodem temporis momento, ad seminandum agrum, multa grana simul in terram ueniunt; simul germinant; & exorta segete simul herbescunt; pubescunt; flauescunt; & tamen inde spicas cæteris coeuas, atque (ita dixerim) congerminales, alias rubigo interimit; alias, aues depopulantur; alias homines euellunt.

A uellunt. Quo nanque modo istis, alias constellationes fuisse dicturi ii sunt; quas tam diuersos exi
» tus iidem habere conspiciunt; cum eodem temporis momento semina ad terram uenerint, & ger
» minarint? Quod si (ut nos aliquid addamus) una est granorum cunctorum constellatio, sicuti (si Mathematicorum modum loquendi sequamur) unam esse dicendum est; & illa naturaliter (ut fatentur) agere dicatur: ad quem modum ab eodem agente, & ab una, & eadem uirtute naturali, & naturaliter operante, tanta prouenire in effectibus diuersitas potuit? Si in illa constellatione, & in illo tempore constellationis, Fatum erat flauescentia grana manibus euelli; unde aliqua ab auibus depasta sunt? si ab auibus depasci; unde aliqua manibus hominum sunt auulsa? Quotidie ingentes terra, marique hominum clades inspicimus, aut gladio, aut impetu tempestatis: ut aliquando centena hominum millia simul pereant: dicemus'ne illos omnes habuisse ex genesi, ut uel tunc pereant, uel ex eodem ferè genere mortis?

Tollitur quædam Mathematicorum euasio, & eorum Fatum uehementius improbatur. Cap. XV.

B 
ED ne fortasse ad ipsorum subiectorum huius uirtutis impreßionem recipientium, atque ad rerum, ab eadem ui, patientium discrimen, aut ad temporum uel minimam permutationem, uel ad stellarum errantium, aut non errantium mutui aspectus, suiq; situs, & configurationis, ac proportionis repentinam transmutationem, uel ad locorum, opportunitatumq; aliarum diuersitatem confugiant; duo subiecta huius uirtutis influxum æquè, quantum ad se attinet, recipientia; quæ quidem eiusdem naturalis prorsus temperamenti, & huic fatali, ac cogenti uirtuti; æquè proxima sint in eodem simul loco, quantum poßibile est, constituta, eodem quoque temporis momento concepta, & in lucem ædita sumamus. Sint non Proclus, & Euristenes Lacedæmoniorum reges gemini fratres, qui, & si simul orti, non tamen pari tempore uita functi sunt; nec æquali cum gloria uixerunt. Non Polystratus, & Hippoclides Epicuri discipuli, eodem, die nati, eodem die mortui, quibus diuersa multa nihilominus contigerant; ne dicatur, quòd diuersis utcunque temporibus, & momentis nati fuerant. Non Iacob & Esau, quamuis, ut lib. secundo cap. XVII, super Genesi, dixerit Beatus Aug. manus sequentis, Iacob scilicet, dum nasceretur, inuenta sit pedem præcedentis fratris, hoc est Esau tenens; & usque adeo sic nati sunt; ut quasi unus infans in duplum prolixior nasci uideretur. Non plura sata eodem tempore
C re grana. Non alia breuiter duo distincta subiecta, ne (ut dicebamus) ad patientium diuersitatem confugiatur, sed sint duo aliqua eiusdem subiecti, & patientis, ut eiusdem hominis, ut Demosthenis membra; ut, uerbi causa, duæ manus; immo (ut duo patientia ista, in unum, quàm maximè fieri potest, cogamus) sint duo eiusdem manus digiti inuicē quàm proximi. Sint index, & medius. Horum unus uehementer doleat, alter uerò incolumis prorsus, sine aliquo dolore permaneat, & uigeat. Neque profectò hoc impoßibile est; cùm multi, & plures, quàm ego aliquando uellē, hoc in seipsis non rarò experiantur. Quinimmo uirum quendam ego noui, cuius index sæpè propemodum emoriebatur, medio prorsus incolumi permanente. Si uis ista naturalis est, & in ea, quæ eodem tempore, & simul prorsus, & seminantur, & concipiuntur, & oriuntur, edunturq; in lucem, omnino naturaliter agit; cur unus horum digitorum tam uehementer dolet, alter uerò sibi per quàm proximus eodem tempore cum illo conceptus, ab eisdemq; pro genitoribus satus, unà in hanc lucem cum eo editus, sine dolore prorsus permanet? Nam si eos ambo igni æquè admouerimus, non unus calefiat, & alter incalefactus permanebit; si aquis, non unus frigescet uel madefiet, altero frigoris, & humiditatis, prorsus ex parte; sed uterque uel cale
D fiet, & ab humiditate patietur; uel non calefiet, nec patietur ab humido; quod ignis, & aqua quibus illi admoti fuerant, agentia sint naturalia. Si igitur & ista uirtus fatalis, à qua cuncta, ut illi aiunt, impermutabili neceßitate proueniunt, uirtus naturalis sit: &, ut iidem fateri tenentur, naturaliter agat: cur duobus istis patientibus sibi æquè appositis, nec non æquè dispositis in eodem loco, & tempore, & sub eadem stellarum configuratione simul genitis, simulq; in lucem editis, & eiusdem speciei utrisque, & temperamenti, ne forte limum & ceram ignibus ad mota nobis obiiciant, æqualem qualitatem, dolorem, uel indolentiam uis ista fatalis non impartitur?

SI dicas unius digiti humores intemperiem patiuntur, non alterius; ideo dolet unus, non alter. Hoc est, quod nos quærimus, si cuncta ab ista fatali uirtute, & naturaliter, & de neceßitate fiunt; & hæc uirtus, si non semper, singulis tamen temporis instantibus una, atq; eadem est in toto cœlesti corpore, & in toto uniuerso; unde ea (ut superiori cap. dictū fuit) quæ in diuersißimis etiā distantißimisq; locis oriuntur; eadem, pro ratione naturæ suæ, si eodē tempore oriantur, pati deberent; quòd sub eadem siderum configuratione, & constellatione sint orta. Non enim in isto temporis instanti collocata sunt, uno modo Venetiis, cœlestia corpora, alio uerò modo Neapoli,

uel

uel Byzantii, sed eadem ubique locorum est corporum, & siderum cœlestium constitutio; & ex consequenti idem ubiq; debet esse Fatum; quod ultrò isti uidentur admittere; Si præsertim Ciceroni lib. secundo de Diuinatione (quem locum prius citauimus) credendum sit; nec est aliqua hic, & ibi in illis cœlestib. corporibus diuersitas; nisi fortasse relatiua, & ipsius aspectus (cum dixi aspectum, omnem relationẽ, quæ inter nos, & cœlestia corpora esse potest, significare uolui) quæ quidem diuersitas, Fatum nequaquam esse potest; tum quia diuersitas ista in cœlo minimè est, nisi fortassis ut in relationis termino; sed est tantùm in nobis, hoc est in sola aspectus nostri habitudinis diuersitate; nec aliter in nobis est, nisi ut in altero comparationis, & relationis termino. tum quia relatio ipsa, quatenus uidelicet relatio est; actione penitus carere, ex omnium Philosophorum consensu, clarissimum est. at hæc cœlestia corpora, atque iste stellarum influxus, & uirtus ista siderum, & agit, & naturaliter, quod si etiam fatali (ut illi putant) necessitate nos undique premit, urget, cogit. cui dubium, quod etiam atque etiam uehementer agit. non ergo potest ex uaria aspectus nostri relatione, quæ infirma res est, uariari. Cur ergo illa etiam, quæ in distantissimis locis oriuntur, non eadem agunt, & patiuntur? cur non ubique terrarũ eadem animalium, plantarum & lapidum genera non oriuntur? cur (inquam) iterum, in duobus iis digitis, qui eiusdem speciei, eiusdemque temperamenti sunt, simul conceptis, simul in lucem editis, atque ita quàm proximè, ut in eodem loco dicere possumus, tanquam idem subiectum constitutis, & æque à principio dispositis, in eodem temporis instanti, tam diuersa producit una uis ista, ut in uno, non in altero humorum æqualitatem dissoluat?

Acrius aduersus Mathematicos instatur. Cap. XVI.



SED quid diutius in duobus digitis moror? Dicant nobis ii, quæso, cur unius, & eiusdem digiti articulus unus, dolore uehementer urgetur, cæteris illæsis; unius similiter, & eiusdem uirgulti una pars aret, altera tamen illi proxima, & (dixerim) continua, simulque cum ea nata, uiridi permanente? cur Hector uulneratur in brachio, non in crure, & in parte brachii A. non autem in parte B. sibi proxima, & continua, simul cum parte A. concepta, nata, edita, adulta. & eiusdem prorsus temperamenti, & dispositionis? Diceret hoc loco fortasse quispiam decreti Mathematici defensor, id, quod nobis excellentissimus D. Vincentius Madius conciuis noster, uir eruditissimus, & Philosophus nostri temporis nemini secundus, secum pridem familiariter colloquentibus obiecerat, illud autem est. Non partes, sed totum ipsum fatalem uim commouere, & urgere. index propterea digitus dolet, non medius; similiter una pars uirgulti est uiridis, altera aret sibi proxima, aut eiusdem digiti unus articulus dolet, non alter, uel in A. parte brachii Hector uulneratur, non in B. quia Fatum erat, ut & Demosthenes & Hector, & uirgultum, ita per partes disponerentur.

SED aduersus euasionem istam est primò argumentum B. Gregorii; quoniam uirtutẽ constellationis in ictu puncti statuunt Mathematici; multa autem, pro partium orientium multitudine, est mora natiuitatis; igitur uel plura sunt unius, & eiusdem rei fata, pro partium, & eorum momentorum, quibus ipsæ partes eduntur, multitudinis ratione, & non unum; uel si unum est; totius, & singularum partium unum, & idem fatum erit; quòd si totius, & partium unum, & idem fatum sit; sequitur, uel ut nullum sit fatum; uel saltem ut minimè naturaliter agat; sed liberè; cum tam diuersi sint ipsarum partium casus. utrunque Mathematicis absurdum est. Si nanque unum, & idem est, cum una, & eadem siderum constitutio uix per instans temporis perduret (uelocissimum nanque esse motum cœli, quis ignorat?) partus autem editio longo tempore absoluatur; qui fieri potest ut unum sit nati fatum? ita ut non partes, sed totum ipsum sit illud tantùm, quod fato urgeatur? Adde si fatum naturaliter agit; quomodo patientia sibi æquè admota, tam uariè disponit? Ignis nempe subiectum, & patiens ipsum totum, & singulas totius partes, æquè sibi propinquas, uno, & eodem modo disponit, & afficit; & aqua similiter, & aer; quin etiam Solis radius, & cuncta breuiter ea, quæ naturaliter agunt. Si uerò non unũ, & idem est; quod uidentur illi Mathematici dicere; qui singulis animalis partibus ex firmamento signum proprium assignare conantur, quod eisdem dominetur; & illis uim quandam cœlestem præcipuam influat, ut capiti Arietem, collo Taurum, humeris Geminos, cordi Cancrum, Leonem pectori, & ita in singulis discurrendo. Sequetur eiusdem rei, ut animalis, non pauciora esse fata, quàm partes, & mẽbra. Et cùm membrum quodlibet plures etiam partes habeat, & quælibet alias rursus habeat partes, quæ non omnino simul in lucem prodire queunt, sed post alia, alia, fata propè in infinitum, augebimus; quod cùm absurdissimum sit; unum cuique rei (si fatum asserendum est) & quarumlibet eius partium dicemus fatum; sed cum longam in nascendo temporis moram trahat, & tot (ut dicebamus) in partibus diuersi casus eueniant; uel tollemus fatum; uel ipsum rursus non na-

turaliter

A turaliter agere confitebimur. quoniam ea, quæ naturaliter agunt, & uno eodemq; modo agunt, & in unum, eundemq, finem singula, pro ratione naturæ suæ, tendere conspiciuntur ut tam uarios euentus illa non proferant.

SECVNDO, si fatum sit totius, & non partium; sequitur, ut, quæ partibus eueniunt, non Fato eueniant; sed forte, uel contingenter; quod similiter suis dogmatibus pugnat. Dicemus enim, si Hector in brachio uulnerabitur, Hectorem quidem in brachio ineuitabili necessitate uulnerari; brachium uerò contingenter. quod profectò ridiculum adeo est, ut nihil magis.

TERTIO est unus quispiam, qui simul uellet, & non uellet adulterari; quo nanque modo ab una, & eadem cœlesti uirtute, & illa naturaliter agente, in eodem patiente subiecto, & in eodem tempore, tam diuersa, & contraria poterunt prouenire? Si fatum est, uelle; quomodo non uult? Si, non uelle; quomodo uult? Dices fortasse idem uult, & non uult: sed per aliam, & aliam potentiam, ut per sensum uult; per intellectum uerò, & rationem non uult; non inconuenit autem hoc, etiam si fatum sit unum; & idem naturaliter agat. Videmus enim quòd idem Solis calor, & lutum durat, & ceram emollit; & eiusdem mulieris pulchritudinem sensus appetit, ratio

B contemnit.

SED euasio ista defendi non potest, tum quia non sunt hic plura subiecta, sed unicum, ut uerbi causa, Alcibiades, tum quia uoluntates, & appetitus, & operationes illæ, etiam si sint per plures potentias; sunt tamen operationes non ipsarum plurium potentiarum, sed ipsius unius subiecti, & totius; quod & unum, & idem est, & una, & eadem fatali uirtute asseris urgeri. Non enim dicendum est (ut quidam uidentur dicere) quod sensus uelit, ratio non uelit. non enim ratio, uel sensus uult, aut non uult; sed is cuius est ratio, ut sensus, ut, uerbi causa, Alcibiades. is nempe per sensum id appetit, quod per rationem cōtemnit. Dices fortasse, Fato uult Alcibiades, & non uult, adulterium. cupit contemptum, & contemnit cupitum. Sed quid dici potest insipientius? Quid excogitari potest absurdius? sed sit, ut libet. Si in eodem subiecto, & eodem temporis instanti tam diuersa fatum producit; sequitur euidentissimè, & quòd uirtus fati, uirtus naturalis agentis non sit; & quòd illa necessitandi uim minimè habeat. Ea nanque, quæ naturaliter agunt, & urgent, coguntq; impermutabiliter, non diuersa, & opposita in eodem tempore, & in

C eodem subiecto producunt (cum in eodem patiente opposita simul; & pugnantia idem ut faciat, sit impossibile) sed unum. quòd si uirtus naturalis non fuerit; præter hoc quòd non urgebit, non erit uirtus cœlestis corporis, aut siderum cœlestium; quòd hæc quicquid agit, naturaliter agat.

Aduersus iterum Mathematicorum Fatum, instatur; quoniam de Fato negligenter Mathematici dixerunt. Non enim declararunt unde sumendum sit rei Fatum. CAP. XVII.



RVRSVS aduersus Mathematicorum opinionem de Fato, arguitur. (Id nanque Mathematicis possumus obiicere, quod aliàs Empedocli, & Democrito Arist. obiecit) De eo enim negligēter Mathematici dixerunt. primò, Quoniam ab istis declarandum erat, unde sit rei cuiusque Fatum auspicandum. an ex ea hora, qua primùm rem opifex aggreditur. an qua idem aggredi cogitauit. an qua res primùm effecta est. Vt si de hominis Fato, exempli causa, loquamur; declarandum erat, Vnde'nam sit illius Fatum sumendum. An cùm homo ad prolem suscipiendam, uxorem ducere cogitauit. An cùm primùm cum illa congreditur. An cùm semen uiri ac-

D crescit in utero. An cùm primùm cordis forma imprimitur. An cùm ultima forma fœtui acquiritur. An cùm in lucem editur. Quid horum potius statuemus? cum omnia sint eiusdem rei principia, eaq; cuncta digna principatu conspiciantur; unde rei Fatum desumendum secundum Astrologorum dogmata decernatur. Ptolemæus plus conceptui quàm genituræ: alii contrà plus genituræ quàm conceptui tribuerunt; ut ex ipsorummet multiplici, contrariaq; sibi inuicem opinione, Fatum nullum esse, facilè conuinci possit.

Non declararunt iidem ad quem modum ad nos uis Fati delabatur. CAP. XVIII.



SECVNDO ab istis etiam declarandum erat; quomodo hæc uirtus tam potens, ut omnia cogat, atque necessitet; à corporibus cœlestibus ad nos delabatur: Et an deserat illa corpora ad nos accedens; quod uisus est, ex Platone, Proclus aliquando dicere; qui circa finem libri de Theologia Platonica, ubi de trinitate Parcarum edisserit; fatalem uirtutem cœlum attingere, & tempore illud deserere affirmauit. An potius cœlum, & terram simul, ueluti duabus quibusdam extremitatibus, attingat? quod alii dixerunt. Mercurius Trismegistus à cœ

lestibus corporibus per luminosos radios uim istam ad nos delabi semel, atq; iterum dixisse fuit E
uisus. Fatum igitur (si hoc uerum est) erit ipsa cœlestium siderum lux. A' luce nanque lumen, luminosiq; radii descendunt ad nos, atque proueniunt; quæ ergo in tenebris fiunt, non poterunt Fato esse subiecta. Sunt enim ita tenebræ ex perspectiuis priuatio omnis luminis, sicut umbra luminis principalis. at homines intra ipsius uteri tenebras concipiuntur: dum igitur concipiuntur, nihil (quod suis dogmatibus pugnat) à Fato perpeti poterunt. Sed cum ex utero prodibunt, tunc demum fato subesse credentur; interea nulla imprimitur uis fatalis fœtui.

SED dicent isti; quòd & si non perueniat intra uterum lumen, peruenit tamen luminis uirtus, à qua illa, quæ ibidem fiunt, non secus quàm ea, quæ in tenebricosis terræ uisceribus, non ex lumine, sed ex alia quadam solari, cœlestiq; uirtute oriuntur, ineuitabili necessitate fiunt. Verùm aduersus euasionem istam arguitur. Primò nanque sequitur, quòd uis ista non descendet tãtùm per lumen, sed per quodpiam aliud descendere poterit. Secundò. quoniam uis ista, quæ à luce, siue à lumine, siue ab alia occulta qualitate cœlesti descendit; quæcunque illa sit; & quomodocunque, & usquecunque illa descendat; uel est tantæ actionis, & efficientiæ, quantæ est lumen, siue lux ipsa, siue alia qualitas, quæ in cœlo est; & à qua descendere ipsa dicitur; uel minoris, atque imbecillioris (amplioris nempe esse non potest; quoniam effectus suam causam superare non ualet.) Si primum. necessum est, ut uirtus illa, sit infinita. Omnis nanque uirtus, quæ finita est; ut F
eo remissior fiat; quo longius ab origine protrahatur, atque in plura diffundatur; necessarium esse, demonstrat experientia. quod nos etiam inferius cap. XL. præsentis libri fusius ostendemus. Sed hanc uirtutem esse infinitam, est impossibile. PRIMÒ. quoniam si lux cœlestis infinitæ uirtutis fuerit; nullo egebit instrumento naturali. Instrumenta nanque naturalia, uirtuti finitæ naturali naturaliter debentur; uel igitur non aget illa lumine, aut qualitate aliqua delabente; sed per se & immediatè, cum sit uirtus infinita, uel si aliquo medio agere dicatur, frustrà erit in natura medium illud. per plura nanque id fiet; quod per pauciora æquè bene, & accommodatè fieri poterit.

SECVNDO'. sequetur quod in corpore finito erit uirtus infinita. quod impossibile esse longo progressu lib. octauo Physicarum auscultationum, & libro primo de Simplici corpore, quàmplurimis, hisque firmissimis rationibus demonstrauit Aristoteles.

SI uerò postrèmum dixeris & uirtutem istã, quo à fonte distantior processerit, eo infirmiorem fieri, non negaueris; tunc per rationes similes Aristotelis rationibus sexto, & octauo libris Physicorum, & libro primo de Cœlo, & Mundo, & alibi. hoc est per calculum augmenti, & decrementi uirtutis mouentis super resistentiam mobilis; & resistentiæ similiter ipsius mobilis super motricem uirtutẽ (qui quidem calculus per maiorem, uel minorem distantiam, uel appropinquationem; seu per aliam quamcunque dispositionem, uel indispositionem agentis, & eius, quod patitur; ualde admodum euariari poterit) ab huiuscemodi fato ineuitabili necessitate fieri tandem colligemus nihil. Casum fortasse dices impossibilem; quòd nec uirtus mouentis, nec resistentia mobilis augeri possit, aut minui. Nempe uis mouens est uis cœlestium corporum; quæ inuariabilis, & impermutabilis est. Patiens, & mobile est hæc moles elementorum uniuersa; & eorum, quæ ex elementis constare dicuntur; quæ quidem penès totalitatem (ita dixerim) & uniuersitatem suam æterna est, & impermutabilis; mutabilis autem tantùm secundum partes, & indiuidua. Longior item, ac maior distantia inter agens, & id, in quod agit, unde uirtus ista fatalis remissior ac infirmior fiat, esse non potest. Terra nanque, quam habitamus, & in qua uiuimus, orimur, & occidimus; non potest distare amplius, quàm distet. distat nanque tota diametro. G

SED euasio nulla est. Multa namque esse sæpe supponuntur; quæ nihilominus impossibilia sunt. Lib. septimo Physicorum, dimensionem sine subiecta re; & prius, hoc est lib. quarto, sonum à corpore separatum, supposuit Physicus. Mathematicus lineam in infinitum pertrahi, & sphæricum corpus planum in puncto contangere; supponit; quæ sunt quidem impossibilia omnia: H
& non ita, ut supponi non possint; quo, quid inde sequatur, uideamus. sola namque (ut principio lib. septimi Physicarum auscultationum ex Alexandro declarauit Simplicius) illa ad suppositionem inepta, & impossibilia esse dicuntur, quæ contradictionem includunt, & mutuò pugnant, atque inuicem destruuntur. Exemplum erat apud eundem. si quempiam per saxa nauigare supposuerimus; aut uti quempiam naue lapidea, uel ferrea. Sed talis non est suppositio; qua cœlum à terra fieri longius, aut propinquius, supponebamus.

VERV'M absque impossibili aliqua suppositione, immo duce experientia, ex iis, qui in altissimis montibus, & iis, qui in imis conuallibus oriuntur hominibus, & degunt; arguatur. Illi nempe, ut sunt cœlesti lumini proximiores, (& si approximatio ista percipi sensu non possit) ita fatalem uim istam exactius recipere; & ab eadem intimius affici deberent: at res, si illis præsertim credamus, qui sideribus (quod libro nono, & ultimo luce meridiana clarius demonstrabimus) uim maleficam iure denegant, contra longè se habet. sunt enim illi immanes, ac crudeles, & ueluti ferini, qui altiores montes incolunt, contrà qui conualles habitant mansueti, ac humani. ut

à cœlesti

A à cœleſti uirtute mores ſuos illi uel non ſuſcipiant; uel ſi ſuſcipiant; tam modico interſtitio uis iſta, quæ in ſummis altiſsimorum montium cacuminibus influit, cum ad imam conuallem perue nerit; infirma, ac debilis adeo eſt effecta (quippe ex ferina in humanam uerſa eſt) ut, ſiue permuta bilis, ſiue impermutabilis illa ſit; ſi à cœlo oriri longiuſculè, & degere nos contigiſſet, nos prorſus, qui uallis imum habitamus afficere, uel inficere; nihil aduerſarii faceri cogerentur.

Non declararunt Stoici an Fatum aliquo egeat nec ne. CAP. XIX.



ERTIO declarandum item ab iſtis erat, An uirtus iſta, quæ ab ipſis fatum appellatur, aliquo conſeruante egeat, an nullo potius. Si nullo eget, quid hæc ipſa ſit uirtus nullo indigens, declarandum erat. Certè non accidens uis iſta, ſi nullo indiget, eſſe poteſt. Quòd (ut omnibus confeſſum eſt) ad ſui conſeruationē, & tutelam ſubſtantia aliqua, accidens quodcunque prorſus indigeat. Non enim per ſe ſtare poteſt, conſequens eſt ergo, ut ſubſtantia omnino ſit. Sed quæſo quæ? Spiritalis'ne? at negant cœleſtibus corporibus aliam præeminere ſub-
B ſtantiam: præemineret autem, ſi uis iſta ſubſtantia ſpiritualis eſſet: cùm ipſa cœleſtia corpora ſub ſtantiæ (ut patet) corporeæ ſint: corpoream uerò naturam, præcedat ſpiritus.

ADDE quòd ſi ſpiritualis ſubſtantia eſſet; intellectus eſſet, at intellectus omnis appetitum habet annexum, uoluntatem: ſed iſti ab hac uirtute omnem iam abegerunt uoluntatem: ne liberè ageret. non ergo ſpiritualis ſubſtantia poterit eſſe. Ergo corpus eſt: quòd omnem omnino ſubſtantiam uel corpum, uel ſpiritu eſſe, ſit neceſſarium. Sed quod eſt iſtud corpus? nunquid ipſum cœleſte? cœleſte enim uidentur omnes dicere. At quomodo ipſum cœleſte corpus, fatum erit; ſi fato, ſecundum iſtos, idem & moueatur, & regatur? Aut quomodo hæc cuncta terrena noſque item ipſi fatis agemur; ſi tantùm à nobis cœleſtia abſunt corpora? Agunt autem (ut Phyſicorum rationes & copioſè, & efficaciter probant, per contactum aliquem naturaliter agentia cuncta. Docet enim ratio Mathematica, quam primo libro Meteorologicarum impreſsionum etiam Ioan. Gramm. docuit; quam iſtis notam eſſe oportebat; quantum à terra Luna diſtet: quantum Luna à proxima Mercurii ſtella abſit: multo autem longius à Veneris, maiori interuallo à Solis diſtat; reliqua uerò tria interualla infinita, & immenſa, à Sole ad Martis, inde ad Iouis, ab eo ad Saturni ſtellam, inde ad Firmamentum ipſum; quod extremum, atque ultimum mundi eſt. Quæ poteſt igitur contagio ex infinito penè interuallo pertinere ad terram? & tam potenter afficere noſtra corpora? nec noſtra ſolùm, ſed elementorum, plantarum, pecudum, uolucrum, pi-
C ſcium; hominis denique uim omnem commouere? rapere? cogere?

AT dicunt Mathematici, quòd per occultam uirtutem cœleſtia corpora nos contangunt: quæ ab eis ad nos iugiter delabatur.

Sed quæro ab illis, an hæc ipſa uirtus, quæ ad nos delabitur, & nos contangit; ſit ea, quam illi fatum appellant; an non ipſa fatum ſit, ſed ſit fati naturale inſtrumentum, per quod eueniant, quæ eueniunt ineuitabili neceſsitate; ad quem modum ad proprias operationes obeundas, igni inſtrumentum naturale, eſt caliditas.

Si primum. primò ſequitur, quòd corpus cœleſte non erit fatum, quod prius confeſsis aduerſabitur.

Secundò. quòd fatum non erit ſubſtantia, ſed accidens; quod ſimiliter prius admiſsis refragatur.

Tertiò. quòd hæc uirtus, quæ talis ac tanta eſt, ut cuncta cogat, atque neceſsitet; aliquo ſuſtentante indiga erit: quod abſurdiſsimum prorſus eſt.

Quartò. cùm illud ſuſtentans, non poſsit eſſe niſi ſubſtantia; cui omne accidens inhærere tan-
D dem eſt neceſſarium; & ſubſtantia præſtantior ſit accidente; non ſolùm relabemur denuo in priores difficultates, ſed longè etiam difficiliores incurremus.

Si uerò ſecundum & uirtutem iſtam eſſe fati naturale inſtrumentum dixerimus; urgebit nos argumentum ſuperius factum. Quum enim omne naturale inſtrumentum (ut prius dictum fuit) ſit uirtutis finitæ inſtrumentum; & uirtus finita, quo longius labitur, eo magis diminuatur; delabatur autem tanto, atque iterum tanto ad nos (ut diximus) interuallo. ſequitur, ut admodum remiſſa (cum ad nos peruenerit) ac ualde impotens exiſtat. Sic ut ex calculo (quod dictum eſt prius) augmenti, & decrementi uirtutis agentis, & reſiſtentiæ paſsi, & aliorum aliunde obiter occurſantium interpoſitione, ex toto, uel ex parte in ſua operatione facilè impediri ualeat: unde omnem denique in iis ſaltem ſubcœleſtibus, & ab illa fatali uirtute adeo diſtantibus rebus ineuiabilem neceſsitatem tollere, fuerit neceſſarium.

Aduerſus item Mathematicorum fatum, per incommoda, quæ ſequuntur innumera, argumentatur. CAP. XX.

E



AD ISTAM Mathematicorum de fato opinionem innumera, eademq; maxima ſequuntur abſurda. Abſurdum autem ex Logicorum principiis, non niſi ex abſurdo procedit, ſequiturque opinio igitur eſt abſurdiſsima. cogitur nanque opinio ſtellas maleficas, in ſui conditoris iniuriam, & iniuſtas facere; quòd ad iniuſta opera, ut ad furta, ad homicidia, ad inceſtus, ad ſtupra, ad parricidia, ad proditiones, ad alia denique id genus innumerabilia nefanda facinora hominem cogant: ad hoc autem præmiorum, & pœnarum ablatio, legum corruptio, liberi arbitrii denegatio, diuini cultus amotio, pietatis omnis neglectus, ciuitatum euerſio (ſed rem cœpimus numerare in explicabilem) totius (ut ſemel finiamus, & ſimul infinita colligamus) orbis confuſio denique ſequitur maxima.

MITTO multa Auguſtini, multa Gregorii, multa Origenis, innumera Illuſtriſsimi Domini Pici Mirandulani, & aliorum doctiſsimorum uirorum, quæ à nobis adduci poterant, argumenta: quòd compendio diſputationem agere, & ex nobis, non autem ex quinterno dicere ſtatuerimus. Hæc nihilominus, quæ diximus, tot ac tanta, atque tam firma, & urgentia ſunt: ut plura, aut maiora, ac firmiora, urgentioraque ad opinionis uanitatem, & abſurditatem, uel demonſtrandam, uel conuincendam, cordatum, & doctum uirum haud deſiderare, crediderim. Non tamen negamus interea; quin cœleſtia corpora, ſiue cœleſtium corporum uirtutes, in hæc ima, & ſub cœleſtia cuncta (intra nanque eorum ita dixerim, uiſcera, iſta incluſa ſunt, & in nos ipſos non quidem in iis, quæ ad animum; ſed in iis tantùm, quæ ad corpulentam conſtitutionem attinent, agant; & multum agant. Nec negamus ſimiliter, quin ex cœleſtium corporum motu, & ex ſiderum configuratione, & aſpectu, tanquam ex ſignis quibuſdam, multa prædici poſsint: & omnia fortaſſe, quæcunque in Orbe uniuerſo eueniunt; quod inferius libro ultimo diffuſè ſatis declarabitur. Sed nunc illud tantùm conſtantiſsimè inficiamur, quòd aliqua ſit in cœleſti corpore, quæ uel in eo permaneat, uel ab eo ad nos, modo aliquo, demandetur, ac delabatur naturalis uirtus, quæ talis, ac tanta ſit, ut Fatum dicatur. hoc eſt, à qua, illa quæ fiunt, & eueniunt, omnia; ita fiant, & eueniant; ut non fieri, & non euenire; uel aliter, quàm fiant, & eueniant; fieri, & euenire non poſsint. Sed aduerſus Mathematicos hactenus.

F

G

Aduerſus opinionem Stoicorum de Fato, rationes ſex, ex Stoicorum met diſciplinis collectæ, adducuntur. CAP. XXI.



MVLTAS prius ex Stoicorum, & Academicorum diſciplinis, de Fato, diffinitiones, uel deſcriptiones potius, & nominis circumloquutiones poſuimus; ex quibus, ad eorundem opinionem, ex Deorum prouidentia, per æternam quandam cauſarum complicationem, omnia ineuitabili neceſsitate euenire; non ſolùm latiſsimè colligebatur, tanquàm ſequela quædam; ſed in ipſa etiam Fati diffinitione, hoc ipſum, tanquam eius eſſentiale quidpiam perſpici facillimè poterat. Verùm enimuero aduerſus hanc opinionem, ex ipſiſmet Stoicis, aliquot hinc inde collectis rationibus, arguitur; illaque ſagittis (quod aiunt) ſuis confoditur, & ex propriis principiis funditus tollitur, ac euertitur. PRIMO, quoniam rationalem animam, quam liberam putarunt, & prædicarunt Stoici; electionis libertate, & actionis auctoritate, proculdubio hæc eorum opinio priuat. Cum enim (ut cap. VIII, Libri, de Fato retulit Alexander) ponant Stoici, omnia, quæ in Orbe uniuerſo ſunt, ſecundum naturam ſuam agere, à circunſtantibus cauſis impulſa, ut lapidem deſcendere naturaliter, adiuuantibus circunſtantibus cauſis. animal moueri, ut mouetur naturaliter, per impulſum (impellitur enim imaginatione) adiuuantibus externis, & circunſtantibus cauſis. hominem ſimiliter per uelle, aut nolle, naturaliter moueri; ſed imaginatione, & ab eo quod ſibi apparet, impulſum; externis item, & circunſtantibus cauſis ad iuuantibus. quæ, quæſo, poteſt præterea in homine libertas remanere? Nam ſi inanimata, ut dicunt Stoici, mouentur per naturam; animalia per naturam, & impulſum; & hoc commune eſt omni animali; iuuantibus hæc, & illa, circunfuſis externis cauſis, non magis remanebit in homine liberum arbitrium, quàm in quouis bruto; immo quàm in quouis inſenſato, & inanimi lapide. Ad quem modum autem animalia per impulſum, ad Stoicorum opinionem, moueantur; non declarauit Alex. fortaſſe poſſumus nos, & quidem non abſurdè admodum, exiſtimare, animæ operationes ab impetu quodam, qui impetus, ut appetitus dicatur, nihil prohibet, emanare: impetum porrò iſtum ab imaginatione; imaginationem à præſentibus rerum phantaſmatibus, & ſimulachris, circa nos circunfuſis; & in nobis etiam, hoc eſt in extrinſecis ſenſuum noſtrorum ſedibus,

H

A dibus, uel (ut uulgo uocantur) ſenſiteriis, agentibus; ac pro ratione naturæ ſuæ ſenſum prius, mox animum noſtrum pulſantibus, & impellentibus, deriuari (quæ quidem ſimulachra, tum ſpectra, tum uiſa, ab illis appellitantur) uiſa autem ab ipſis rebus, res denique à perpetuo cauſarum ordine ineuitabili neceſsitate proficiſci. Quòd ſi, uel per coniecturam, Stoicorum opinionem aſſequuti ſumus; quid amabò in nobis arbitrii; quid in noſtra uoluntate relictum eſſe poterit liberæ poteſtatis? Sed dicunt Stoici; uiſa non impellunt; ſed tangunt ſolùm, & adiuuant. At quòd uiſa non tangant ſolùm, & (ut illi dicere ſolent) adiuuent tantùm; ſed etiam animum ad aſſentiendum, uel diſſentiendum (hi nempe ſunt motus animi) impellant; inferius libro ſexto, dum ad rationem quandam Chryſippi dicemus, manifeſtum erit. Sed rurſus dicunt Stoici; quocunque res ſe habeat modo; hominis eſt, uelle, aut nolle; ut liberi ſemper ſit arbitrii. In his enim (inquiunt illi) humana libertas conſiſtit. At contra (inquit Alex.) non in uelle tantùm, aut nolle, hoc eſt in ipſo actu uolendi, aut nolendi, ſtat hominis libertas; ſed in uelle, & nolle, cum electione, & cum conſultatione libera, & ratione præcedente (quod nos libro de Humano arbitrio copioſè demonſtrauimus) ex principiis autem Stoicorum, cùm homo uult, aut non uult; ita natura-
B liter (non autem liberè, & ex electione) quàm uelit, & ineuitabiliter uult, aut non uult; ut ſecus, quàm ſtatuat, uelle, & ſtatuere non poſsit. Quamobrem rectè dicebat Cicero in libro de Fato. » Qui introducunt cauſarum ſeriem ſempiternam; ii mentem hominis uolũtate libera ſpoliatam, » neceſsitate Fati deuincunt. Hæc ille. SECVNDO adverſus illos egregiè arguit Cic. lib. de Diuinatione. Quum enim cum Fato Stoici diuinationem defendant; diuinationem autem diffiniant, præſenſionem eſſe earum rerum, quæ in fortuna ſunt poſitæ: (Ita enim apud Ciceronem Stoicos Quintus ſequutus diuinationem diffiniebat,) aliquas omnino res eſſe, quæ in fortuna, ſecundum Stoicos, poſitæ ſint, ex neceſsitate conſequitur. ſed ſi aliqua in fortuna ad opinionem Stoicorum ſunt poſita, quorum præſenſio, diuinatio ſit; proculdubio uel fatum non eſſe; uel ſaltem non omnium eſſe, Stoici fateri coguntur. Quoniam fatum diuinationi (ſtante illa diuinationis diffinitione) & diuinationem ipſi fato penitus aduerſari, neceſſum eſt. Vt duorum alterum, uel fatum, uel diuinationem de medio omnino tollere, illi cogantur. Sed diuinationem Stoici (uti in principio noni & ultimi libri uidebimus) mordicus defendunt. Fatum ergo ex neceſsitate tollendum erit. Quòd ſi, cum diuinatione, fatum etiam, quod faciunt, admittunt, & tueri conantur; cùm diuinationem præſertim eo, quo dictum eſt, modo diffiniant; quid aliud quàm nugas, ut di-
C citur, agunt? & nugis nugas ineptè contexunt? Sed reſpondebunt fortaſſe ad argumentum Stoici: Fortunam non eſſe, ut nos putamus, cauſam, quæ temerè obrepat; ſed quæ certa, & determinata ſit, licet occulta. At quàm inepta ſit iſta euaſio, inferius capite XXIII, copioſè ſatis demonſtrabimus.

TERTIO eſt argumentum B. Auguſtini ex Stoicis petitum, contra Stoicos ipſos lib. quinto de Ciuitate Dei, cap. IX. quoniam in ordine, & ſerie illa à Stoicis poſita cauſarum, & complicatione perpetua, à quibus effectus cuncti ineuitabili neceſsitate ab ipſis Stoicis produci dicuntur; magnum habent locum noſtræ uoluntates, quæ ſecundum Stoicos liberæ ſunt; ergo non omnia de neceſsitate eueniunt. quæ enim à cauſa merè, & uerè, atque eſſentialiter libera proueniunt; ineuitabiliter neceſſaria eſſe non poſſunt; niſi effectui amplius, quàm cauſæ (quod abſurdum eſt) tribuere uoluerimus. Tollenda eſt ergo, uel noſtræ omnino uoluntatis libertas, ita ut uel non ſit penitus, uel ſaltem in ordine cauſarum locum non habeat; uel rerum omnium ineuitabilis neceſsitas. Sed quodcunque abſtuleris, Stoicorum ſtatim dogmata, & uanas ſtructuras demolitus fueris. Qui nanque cum Fato, libertatem uoluntatis, uel cum uoluntatis libertate, Fatum annectere putant; oleum quod aiunt, & operam ſe tandem perdidiſſe cognoſcent. Si dicas li-
D bertatem tuentur Stoici humanæ uoluntatis; ſed illam in uelle, & nolle ſtatuunt, ut cauſarum ſeriem, & euentus ineuitabilem neceſsitatem, impediat nihil. diximus paulò ante, & inferius etiã dicemus fuſius, non in actu tantùm uolendi, aut nolendi, humanam libertatem conſiſtere.

QVARTO eſt argumentum Alex. Aphrod. libro de Fato cap. XII; quod primo libro nos prius adduximus; quo contra Stoicorum de Fato opinionem, ex ipſiſmet Stoicis arguebatur. per quod B. Auguſt. prius factum argumentum ualidiſsimè confirmatur. Quoniam ipſimet Stoici docent, diſcunt, hortantur, conſulunt, increpant, caſtigantq; ſuos ſeruos, tanquam propria uoluntate peccantes; Libros ſcribunt, quibus iuniores inſtruantur. Non ergo iuxta ipſorummet etiam Stoicorum opinionem, omnia ineuitabili neceſsitate eueniunt. Alioquin (ut bene alibi aduerſus Mathematicos dicebat Auguſt.) ſeruos ſuos in domo peccantes, non prius uerberare quiſpiam ſineretur; quàm Deos ſuos in cœlo radiantes idem blaſphemare cogeretur. Quis'nam ex Stoicorum familia, ſeruum: uel filium, quem uel ineptiarum ſuarum pœnitere, uel ſcelerum pœnas luere cupiat; uerberaret, qui prius Deos, Deorumq; prouidentiã, & præſcriptum illum cauſarum ordinem, unde euentus ille, repræhenſione, & uerberibus, dignus emanauit; non blaſphemaret? Non'ne ridiculum eſt; quod de Zenone ſcribit Diogenes, ſeruum propter furtum uerberante

uerberante? cui cum ex uerberibus, Fato furatum fuisse clamitaret, ait; Et ego te Fato uerbero. E
Sed ad argumentum redeamus. Nam si quosdam hortari student; ut agnoscant, oportet, quosdam sua oratione concitari posse; contraq;, quàm faciant, facturos fuisse, si ipsi tacuissent. Si libros complures, quibus erudiri adolescentes optarunt, scriptos reliquerunt; hominis certè libertatem confessi fuerunt, & fatalem illam necessitatem ab humanis operationibus abdicarunt. Non igitur cuncta, ex serie causarum, ineuitabili necessitate, eueniunt; neq; ex circunfusis, ut illi aiunt, circa nos causis, ea omnia de necessitate agimus; quæ agimus. Quinta ratio ex lib. I Natu. Quæst. Alex. cap. IIII, sumi potest. in quo loco ex causarũ colligatione, id quod contingens, & possibile dicitur Stoicos auferre demonstrauit. Verum est, quòd uoce saltẽ, id quod possibile dicitur, illi admittant; sed cùm possibile re uera illud dicatur, quod & esse, & non esse potest; quod autem ex causarum cõplicatione fit; non possit non fieri; sequitur, ut quod re uera possibile sit, relinquatur nihil. Quoniam autem poterat fortassis hoc loco dicere pro Stoicis, quispiam, idem esse possibile, & necessarium. possibile quidem sui natura, necessarium uerò ab extrinseca causa, & ab illa causarum colligatione. Hoc, inquit Alex., Stoicorũ non sapit opinionem; qui Fatum, & ipsam seriem causarum, inter ea, quæ extra rem sunt, poni minimè permittunt. Sed contra hoc Stoicorum placitum, & quòd extrinseca causa fatum sit arguitur. PRIMÒ; quoniam causa efficiens, F
& effectus ita in plerisque effectis omnibus distinguuntur realiter; ut causa sine dubitatione præcedat effectum. Igitur extra effectum est. Nisi enim extra effectum esset; illum non præcederet. SECVNDÒ. Nõ sit causarũ series extra effectum; sequitur quòd posita quam uolueris causarum serie, ponerentur omnes omnino effectus; quod maximum erit incommodum. sequela ostenditur. posita serie, A, causarum, ponitur, B, effectus; quoniam fatum per uos; & causarum series non est de extrinseca, sed de intrinseca ratione effectus; igitur simul est cum effectu; sed positis, A, &, B, ponitur, C, effectus, propter eandem rationem; posito autem, A, B, C, causarum ordine, ponitur, D, effectus, & ita in infinitum prosequendo. Igitur si fatum de intrinseca effectus ratione sit; fatum autem sit series illa causarum; consequens est, ut supposita quamuis causarum serie, ut, uerbi causa, posita serie causarum, A, ponantur effectus, B, C, D, & reliqui, qui ab iis causis sequuntur omnes; ii autem sunt, quotquot tandẽ in Orbe uniuerso eueniunt. Hoc autem tanquã absurdissimum derelinquitur. TERTIÒ. ipsimet Stoici (nisi nos & Alex. & Cicero decipiant) confitentur ad certam causarum seriem, certos sequi effectus. si igitur causarum seriem effectus sequuntur; cui dubium quòd illa præcedit, & extra effectum est? Non solùm igitur fatum erit quid, à ratione effectus, extrinsecum; sed illa etiam, quæ ex fato proueniet, necessitas, necessitas erit extrinseca, hoc est uel relationis, uel consequentiæ, siue suppositionis, in qua uidelicet uno G
posito, siue secundum naturam, siue præter naturam illud ponatur; ex necessitate sequatur alterum; & erit ac si multos lateres erexeris; & eosdem ita constitueris ut unus, si cadat, siue secundum naturam cadat, siue præter naturam; alterum sibi proximum impellat, & cadere faciat; Et iste in casu suo alium sibi proximum; & ita prosequaris. posito certè quòd primus cadat, sequitur ex posito, ut alii ex necessitate suo ordine prosternantur singuli. Tunc sic arguitur; Quod ex suppositione necessarium est; sua natura contingens est; probatur; quoniam si natura sua non esset contingens; esset absolutè, & simpliciter necessarium; non igitur necessarium ex suppositione; at res & rerum euentus, per uos, ò Stoici, ut paulò ante colligebamus, necessarii ex suppositione sunt, fiunt enim ex posita quadam, & certa causarum serie; alioquin non sequerentur certum ordinem causarum, sed essent omnino, siue poneretur, siue non poneretur ille ordo; quod uos non dicitis, absolutè igitur, & simpliciter contingentes erunt. Nempe quod ex suppositione necessarium est; ut sæpius admonuit Arist. absolutè, & simpliciter inter contingentia reputatur. Adde quòd id quod ex suppositione necessarium est (ut hoc modo necessarium est) à causa extrinseca est necessarium. Fatum autem per uos intrinseca rei causa est; & absolutam dicit necessitatem. Ergo aut nihil Fato fieri, cùm omnia à causa extrinseca, idest à serie causarum fiant, aut H
in apertam contradictionem uos, trudi necessarium erit.

SEXTO loco est ratio, quam tum ex libro de Fato Alexandri, cap. XV, tum ex libro Paradoxorum Ciceronis colligere possumus. Ea autem est. Quum ex Stoicorum sententia, sola uirtus sit bonum; solum uitium sit malum; hominem uelint, nolint, omnium animantium pessimam naturam fuisse nactum, illi confiteri coguntur, quum præsertim sint mali omnes, secundum ipsos, paribus uitiis contaminati; ut nihil alius ab alio differat; & æque insaniant, quicunque sapientes non sunt; sapientem autem, & bonum uirum unum; aut ad summum alterum, fuisse nugentur; tanquàm animal quoddam inopinatum, & mirabile; præterquã naturam, & magis quàm Phœnicem Aethiopicum solitarium. Erit igitur, ut dicebamus, omnium animantium homo miserrimus; quippe cui uitiositas, & insania uel insitæ sunt, uel saltem ex circunfusis, ut illi aiunt, causis ineuitabili necessitate attributæ. At quod monstrum est; illud animal, quod inter omnia animalia, absolutum, perfectumq; est, & quasi diuinum; & propter quod (ut ipsimet Stoici ul

A trò fatentur) facta ſunt cætera omnia; peſsimam, inter omnia, naturam nactum fuiſſe, fateri? Pugnat igitur Stoicorum opinio, & ſibi ipſi, & communi mortalium omnium conſenſui. abſurdiſsima ergo eſt, & ab humanis mentibus prorſus abiicienda.

Aduerſus item Stoicorum de Fato opinionem, tria argumenta; quorum primũm eſt Alexandri Aphrodiſienſis, duo poſtrema Petri Pomponacii. Cap. XXII.



TSI multa cap. ſuperiore, Stoicorum de fato opinioni, adeo firma obiecerimus argumenta; ut uel mediocriter doctos, opinionem funditus fuiſſe à nobis euerſam, intelligere facilè, confidimus; non deſunt tamen, quæ obiici adhuc poſsint, quamplurima. Ex quibus tria ſunt à nobis in præſentiarũ adducenda; quorum primum ex Alexandri, reliqua ex Petri Pomponacii monumentis referemus.

B Primvm eſt. Quum ſibi de Philoſophia potiſsimùm blandiantur Stoici, ut qui ſoli præ aliis, & uideri & appellari Philoſophi uehementer percupiant; mirandum eſt; quo modo de rerum euentu, repudiato ſapientum uirorum iudicio, cum plebe indocta, & ignaris uulgaribus, opinentur, & ſentiant. Docti nempe, & ſapientes uiri, inter alia multa, quæ non admittunt ſolùm, ſed ad ſenſum etiam percipiunt; quæ tum à Stoicis apertè negantur, tum perſequelam, ex poſitis ab illis principiis, negare illi coguntur; humana libertas eſt. qua ſi bene (ut par eſt) homines uſi fuerint; uirtutes, præmia, laudes, & gloriam eos ſibi comparaſſe. ſin malè, in uitia, pœnas, uituperationes, atque ignominiam incurriſſe, certum eſt. Quod ſi iidem, qui hac ipſa libertate abuſi ſunt, reſipiſcant; ſeſeq; colligant; ſiue id per ſe ipſi, ſiue ab aliis admoniti id faciant (hoc autem multis uſu uenire ſolet) profectò cognoſcunt, reque ipſa experiuntur; ſe eſſe omnium ſuarum actionum dominos. Vulgares uerò, ut qui imperiti ſunt, & imprudentes, ad fatum, & in rebus quidem duntaxat aduerſis, confugiunt; eique aſcribunt, quod ſibi imprudentia ſua pepererunt. Cæterùm cùm res bene, & ad uota ſucceſserint; quaſi non fatali aliqua neceſſitate, ſed ſua prudentia, ac proprio (quod aiunt) Marte ita res euenerint; de euentu ſibi plaudunt, & gloriantur; ab aliisq; laudari ita percupiunt; ut illis etiam indignentur, qui Deorum tantùm prouidentiæ fatali, & non prudentiæ ſuæ, & ſtudio, ac diligentiæ, euentus fœlicitatem
C aſcribi uoluerint. Sed de obiectione Alexandri hactenus; quæ eo firmior, & ſolidior eſt; quò mortalium penè omnium uſu, atque experientia confirmata eſſe uidetur. Argumentatus eſt etiam aduerſus hanc opinionem capite primo libri ſecundi de Fato pluribus mediis Petrus Pomponacius; quorum cùm plurima, quæ nos etiã ſuperius adduximus, ab aliis ipſe ſumpſerit, omittemus: duo autem duntaxat ſunt, quorum auctorem putamus ipſum Pomponacium. quòd ſi eorum alterum imperiti etiam, ignari, & uulgares adducere ſoleant; & uulgus potius, quàm Petrum illius auctorem facere uoluerimus; certè alterum, quod, ad ſoluendum, Stoicis non ſolùm erit admodum difficile; ſed ſtantibus eorum principiis, etiam impoſsibile, à nullo alio, quàm ab ipſo Pomponacio (quem ego uiderim) adductum fuit.

Hoc autem ideo dixi; ne à me ſua laude, quiſpiam, & mercede illa, quam à Mandryato Prienenſi diſcipulo, Thales ille Græciæ ſapientiſsimus expoſtulauit, fraudaretur. Is enim (ut libro tertio Floridorum tradidit Apuleius) cùm diſcipulum, quotiens Sol magnitudine ſua circulum, quem permeat, metiatur, docuiſſet; ille noua, & inopinata cognitione impendiò delectatus, optare iuſsit; quantam ſibi uellet mercedem, pro tanto documento, rependi. Satis mi-
D hi, Thales inquit, mercedis fuerit; ſi id, quod à me didiciſti, cum proferre ad quoſpiam cœperis, tibi non adſciueris; ſed eius inuenti me potius, quàm alium repertorem prædicaueris. Sed uenio ad argumenta.

Primvm eſt, Quoniam ſi curam Deus, & prouidentiam habet rerum humanarum, qualem Stoici habere illum fatentur; ita ut ab eo, certo cauſarum ordine, & quadam earundem cõplicatione, ineuitabili neceſsitate, ſingula ſiue bona, ſiue mala, nobis eueniant; et per eum noſtræ (quod non denegant Stoici) uoluntatis arbitrium, ad unam, uel alterum contradictionis partem; hoc eſt uel ad agendum, uel ad non agendum; & ad uno, uel altero modo agendum, determinetur; conſequens ſine aliqua dubitatione, eſt; quòd Deus ſit quocunque homine iniuſtior, qualibet fera immanior, omni denique cacodæmone truculentior. Probatur; Anima uel eſt immortalis, ut multæ Philoſophantium ſcolæ tenuerunt (mittimus interea ueritatem Euangelicam) uel mortalis, ut putauerunt Stoici, qui omne, quod uiuit, non propter animam, ideſt propter ſubſtantiam quandam corpore ſuperiorem, ſed propter incluſum in eo calorem, quem aliquando ignem appellarunt; uiuere ſunt opinati. Vnde Virgil. lib. quarto Aeneid. ad finem.

Omnis

» *Omnis & unà Discessit calor, atque in uentos uita recessit.* E

SI mortalem dixeris, quum huius mundi uoluptatibus, fortunæ bonis, diuitiis, honoribus, & gloria nulli in mundo gaudeant, & potiantur magis, quàm improbi, & scelerati homines, & ignari, & fatui; probi, contrà, & modesti, & docti, ac sapientes pellantur ab omnibus, potentibus præsertim, trahantur, dilanientur, modisq; omnibus irrideantur, ac floccipendantur. Quam rem omnium gentium annales cuncti copiosissimè manifestant. Quis hominum Deo uel excogitari poterit iniustior? Aristides quoniam iustus, domo ac patria exulat. Pompeius quoniam urbis libertatem defendit, obtruncatur. Boethius quoniam probus ac doctus, urbe eiicitur, & tandem interficitur. Socrates quoniam sapiens, ueneno tollitur. Aristarchus quoniam fidelis, flagellatur. Sed cœpimus τὴν ἄμμον μετρεῖν, idest, metiri harenam. Nobis Christianis tot, tantorumq; Martyrum innocentissimus effusus sanguis, & ipsa denique crux fulgentissima hoc ipsum demonstrat perquàm clarissimum. Sed redeo ad probandam sequelam. Si lupus fera est immanis; quòd ouem, animal innocens, deuoret; si Herodes atrox, quòd Ioannem sui sceleris piũ admonitorem; aut si Nero crudelis, quòd præceptorem sapientissimum Senecam interfecerit; quantum esset, quæso, secundum Stoicorum placitũ Deus iniustior, crudelior, atque immanior? F cuius non in unum uel alterum, sed in omnes, & singulos homines iniustitia, & immanitas sæuire conspiceretur? Quis enim est hominum, qui non, uel in quempiam iniustè agat, uel ab aliquo iniustè patiatur? Quot immaniter in innocentes sæuiunt? Quot rem alienam deprædantur? Quot uitæ alterius miris modis insidiantur? Sed hæc iniustitia atque immanitas penès Stoicos, & ista tam atrox sæuitia à Deo ad hominem permeat, ac demandatur; ut longè immanior homine, atque atrocior censendus sit, qui humanæ huius tantæ iniustitiæ, & immanitatis causa est Deus. Si animam immortalem dixerimus, & scelerum (ut par est) post mortem luat pœnas suorum grauissimas; quid Deo crudelius, ac truculentius excogitari poterit? quum animas eorum scelerum tam graues pœnas subire iubeat? quorum auctor non animæ, sed ipsemet Deus fuerit?

HOC argumentum non Stoicos tantùm, sed Mathematicos, & eos denique omnes, qui inevitabilem rerum cunctarum euentum introducunt, & eum à Deo, aut Fato ad nos emanare contendunt, uehementissimè perurget. Hæc de priore argumento.

ALTERVM est. quoniam illud tantùm putarunt Stoici esse possibile, quod fatali necessitate, & certo quopiam causarum ordine, uel iam actu esset, uel omnino futurum esset; quòd si G nec esset, nec futurum esset aliquando; illud non possibile, sed impossibile à xtoicis iudicabatur. Ponatur igitur, quòd aliquis homo ut, uerbi causa, Crassus senior nec rideat, nec aliquãdo sit in posterum risurus (hoc enim multis grauibus uiris, ut Crasso Crassi iunioris auo, Diogeni Cynico, Pyrrhoni, Heraclito, Timoni, & aliis contigisse apud Plinium lib. septimo, cap. XIX legimus) sequitur ut Crassus ille non fuerit risibilis; quoniam non habuit ridendi potentiam; sed quod risibile non est, homo non est, erit igitur homo, & non erit; quo quid, quæso stultius dici, aut excogitari potest?

SI dicas. esto quòd non rideat, aut etiam non sit risurus; est tamen risibilis; quoniam potentiam habet ridendi. Contra arguitur, quia si non ridet, & risurus non est secundum Stoicorum dogmata, impeditur ne rideat; quod impeditur esse, non potest esse, quod non potest esse, necesse est non esse, quod necesse est non esse, impossibile est esse; igitur qui non ridet, nec est risurus, ridere est impossibile. at quod impossibile est ridere, non habet potentiam ridendi. Igitur ex primo antecedente ad ultimum consequens, quæ omnia ex Stoicorum præceptis sumpta sunt, qui non ridet, aut non est risurus; non habet potentiam ridendi. at id quod non habet potentiam ridendi, non est risibile, quod autem non est risibile, non est homo, sequitur ergo omnino H contradictio, ut idem simul & sit homo, & non sit homo. quod ne quidem excogitare ualemus.

Ponuntur ad hæc duo postrema obiecta, euasiones Stoicorum, ex Pomponacio, & euasionum confutationes. CAP. XXIII.



POMPONACIVS (ut uideo) in libro de Fato, quem manuscriptum; non autem impressum habemus: partes Stoicorum, & nescio, an seriò magis, quàm ioco, defendere nititur. Ad hæc propterea, & ad multa alia, quæ Stoicis, ab Alexandro obiecta sunt, argumenta, respondere pro uirili conatur. Nos autem, ut stolidæ, Stoicæ (uolebam) opinionis uanitas magis appareat; ad eas, quas ad communiores, & uulgatiores, quæ etiam firmiores, difficilioresq; sunt, obiectiones attulit Pomponacius euasiones, respondebimus; ostendemusq; facillimè, quàm incassum oleum (quod aiunt) & impensam, in defendendo Stoicorum placito ipse perdiderit; & quàm sit ista opinio futilis, & hominum duntaxat quorundam uanitate, & simplici solummodo uerborum structura suffulta.

A Ad primum eorum, quæ superiori capite obiecta fuerunt, respondet Pomponacius, & in respondendo argumentum retorquere nititur in eas omnes opiniones, quæ omnium, & singularum rerum curam in Deo opt. max. & prouidentiam posuere: sicut inter alias est Christianorum immaculata religio. Quoniam uelint (inquit) aut nolint, res ita se habet, ut cuncta à Deo Optimo Max. dependeant; & ipse sit rerum omnium causa, improbi honoribus mundanis potiantur, probi latitent, uel pellantur, ac delapidentur; domo ac patria exules floccipendantur. Quòd si (inquit) huius rei à Physicis causa aliqua, quæ naturæ & rationi consentanea sit, reddi potest; est illa, quam iidem cõmuniter afferre solent; uidelicet, quòd ordo, natura, integritas, & perfectio Vniuersi ita exposcat. Deus propterea, esto quòd omnium sit auctor, uitii etiam, & improbitatis; non tamen est iniustus, aut immanis. Illud nempe, quod nobis immanitas, & crudelitas apparet, & quod uni, uel alteri immaniter, & iniustè inferri uidetur; iustitia est, & pietas. Quoniam ad Orbis (ut diximus, uniuersi integritatem, & perfectionem, ista sic, ut eueniunt, maximè faciunt. Cuius longe maior, ueluti totius corporis, quàm singularum partium, est habenda ratio.

Ad alterũ quod obiectum est, cap. VII, secundi lib. de Fato, respondet idem Pompo. & duas ad illud exhibere uidetur responsiones. Vna est, Quòd differentia est inter aptitudinem, & potentiã.
B Homo habet aptitudinem ad risum, non potentiam; de aptitudine autẽ non sequitur argumentũ ut de potentia. Altera, Quòd omne, quod possibile dicitur, uel nunc est, uel aliquando erit; nisi adfuerit impedimentum. Vnde si quispiam, ut Crassus non risit, adfuit impedimentum. Argumentum propterea, & contradictio, quam inferunt arguentes, quòd idem homo esset, & non esset; nullo modo sequitur. Verùmenimuero istæ Petri euasiones (quod bona uirorum doctorum uenia dictum cupimus) nugæ sunt; & non dignæ Philosopho tanti nominis. Vtpote quæ uel Stoicorum opinionem non sapiant; uel si sapiunt, argumenta aduersus Stoicos prius facta cõfirmant magis quàm infirment, tantum abest, ut auferant. Illud quod ad primum respondet; quid ad Stoicorum placita faciat, non uideo; qui honestatem ubique, probitatem, sapientiam, cunctum denique uirtutum genus etiam atque etiam commendant, extolluntque; quod cum ex multis aliis, tum ex libris & Paradoxorum, & Officiorum Ciceronis, manifestum esse potest. Vitia contrà, ac turpitudines, & peccata horrent, ac detestantur. Si hoc igitur penès Stoicorum placita, uerum est; ut est uerissimum, tanto Orbis uniuersi natura (si probi omnes, & sapientes essemus) esset perfectior, & magis integra, atque absoluta; quanto improbitati probitas, & stultitiæ sapientia præstat. Si studiosi esse omnes non possumus; probi saltem, & docti in honore haberentur; improbi uerò, & ignari despicerentur, interea peritioribus, & prudentioribus, parere discerent. Non igitur iniustitia, & immanitas, quæ passim in omnes grassantur, ad in-
C tegritatem faciunt uniuersi Orbis; sed ad ruinam. Nam (ut ait Lactantius) suis uitiis perditi homi-
" nes sæuiunt, & grassantur, ut perdant. Ad illud, quod ait de Christiana religione, & ad quem modum Deus, qui est auctor omnium, non sit auctor mali; quamuis interea malos, & improbos, non solùm sufferat, sed diuitiis etiam, & honoribus extollat; in libro quinto, in quo de diuina prouidentia ad catholicam ueritatem, diffusè satis dicemus. Sed uenio ad euasionem secundi epichirematis.

Prima responsio, quam ad postremum argumentum attulit, nulla est; cùm nullam Stoici, inter potentiam, & aptitudinem, distantiam constituerint. Si aliquam nempe statuissent; ab Alexandro utique fuisset quandoque recitata.

Posterior responsio tantum abest, ut tollat; ut etiam ualidius argumentum confirmet. Nam (ut paulò ante dicebamus) & cap. IIII, primi libri Quæst. natural. ab Alexandro, ex disciplinis Stoicorum uberrimè declaratum fuit, id, quod impeditur, ne fiat; non impediri non potest. Quod non impediri non potest, fieri item non potest. Quod fieri non potest, impossibile est fieri. A'primo igitur antecedente, ad ultimum consequens; quod impeditur ne fiat,
D impossibile est fieri. Sed qui non ridet, nec est risurus; impeditur per te ne rideat. Et qui sic impeditur (per ea quæ deduximus) impossibile est ut rideat. Non igitur habet potentiam, siue aptitudinem ridendi. At qui hanc non habet, non est risibilis; Qui risibilis non est, non est homo. Sequitur igitur illud maximum, & ab omnibus ex sibilandum absurdum; Vt is, qui homo est, homo non sit. Cum enim (ut libro primo Elench. cap. III, docuit Arist.) quinque sint ea absurda, quibus respondentem urgere nitimur; uidelicet, Solœcismus, Nugatio, Inopinabile, Falsum, & Contradictio; maximum incommodum, contradictio est. At quæ uel maior, & euidentior, pugnantior, uel absurdior esse, aut excogitari potest; quàm de eodem homine affirmare simul, & negare, quòd homo sit; & non sit. Aut quid inconstantius excogitari potest; quàm de eo, quem uerè scimus esse hominem, ex Stoicorum præceptis, ita syllogismum conficere: ut colligamus, quòd homo non sit? Ruunt igitur euasiones. perstant autem argumenta illa Petri Pomponacii aduersus Stoicos; conuincuntq; eorundem opinionis absurditatem; quum omnium flagitiorum, Deum esse auctorem, & atrocem (quod aures horrent) truculentumq; tyrannum,

præterea quempiam ſimul eſſe hominem, & non eſſe, opinio fateri cogatur. Quid autem Chriſtiani, & catholici Theologi ad argumentum Petri, dicturi ſint, omnes, qui Deum cuncta, quæ in Orbe uniuerſo ſunt, & ſingula curare aſſerunt, Pomponacius illud epicherema retorſit; libris quinto, ſexto, & octauo manifeſtum erit. E

Qui Fatum, & rerum cunctarum ineuitabilem euentum introducunt (quod faciunt Stoici) fortunam, & caſum tollunt; Stoicos autem Petrus Pomponacius conatur defendere. CAP. XXIIII.



QVONIAM Petrus Pomponacius, uir certè perſpicacis ingenii, & plurimæ literaturæ, in ſuo libro de Fato, Stoicis plurimum fauere uidetur; ut librum illum legentibus conſtare facillimè poteſt; in quo inter alia argumenta, quibus certè urgentur Stoici, uel diſſoluere, uel ſaltem in arguentes retorquere, nec non aliquorſum quouis modo, euadere ille conatur; operæ propterea precium duximus, eiuſdem reſponſiones, & euaſiones in medium adducere, ut, & quàm parui ſint illæ roboris, ne dicam, quàm futiles, & inſulſæ, & quàm, uelit, nolit, multum momenti habeant epicheremata (in ſcholis Phyſicorum perſiſtendo) & in Stoicos facta argumenta, exactius uideatur. F

SVMMA cunctorum ferè, quæ non in Stoicos ſolùm; ſed in Mathematicos etiam, & eos omnes, qui Fatum, & ineuitabilem rerum cunctarum euentum, introduxere; cõiter, & uulgo adduci ſolent argumentorum, eſt abſurdorum, & incommodorum agmen prope maximum. Multa nanque iſti uel apertè negant, uel per ſequelam ſaltem negare coguntur; quæ admittere nõ ratio tantùm urget ſenſus, & communis experientia. Horum igitur ſunt à nobis nonnulla nunc breuibus percurrenda, paulò poſt exactius excutienda. Coguntur nanque ii omnes negare fortunam, & caſum; contingens, & poſsibile; conſultationem, & electionem; liberum arbitrium, & quod dicitur in nobis; uirtutes, & uitia, pœnas, & præmia; uaticinium, & oracula; Deorum cultum, & pietatem, & alia id genus innumera. Sed per ineuitabilem urgentemq́; cœlorum uirtutem, & influxum Mathematici; per Deorum autem prouidentiam, & præfixam cauſarum complicationem Stoici; hæc uniuerſa abſtulerunt. Ad quem modum ſingula tollat Mathematicorum opinio; & quibus commentis eidem nonnulli opitulari ſtuduerint, conſultò prætermittemus; tum quòd à Ioanne Pico, & aliis doctis uiris res diligenter tractata uideatur; tum quòd non Aſtrologum hoc loco, ſed Philoſophum tantùm, & Theologum agimus; tum etiam quoniam & ex illis, quæ ſuperius in hoc eodem libro tertio dicta fuerunt, & ex illis, quæ lib. nono, & ultimo à nobis dicenda ſunt, in quanta errorum abyſſo Aſtrologorum illi qui genethalici dicti ſunt, uerſentur, notiſsimum erit. Quoniam uerò inter Philoſophos, qui Fati, & ineuitabilis neceſsitatis opinionem habuerunt, Stoici φυσικώτερον, hoc eſt naturaliter magis, & magis cum ratione proceſsiſſe uiſi ſunt; ideo ad quem modum ſingulum eorum, quæ paulò ante enumerauimus, incommodum, & abſurdum ex Stoicorum decretis ſequatur, & ad quem ſimiliter modum unumquodq; auferatur, nunc ex Alex. Aphrodiſieo uidebimus. Quid præterea ad Alexandri obiectiones reſpondeat Pomponacius pro Stoicis; & quo modo illius obiectiones euadat; quantum inſuper ponderis Pomponacii euaſiones habeant, breuiſsimis conſiderabimus. Tollunt igitur Stoici fortunam, & caſum. Probatur, Ea non fiunt fortuna, aut caſu, quæ à cauſa certa, & determinata, ſiue à certa, & determinata cauſarum complexione fiunt. Sed cuncta, per uos, ò Stoici, fiunt à cauſa determinata, ſiue à certa cauſarum complexione, & ſerie. Nullus eſt enim per uos, effectus, qui ab æterna, certa, & determinata cauſarum complicatione non fiat. Quod ergo fortuna, uel caſu efficiatur, ſupereſt nihil. Hæc fuit aduerſus Stoicos Alexandri ratio. Sed reſpondent Stoici, & pro Stoicis Pomponacius, & ante Pomponacium Alex. lib. de Fato cap. v; argumentum non ſequi; quoniam in harum uocum [Fortuna, & caſus] ſignificatione, cum cæteris Soici minimè conueniunt. Non enim dicitur caſu, aut fortuna quidpiam fieri; quoniam à cauſa determinata, uel indeterminata fiat; ſed potius quoniam à caſu fit; quæ nobis incognita eſt, & occulta. Cæterùm fiunt ſingula, à cauſa determinata. fiunt nanque cuncta à certa, & determinata cauſarum complicatione. Verùmenimuerò aduerſus iſtam Stoicorum euaſionem Alex. G H

PRIMÒ. Quoniam non ita uulgo, & communiter hæc nomina [caſus, & fortuna] ſumuntur; ut effectum ſignificent; cuius ſit nobis occulta cauſa. Sunt autem ſumenda nomina penès uulgatam eorum ſignificationem, alioquin incaſſum eſſet omnis diſputatio.

SECVNDÒ. Quoniam fortuitum euentum perperam diffiniunt. Multi nanque effectus fortuiti ſunt, quorum non ſunt nobis occultæ cauſæ. Nam ſi cadente lapide Icadii crus perfractum fuerit; uel ſi uomicam incidendo, prætorem quis ſanauerit, quem intendebat perimere; aut ſi fodiendo,

A diendo thesaurus fuerit inuentus; non erit huius, uel id genus alterius effectus (etsi fortuitus & casualis sit) occulta causa; immo contrà quàmmaximè manifesta erit.

Tertiò. Amulæta, Philtra, & incantationes, effectum aliquem inducunt, qui non putatur fortuitus; & tamen eius est occulta causa. Sed quid Lamias, Amulæta, & cantilenas adducit Alexander? Certè si debet diffinitio, ut debet, conuerti cum diffinito; quum maris æstus, Nili crementi, ferri à magnete attractionis, magnetis ad polum conuersionis, & aliorum id genus multorum effectuum causæ occultæ sint: erunt ii effectus secundum Stoicos fortuiti, & casuales nuncupandi, quo, nihil insipientius dici, aut excogitari poterit.

Has tres obiectiones Alexandri, & si ualidissimæ, firmissimæq; sint, demoliri tamen, atque abiicere nititur Pomponius; sed quàm frustra id tentauerit, ostendamus. In primis autem responsionem illam, quam ad principale Alexandri argumentum, attulerunt Stoici, uidelicet quòd & si à certa, & determinata causa, & causarum connexione singula fiant, fortuita tamen casualia non auferantur. ita declarare Petrus contendit; ut in hanc sententiam cum Stoicis uenire Peripateticos, posse se persuadere, existimet. Duo dicunt Stoici. Vnum, Cuncta à causa determinata fieri. Alterum, Fortuita esse illa, quæ à causa occulta fiunt, non autem ab indeterminata; cum B omnia à certa & determinata causa fiant. Pro prioris declaratione, duo aduertit Pomponacius. Primùm quòd effectus determinatæ causæ, duplex est; sicuti & ipsa determinata causa bifariam considerari potest, uno modo, ut uigens, & perfecta, & quæ (pro naturæ suæ ratione) absolutũ effectum producat; alio modo ut imperfecta, & infirma, & quæ integrum effectum producere nequeat. Omnis enim, in his inferioribus, causa, multis modis infirmari, & deficere potest. Posuit enim (inquit lib. secundo Physicorum, commentatione XLVIII, Auerr.) Natura in causis inferioribus potentiam deficiendi; quæ ad actum aliquando est reducenda; alioquin ociosa esset illa potentia. Si quidem causa perfecta est, producit (inquit Pomponacius) effectum, qui à Physicis uulgo, effectus ut in pluribus appellatur. Si uerò imperfecta, effectum (inquit ille) qui, ut in paucioribus, dicitur; & à quibusdam (inquit) ut puta à Peripateticis, effectus casualis, & fortuitus nuncupatur. Cum autem iste effectus, qui, ut in paucioribus, appellatur; ab eadem (ita ait Pomponacius) causa producatur, à qua effectus, qui, ut in pluribus, dicitur; licet non eodem modo se habente; & ille à causa determinata fiat; sequitur sine dubitatione, ut etiam effectus casualis, & fortuitus (sic enim, inquit Pomponacius, effectum, ut in paucioribus, Peripatetici nuncupant) à causa determinata producatur.

Alterum, quod Pomponacius aduertit, est; quòd per nomen causæ, in illis præsertim euentis, quæ temeraria, & fortuita nuncupamus, duo intelligere possumus; tum unam causam tãtùm, C utputa, in inuentione thesauri, effossionem tantùm; aut tantùm auri priorem defossionem; tum omnes, quæ ad effectum concurrunt; ut effossionem auri, & priorem eiusdem in hoc loco occultationem, agricolæ de uinea plantanda intentionem, & similes. Et tunc, inquit Pomponacius, si effectus ad unam, uel alteram tantùm causam referatur; casualis est. At si ad omnes simul, & potissimum ad primam, & uniuersalem causam, quæ particulares omnes simul contexuit; effectus, cum sit maximè (ut ad omnes suas causas simul sumptas refertur) & ineuitabiliter necessarius; casualis dici non potest. Adeo nempè (ita relatus) necessarius est; ut etiam atque etiam mirum esset; si uel hoc loco, in quo olim fuit thesaurus absconditus, effodienti thesaurus non occurrisset; uel in antro sedenti Icadio, decidens lapis, crus non fregisset. Post hæc tres, quas superius ex Alexandro adduximus, obiectiones euadere, nititur Pomponacius; immo ita sibi euasisse sua sit, ut suis nugis rationem Alexandri efficacissimam, firmissimamq; dissoluisse putauerit.

Ad primam uidetur ille dicere; quòd de nominum & uocum significatione, melius est cum sapientibus, ut sunt Stoici, quàm cum uulgaribus, & ignaris sentire.

Ad secundam. sicut non est inuentionis thesauri occulta causa; ita non est ille effectus casua-D lis; nisi forte ad alteram tantùm eius causam referatur. Nam si ad omnes illum referamus, cum effectus ita consideratus oppido quàm necessarius sit; qui fortuitus, aut temerarius censeri poterit?

Ad tertium, inquit. Ad effectum casualem tria secundum Stoicos requiri. Vnum, quod dictum est, quòd causa sit occulta. Alterum, quòd relatio non fiat ad omnes causas. Tertium, quòd effectus sit de numero eorum, qui à causa, ut in paucioribus, producantur. Effectus autem qui per amulæta, & incantationes fiunt, est effectus, ut in pluribus, non autem ut in paucioribus. Hæc Pomponacius.

Petri Pomponacii præcedenti capite positæ euasiones tolluntur. Cap. XXV.



RATIONEM superiori capite posuimus Alex. per quam, fortunam & casum abstulisse Stoicos, clarissimum erat; & praeterea obiectiones quasdam, aduersus fortuiti euentus diffinitionem ab Stoicis positam; & quid insuper & ad rationem dicant Stoici, & ad obiecta omnia pro Stoicis respondeat Pomponacius, qui Alexand. obiectiones cunctas euadere conatus est; explicate satis hactenus declarauimus. Sed quàm malè Stoicos ille defendat; & quàm Alexandri obiecta minimè euadat; non multa difficultate ostensuri nunc sumus. In primis illud quod dicit, de duplici determinata causa perfecta, & imperfecta; & quòd perfecta quidem effectum, qui dicitur, Vt in pluribus; imperfecta uerò effectum, qui dicitur, Vt in paucioribus, producat; modica cum ueritate, commixti mendacii plurimum habet. Verum est, quòd determinata causa tum perfecta, tum imperfecta esse potest. Item uerum est, quòd perfecta causa effectum producat; qui Vt in pluribus, appellatur. Tertiò uerum est, quòd causa perfecta, perfectè, & integrè effectum suum absoluit. Sed falsum est, quòd causa imperfecta effectum faciat, qui dicitur, Vt in paucioribus. Item falsum est, quòd effectus, Vt in paucioribus, fiat à causa determinata. Tertiò falsissimum est, quòd ab eadem determinata causa, non tamen eodem modo se habente, tàm effectus proueniat, qui, Vt in paucioribus, quàm qui, Vt in pluribus, nuncupatur. Haec autem omnia erunt clarissima; si tantùm quid sibi uelit uox haec, à nobis dicta determinata causa, intelligamus. ut frustra distinctionibus, & additionibus, & mille praeposteris naeniis Pomponacius omnino elaborauerit. Determinata causa, effectiua praesertim (de ea enim nunc praecipuè differimus) ex communi, & uulgata, tam apud uulgares, quàm apud sapientes significatione ea dicitur; quae cum finis intentione, opus aggreditur; & aggressum per certa, & determinata media, ad finem usque, nisi impediatur, perducit. Intentio autem & ex electione, & (ita dixerim) ex spontaneo, & ex natura esse potest. Haec causa multis modis appellatur. Dicitur nanque aliquando causa per se, aliquando causa necessaria, aliquando causa in pluribus, aliquando causa essentialis, aliquando causa determinata, aliquando aliis modis. Si causa perfecta fuerit, effectum (nisi quid obstet) perfectum, & absolutum facit; si imperfecta, imperfectum, & non numeris omnibus usque adeo absolutum. Sed siue perfecta, siue imperfecta fuerit, quantum ad se attinet, sicut est causa determinata; ita causa, ut in pluribus, semper censetur; quoniam eundem effectum quidem, hoc est, effectum, qui ut in pluribus dicitur, licet non eodem penitus modo, nisi impediatur, producit. Si autem haec causa, quam determinatam diximus, impeditur: certè ab alia superueniente causa impediri, necessum est. (nihil est enim, quod sibi ipsi impedimento sit) impediens autem causa, & quae operi superuenit, nec opus olim fuit aggressa; nec operis illius, finem aliquando sibi proposuit: aut iis mediis utitur, quibus utebatur, & quem intendebat causa determinata; & quae pridem operationem inceperat. Quamobrem causa ista, quae de improuiso obrepsit; & unde ortum habuit prioris causae impedimentum; non est causa determinata. Non enim opus (ut diximus) illa coeperat. Ab hac autem fortuitus euentus, & effectus ut in paucioribus, ortum deduxit. Non rectè igitur putauit Pomponacius; quòd ab eadem causa, licet non eodem modo se habente, tàm effectus ut in paucioribus, quàm ut in pluribus, proueniant; aut quòd istorum effectuum causae non differant; nisi penès magis, & minus perfectum, quum specie, & tota ratione differant. Ex his, quae diximus, trium à nobis paulò ante dictorum falsitas manifestissimè apparet; & praeterea falsum conuincitur illud esse, quod primo loco, praecedente capite, pro Stoicorum responsione, notatum fuerat à Pomponacio. uidelicet quòd omnia à causa determinata, fiant fortuita, & temeraria, ut in paucioribus, non fortuita uerò ut in pluribus. quum à quibus non fortuita proueniunt, fortuita prouenire non possint, nisi fortuitum esse dixerimus causam à sua perfectione, & effectum ab absoluta sua integritate defecisse; de qua re aliàs oportunius dicendum est. Falsum item apparet, & quòd à causa determinata, sed imperfecta effectuus proueniat, qui ut in paucioribus dicitur: immo effectus prouenit, qui ut in pluribus appellatur, licet fortè ab absoluta sua perfectione deficiat. Et quòd à determinata causa, eo modo determinatam causam intelligendo, quo iam exposuimus, possit esse effectus ut in paucioribus. Illud similiter quod superiori capite, secundo loco ab eodem animaduersum fuit, tum uerum tum falsum est. Verùm est; quòd per nomen causae, in euentis fortuitis, immo tam in fortuitis, quàm non in fortuitis, possumus; tum omnes, tum unam tantùm causam intelligere. Verùm est item; quòd si ad unam, uel alteram causam effectus referatur; temerarius appellabitur. Verùm est tertiò, quòd si ad omnes simul collectas referatur, necessarius fit. Falsum autem est, quòd non sit casualis, si ad omnes etiam causas referatur. Quoniam & si euentus, necessarius sit; non tamen absolutè necessarius est, sed ex suppositione causarum; at quot, quaeso, causae fortuitò, & temerè positae fuerunt? Item falsum est, quòd non sit temerarius, si ad causam uniuersalem idemmet referatur. id autem ad quem modum ueritatem habeant, suo loco dicemus. Et multis denique modis Physicè loquendo (in Scholis enim philosophorum sumus) peccat

E F G H

A peccat Pomponacius. Sed probare ille nititur utrunque. Primùm quidem, hoc est, quòd effe ctus casualis non sit, si ad cunctas suas causas referatur. Quoniam illo modo consideratus, atque ad suas causas omnes relatus, effectus necessarius est. Quasi non possit idem effectus & temerarius, & necessarius esse; si præsertim uel ad aliam, & aliam causam referatur uel si ad eandem alio tamen, & alio modo se habentem, uel si eius causæ, quales quales fuerint, esse supponantur. Moueri nempe Socratem est necessarium, si currat; nec propterea dissonum est, ut contingenter, & fortasse temere moueatur, & currat. quotus quisque effectus est, qui & si necessarius sit, si ad omnes causas suas referatur, & præterea in esse, causæ illæ omnes constituantur, non etiam contingens absolute, & simpliciter esse potest, & temerarius? ut sunt contingenter eiusdem uel temere omnes, uel aliquæ positæ causæ. De necessitate nanque prætereunti Socrati caput frangitur; si cadat in illud grauior tegula; nec cessat propterea effectus esse casualis, tum quia nec Socrates transiens, nec cadens tegula hunc effectum intendebant; sed ille amicum, hæc uerò terræ centrum petebat: tum quia ex accidenti coniunctæ sunt istæ causæ; à quacunque superiore causa, & quocunque modo coniunctæ fuerint, casus certè & temeritas fuit: ut dum transiret Socra-
B tes, tegula ceciderit. Nec istam causarum coniunctionem Natura, aut Deus intendebat aliquando.

At, inquit, Pomponacius, quòd non ex accidenti fuerunt iunctæ istæ causæ; sed per se, à superiore, & uniuersali causa.

Sed hoc est alterum, in quo errasse Pomponacium paulò ante dicebamus. Certè, si aliqua esset causa una & eadem, à qua effectus casualis (ut casualis est) per se intendi posset, & produci; effectus casualis, casualis non esset. Naturæ nempe temerarii euentus, ut testis locuples mille locis est Arist. repugnat, unã aliquam, & eandem posse esse per se causam. Sed posse esse declarabat Pompon. exemplo uulgatissimo, de duobus seruis à domino ita missis, ut se inuicem obuiarent; concursus quorum ipsis quidem casualis fuit; sed non domino. Verùm tum quia non currit similitudo in agente naturali, & qui de necessitate agat; qualis est Prima causa; & Natura, & in agente libero, & qui contingenter operetur; qualis est seruorum dominus. Tum quia quocunque res se habeat modo, non ab una, & eadem aliqua per se causa, aut euentus, & capitis fra-
C ctio fit, aut eius causæ connexæ sunt, ut putà non à superiore; Tum tertiò, quoniam casualis euentus, qua ratione casualis est, ad quamcunque causam referatur, etiam si ad primam retuleris, semper est casualis; quod inferius, ubi de diuina prouidentia erit sermo, facilè declarabitur (nam seruorum concursus, quoniam seruis casualis fuit; ideo si ad eorum dominum, uel etiam ad primam causam referatur; fieri non poterit, quin seruis fuerit ille casualis) causæ propterea fortuiti euentus, ut fortuitus est, ex accidenti iunctæ fuerunt. Nisi enim per accidens fuissent coniunctæ, effectus ea ratione, qua temerarius est; nequaquam (quod pugnat) temerarius esset. Sed de duobus, quæ incassum pro dissoluenda ratione Alexandri, aduersus Stoicos animaduertit Pomponacius, hactenus. Sequitur ut quàm ineptè tres illas Alexandri obiectiones euadat, inspiciamus.

Quod ad priorem respondet, nihil (ut dicitur,) aduersum. sentit etiam Aristot. cum sapientibus esse sentiendum potius, quàm cum uulgaribus. At non loquimur de sententia, sed de nominum significatione. Nam & si cum probatis, & sapientibus uiris sentiendum sit; utendum est tamen (nisi forsitan soli nos ipsos tantùm conuenire uelimus) nominum significatione uulgata, & non sunt nomina à suis propriis, & uulgatis significationibus amouenda; & à rebus, quibus imposita fuere. Quod tamen temerè faciunt Stoici, qui ubique nomothetas agunt, & no-
D minum, ut libet, semper significatione abutuntur. Aut ergo soli secum loquantur, & si solos doceant, solique cum solis disputent; aut si cum aliis loquuturi, & disputaturi sunt, aliosque instructuri; ut nominum, & uocum significationem cum aliis communem habeant, est necessarium.

Ad alterius euasionem, iam patuit, quid dicendum. siue enim ad alteram tantùm, siue ad utranque causam, siue ad omnes effectum casualem referas; semper est casualis; etiam si ad omnes simul, uel suo ordine collectas relatus necessarius ita sit (præsertim si in esse ponantur uniuersæ illæ causæ) ut non possit non esse. Quoniam ex accidenti conuenerunt illæ causæ, ad effectum producendum. Ea semper ratione effectum sumendo, qua temerarius dicitur. Multæ enim sunt fortuitò, & casu positæ causæ, quæ poni, & non poni æquè poterant.

Ad euasionem tertii obiecti, & de priori conditione, quæ est, quòd effectus fortuitus dicatur, quia eius causa sit occulta: satis hactenus dictum fuit, ostensumque, quàm inepte ita fuerint Stoici opinati; quum innumerabiles sint in natura effectus, qui casuales minimè omnium dici possunt; quorum causæ abditissimæ sunt, atque occultissimæ. Secunda, quæ est, quòd non ad omnes causas fiat relatio, sed ad unam, uel alteram. si effectus censeri debeat casualis, est conditio, quæ Stoicorum disciplinã minimè olet; cùm in ordine causarum, omnẽ causam esse per se cau

sam,

ſam, illi ex profeſſo confiteantur; ideo ſiue ad unam, ſiue ad omnes effectum referas; nunquàm penès Stoicos erit caſualis, ſed per ſe ſemper intentus. Tertia autem, quæ eſt quòd effectus ſit de eorum numero, quæ à cauſa, ut in paucioribus eueniunt; ſicut temere, & propria, ut puto, ceruice à Pomponacio fuit adiecta (illius nempe conditionis apud Alexandrum nulla fit mentio, immo iſta conditio, ſicut illa ſuperior, Stoicorum decretis aduerſatur) ita à nobis multa cum ratione reiici poteſt. Adde, Si cauſa occulta eſt; qui ſciri poterit, an effectus ab ea ſit, ut in pluribus, an ut in paucioribus? Nemo certè hominũ, cui ſit aliqua cauſa occulta, cognoſcere poterit, ſi effectus quiſpiam ab ea, ut plurimum, uel rarò producatur. Adde tertiò, Quòd amulæta, & Philtra, & huiuſmodi (quæ à Stoicis afferuntur) rariſsimè (ut cuique poteſt eſſe notiſsimum) eundem effectum producunt. Quot, quæſo, fuerunt ad cuiuſpiam morbi curationem exhibita, quæ non modicè nocuerunt? quot ad amorem, quæ odii plurimum excitauerunt? Quàm malè igitur Alex. argumenta Pomponacius euadat; & quàm malè fortunam, & caſum Stoici tueantur; & quàm ineptè Stoicorum cauſam Pomponacius defendat; hactenus. E

Eos, qui Fatum, & ineuitabilem rerum cunctarum euentum introducunt (quod Stoici faciunt) contingentis, & poſſibilis naturam tollere; Et quàm malè illam Stoici defendant. CAP. XXVI. F



QVAM ineptè fortunæ, & temeritatis naturam tueantur Stoici; & illi, qui uel Stoicorum placita ſequuti ſunt; uel eorum partes tueri conati fuerunt: hucuſque uidimus. Quòd autem contingentis, & poſsibilis, non magis aptè rationẽ illi defendant; nunc uidendum eſt.

DIXIMVS pridem; quòd eorum opinio auferat illud, quod contingens, & poſsibile dicitur. Nempe ſi cuncta (inquit Alex.) certa, & determinata (quod aiunt Stoici) cauſarum complicatione, ineuitabili neceſsitate, fiunt; id, quod poſsibile, & contingens dicitur, ablatum eſt. Quum poſsibilis, & contingentis natura illa ſit; ut id, quod contingenter, & poſsibiliter euenit, nulla neceſsitate eueniat; ſed poſſit æque euenire, & non euenire. Cuncta autem ad Stoicorum opinionem certa cauſarum ſerie, ineuitabili neceſſitate fiunt. Periit igitur poſsibilis, & contingentis natura. Nihil ſanè eorum naturæ repugnat magis, quàm ut à determinatis ab æterno cauſis, impermutabili neceſsitate fiant; cum tam contingens, quàm poſsibile, ſi eueniant; nonniſi contingenter, & poſsibiliter euenire queant; hoc eſt, ſicut euenire, ita non euenire æque ualeant. Sed euadere nititur argumentum Pomponacius, ea Stoicorum euaſione, quam in libro de Fato cap. VI. nobis Alex. exhibuit. Quoniam contingens, aut poſsibile illud non eſt (niſi forte ſecundum exiſtimationem) quod eſſe, & non eſſe, indifferenter poteſt. ſed poſsibile quidem potius illud, dicitur, quod ut fiat, uel ſit, à nullo impeditum eſt. contingens uerò illud, non quod & eſſe, & non eſſe indifferenter poteſt; ſed quod non ſemper eſt; ſed uel in præterito aliquando non fuit; uel in futuro quandoque tandem eſſe deſinet. Id autem quod uel fieri non impeditum eſt, uel non eſt ſemper, ſed aliquando, quin ex certa, & ab æterno determinata cauſarum connexione ineuitabili neceſsitate fiat, uel ſit, uel futurum ſit, prohibet nihil. quod ſi contingens, aut poſsibile illud nos opinamur, quod ſicuti eſſe, ita non eſſe poteſt; decipimur, inquiunt Stoici, ab ignorantia cauſarum impedientium, atque impoſsibile illud eſſe reddentium; quod poſsibile eſſe nos exiſtimamus, ſumi poteſt exemplum ex lib. undecimo Metamorph. ab Alcyone, quæ Cæycem uirum ſuum mari merſum, & enectum, non ſolùm poſſe domum reuerti, credebat; ſed eius aduentum, uotis omnibus exoptabat: cum tamen redire illum iam merſum, eſſet impoſsibile. Dat exemplum Pomponacius, Quis putat poſſe nũc Perſarum Regem deambulare; quòd ignoret Regem iam eſſe uita functum; propter cuius obitum, impoſsibile redditum eſt id, quod ille poſsibile exiſtimauerat. Sed ideo exiſtimauerat poſſibile, quia impedientem cauſam, & illud, quod prius poſsibile erat, impoſsibile reddentem, hoc eſt Regis mortem, ignorabat. A' pari impedientes cauſas cum ignorent plerique, poſsibile illud iudicant, quod tamen eſt omnium impoſsibile. Et quidpiam poſſe eſſe, & non eſſe, arbitrantur; quod ineuitabili neceſsitate, ad unam partem contradictionis pridem determinatum eſt, altera prohibita, & impedita exiſtente. G H

SED aduerſus iſtam Stoicorum euaſionem arguit Alex. Primò, Si contingens illud appellant ſtoici, quod non ſemper eſt; & ſi id poſsibile dicunt, quod fieri non prohibetur; ſequitur, ut minimè utantur Stoici nominum impoſitione, à primis inſtitutoribus, facta; ſed pro libito, uocum ſignificationem inſtituant, mutent, demant, & addant; ſic autem faciendo, Fato quidem cuncta coaptare, & cuncta ea, quæ alioqui iudicantur impoſsibilia, poſsibilia facere; & contrà, quæ poſsibilia cenſentur, impoſsibilia reddere, & inuicem pugnantia conciliare, facillimè poterimus. At non Philoſophum; & rei naturæ contemplatorem, ſed potius nomothetam, uel etiam

impoſtorem

A impostorem agemus.

SECVNDO` si ignorantia causæ in causa est, ut idem aliquod ab uno posibile, ab altero impossibile iudicetur; consequens erit; ut non re ipsa, sed hominum existimatione (quod maximum absurdum est) possibile, & impossibile definiatur. Vnde sequitur, ut idem (quod absurdius est) possibile simul, & impossibile esse posit.

TERTIÒ. si possibile est, quod fieri non impeditur; nulla erit inter possibile, & necessariũ differentia. Quod enim non impeditur esse, necessarium est. Si dixeris (sicut dicere uidentur Stoici) quòd necessarium nec impeditur, nec impediri potest; possibile autem non impeditur quidem, sed potest impediri. Contrà ex his, quæ ab ipsis Stoicis admittuntur, ita arguitur. Quod non impeditur, prohibetur impediri; Quod impediri prohibetur, impediri non potest; Quod non potest impediri, impossibile est impediri; Quod impossibile est impediri, necesse est non impediri; Quod necesse est non impediri, necesse est ut sit; igitur quod non impeditur, necesse est ut sit; possibile autem est, quod non impeditur. Sequitur ergo, tum quòd possibile, sicut non impeditur, ita impediri non potest; tum etiam quòd inter possibile, & necessarium, nullum sit interstitium, quod uolebamus. Vsus est Alexander consimili argumento, cap. IIII, libri primi Quæst. natural.

B QVARTÒ. quoniam dicunt contingens esse illud, quod non semper est; & si dum est, uel futurum est; ineuitabili necessitate fit, uel fit futurum. Ponatur igitur casus, quòd die crastina sit futurum nauale bellum; quæro ab illis, qualis est ista propositio, Cras nauale bellum futurum est; necessaria'ne? si negaueris, sequitur aduersus Stoicos, ut non ex ante iactarum causarum serie, ineuitabili necessitate futurum sit cras nauale bellum; Si affirmaueris, futurum igitur (contra eosdem) nauale bellum erit quid necessarium, quod tamen non sempiternum est.

SED respondent Stoici (ut ex cap. VI, libri de Fato Alexandri, facilè intelligi potest) quòd propositio illa, Cras bellum nauale futurum est. ante nauale bellum est necessaria; peracto uerò bello, neque etiam uera est, nedum necessaria.

ADVERSVS responsionem istam arguit Alex. Quoniam si propositio illa, Cras est futurum nauale bellum, quandoque, ut aiunt Stoici, est uera, quandoque non; consequens est, ut ea nunquam (quod Stoicis aduersatur) fuerit necessaria. Si nanque (secundum decreta Stoicorum) necessarium illud tantùm est, quod est sempiternum, quod semel fuerit necessarium, semper erit necessarium; quoniam sempiternum. Igitur si aliquando propositio illa necessaria fuisset; etiam C nunc profectò, nauali bello peracto, esset necessaria; At quantum, quæso, per uos, abest à necessitate; si neque uera sit. Non igitur potuit aliquando esse necessaria. quòd si nunquam fuit illa necessaria; nec futurum esse nauale bellum, fuit aliquando necessarium. Quòd si impermutabili necessitate futurum esse nauale bellum asseras, quemadmodum sine dubitatione asseris, antequàm nauale bellum fuerit, sequitur & quòd propositio illa, Cras est futurum nauale bellum, adhuc sit necessaria, & quòd non omne necessarium, sit sempiternum; neque omne temporaneum contingens. quum propositio illa per uos desinat esse necessaria: secundum autem rei ueritatem quod semel necessarium est, semper necessarium sit. Sequitur nanque ut non contingat non fore nauale bellum; si fuit aliquando illa propositio necessaria quod si non contingit, non fore, impossibile est non fore; si impossibile est non fore, necesse est fore. Igitur Cras fore nauale bellum; est de numero eorum, quæ necessaria sunt; non autem de numero contingentium, & quæ aliquando non esse possunt. Illa ergo propositio, Cras erit nauale bellum. est propositio necessaria. Quæ enim propositionem necessariam enunciat, necessaria est. & sempiternæ ueritatis, si semel (ut uos dicitis) necessaria fuit, nec aliquando esse potest, ut non sit futurum crastinum nauale bellum. At si non posse non futurum esse crastinum nauale bellum, est absurdum; absurdum quo D que illud est quod asseritis propositionem illam cras est futurum nauale bellum, aliquando quidem necessariam esse. aliquando autem ne ueram quidem. quam absurditatem si clamore, & pertinacia defendere uultis, alia plurima sequentur absurda: ut puta quòd dies crastina nunquam erit, quia necessariam est semper, die crastina fore nauale bellum; quòd Sol à suo motu cessabit; quòd aliqua sit propositio necessaria, quæ non est sempiternæ ueritatis; quòd aliquod sit necessarium, quod non est sempiternum; ut bellum nauale futurum; quòd euentus omnes sint contingentes, qui in præteritum transeunt; quòd euentus cuncti, dum futuri sunt, sint necessarii; quoniam sicuti de futuro nauali bello argumentatum est, ita de futuro alio quocunque euentu argumentari poterit; & per Stoicorum principia ostendi, illud esse necessarium; quoniam si aliquid futurum est, non contingit illud non fore; si non contingit non fore, impossibile est non fore; si impossibile est non fore, necesse est fore; igitur si quidpiam futurum est, necesse est fore, & tandem sequitur, ut sublata sit omnis possibilis, & contingentis natura; quod à principio dicebamus uidelicet, quòd Stoicorum opinio contingens, & possibile in totum ita auferat, ut frustrà eorum nonnulli contingentis, & possibilis naturam tueri conentur.

Qui

Eos, qui Fatum, & ineuitabilem rerum cunctarum euentum introducunt (ut faciunt Stoici) consultationem tollere; & quàm malè præterea illam Stoici ipsi defendant. CAP. XXVII. E



VIDIMVS quàm fortunæ, & cæci casus, item contingentis, & posibilis naturam Stoici ineptè defendant; quàm similiter consultationis rationem & electionis illi præpostere tueantur, nunc demonstrandum est. Diximus in superioribus, Stoicorum opinionem, consultationem abstulisse; Siquidem cuncta, ad eorum placita, ineuitabili necesitate, eueniant. Nempe ut libris tertio, & sexto Moralium rectè nobis tradidit Aristoteles, sicuti non est consilium de imposibilibus, ita non est de necesariis; nec de his, quæ non euenire non possunt. Nō enim consultamus an per saxa nauigandum sit, uel equis alatis uti debeamus, nec de Solis ortu, aut de æstu maris consilium capimus. Sed de iis tantùm, quæ cum in nobis esse dicantur, & nobis utilitatis aliquid afferant; ut esse, ita non esse æquè possunt. Sed hæc sunt & à Stoicis, & ab illis omnibus iam ablata, qui fortunæ, aut casus, & contingentis, aut posibilis naturam abstulerunt, & F cunctorum euentuum impermutabilem necesitatem asseruerunt. Ab eisdem igitur, simul & ipsa consultatio prorsus ablata est. Quisquis certè id aufert circa quod ars aliqua uersari dicitur, artem abstulisse uidetur.

RESPONDET pro Stoicis Pomponacius, quòd consultatio, ratiocinium est quoddam, & discursus, ad quamlibet partem contradictionis; qui certè discursus non aufertur, etiam si & ipse discursus, qui consultatio dicitur, & conclusio, & electio, & cætera denique omnia, quæ ex consultatione procedunt, ineuitabili necesitate fiant, & eueniant. Verùm & si aptè satis ad opinionem, & consequenter, dicat Pomponacius (non enim aliter Pomponacius ipse, & ipsi Stoici dicere posunt) pesimè tamen, ita dicendo, & ipse, & Stoici consultationem tuentur. Primò nanque, Si hoc quod dicunt [Consultatio est discursus ad utramlibet partem contradictionis] est completa (ut illos dicere uidere uideor) & perfecta consultationis diffinitio; non magis erit consilium de posibilibus, quàm de imposibilibus, uel necesariis, & quæ secus, quàm sint, esse non possunt. Nec item de iis magis, quæ nostra sunt, quàm alienorum, & per infinitum (propè dixerim) interstitium à nobis distantium, quorum ne cognitio quidem, aut memoria apud nos extet. De iis nanque omnibus, ac de quocunque proposito problemate, ad utramuis partem discurrere, & diuersos, mutuoque contrarios syllogismos facere (ut notum est) facillimè poterimus. Sed hoc & diffinitioni consultationis, quæ ab aliis ponitur, & ipsi consuetudini, & experientiæ euidentisimè repugnat. Quis nanque de imposibilibus, & quæ esse non possunt, unquam consuluit, G aut de necessariis, & quæ non esse non possunt, aut de illis, quæ ad se nullo modo pertinere iudicauit?

SECVNDO, quoniam quam consilii partem malueris, quis eligat, Fato (inquient Stoici) & ineuitabili necesitate illam elegit. Si igitur ipsa electio fatalis, & ineuitabilis sit; sequitur, & ut ipsa electio, electio non sit; & ut ex consultatione, nihil boni nobis indipiscamur, ad quod tamen tendit tota consultationis ratio. Idem nanque post consultationem, eligimus, & agimus; quod sine consultatione elegissemus, & egissemus. Ex quibus consequens est; Naturam frustrà dedisse consulendi facultatem hominibus.

SED ad hoc obiectum respondet pro Stoicis Pomponacius, consilium esse ueluti medium; per quod ineuitabile fatum expleatur. Ea nanque, quæ consilio aguntur, ita (inquit ille) Fato per consilium aguntur; ut absque consilio, ea fieri sit imposibile. unde sequitur, ut neque eligamus, aut agamus, quæ sine consultatione elegissemus, uel egissemus; neque frustrà consulendi potentia, hominibus, à natura tributa fuerit. Sed ex annalibus error Pomponacii facillimè depræhenditur. multos enim, non solùm hominum, sed Deorum etiam consiliis, se obiecisse legimus. Plutarchus, Crassum omnia Deorum uaticinia, & consilia contempsisse asseruit. Papyrius cursor (inquit Cicero) cum à pullario admoneretur, ne cum Samnitibus prœlio decerneret, contemptis auspiciis, fœliciter dimicauit. Quid, quæso, ad ea efficienda, quæ Crassus, & alii, hominum, & Deorum consilia contemnentes effecerunt, profuit consultatio: si egerunt, ex consultatione nihil? quo modo non absque præcedente consultatione, eadem fuissent effecta; si non per consilium facta fuerunt? Nisi forte tot absurdis illud absurdisimum addere uoluerint, ideo consilium profuisse, quia de agendis consuluerunt, ut non pro consilio, sed contra consilium agerent; ut etiam quæ contra consilium facta sunt, effecta non fuissent, nisi consilium præcesisset. Sed delirent illi, ut libet. H

TERTIO. quoniam fatalem electionem faciunt, tollunt à nobis optionem agendorum; qua sublata aufertur id, quod dicitur in nobis, & ipsa arbitrii libertas; quæ si auferatur; uniuer-

A ſa hominis natura, & eſſentia erit ablata. Non enim (ut rectè Alexander admonuit) naturam humanam libertas, ut accidens, quamuis proprium inſequitur; ſed ipſam potius humanæ naturæ quidditatem, & eſſentiam illa depromit, & manifeſtat. Vt quod homini intimius, atque eſſentialius ſit, quàm ipſa libertas, ſit nihil. Sed de conſultatione hactenus. de libertate autem ſequenti capite fuſius.

Qui fatum, & ineuitabilem rerum cunctarum neceſsitatem introducunt (ut faciunt Stoici) humanam libertatem tollunt; quam nihilominus ineptè Stoici tueri conantur. CAP. XXVIII.



INTER ea abſurda, quæ ad uanam quoruncunque de fato, hoc eſt de rerum cunctarum ineuitabili euentus neceſsitate, opinionem, ſequuntur, plurima, unum eſt maximum, maximeque præcipuum. Humani liberi arbitrii euerſio. Qua euerſione, inquit Alexander, & iactura nulla homini maior, ac deploratior fieri, aut etiam excogitari poteſt. Quòd autem arbitrium auferatur, ita Ale- B xander demonſtrauit. Si, ex opinione, perit conſultatio (ut ſuperiori capite demonſtratum fuit) perit etiam electio. Electio nanque, finis eſt conſultationis: finis autem periit, cùm ea, quæ ad finem ſunt, periere. Si electio periit; ablatum eſt liberum arbitrium; quod ſanè uel eſt electio, uel in electione, cum ratione, conſiſtit. Non enim electio tantùm ſpontanea eſt, & non libera (ut quidem dicere uiſi ſunt) ſed ſpontanea, & penitus libera, eſt ſi præſertim cum recta ratione fiat. Vt in libro de Humano libero arbitrio, à nobis fusè declaratum fuit.

RESPONDET Pomponacius, & declarat primùm, ad quem modum, in nobis, ex Stoicorum decretis, liberum arbitrium permaneat; deinde in Ariſtotelem, & Peripateticos, & eos omnes, qui ſecus de humano arbitrio ſentiunt, Alexandri argumentum retorquet.

DE primo. Permanet, inquit, in nobis liberum arbitrium; quoniam in nobis remanent ſemper uelle, & nolle. Nam & ſi, quod uolumus; aut quod nolumus, ineuitabili neceſsitate, uolumus, aut nolumus; uolumus nihilominus, uel nolumus. In uelle autem & nolle, nullo præterea addito uniuerſa ſecundum Stoicos conſiſtit humani arbitrii libertas.

SI id obiiciatur, quod ſentiunt Peripatetici, uidelicet quòd non in uelle duntaxat, & nolle, noſtra conſiſtat libertas. Non enim quia uolumus, aut nolumus, liberi arbitrii ſumus; ſed quia cum C ratione, & electione uolumus, aut nolumus. Et quoniam uolumus, aut nolumus cum ratione, ideo quod, & quando uolumus, aut nolumus (ut diſcurrentibus, ac ratiocinantibus nobis oportunius uiſum fuerit) uelle, aut non uelle poſſumus.

REPLICAT aduerſus hanc obiectionem Pomponacius; & quaſi argumentum retorquet; ita, ut non ſolùm ad Stoicorum, ſed etiam ad Peripateticorum decreta, demonſtrare conetur; quòd id, quod uolumus, aut nolumus, quando uolumus, nolumus, ineuitabili neceſsitate uelimus, aut nolimus. Si nanque (ait) uoluntas, eo tempore, quo quidpiam uult, poteſt non uelle; quæro, inquit Pomponacius, de modo, quo id fieri poteſt. Voluntate'ne, eodem ad quamlibet contradictionis partem, modo ſe habente; an alio & alio? quopiam ſcilicet uoluntatem ad alteram oppoſitionis, & contradictionis partem trahente, ac determinante? Non eſt dicendum, quòd eodem modo ſe habente. Ariſtotelis nanque libro poſteriore, cui titulus de Generat. & corrupt. parte LVI. Idem, inquit, manens idem, non eſt natum facere niſi idem. Et eiuſdem commentator Auerroes libro ſecundo de Cœlo, commentatione XCII. contraria (dicebat) impoſsibile eſt, ut attribuantur eidem agenti, & eodem modo. Alio igitur, & eam aliquo, ad alteram partem, D ducente, ac determinante. Tunc quæritur de ipſo determinante, naturale'ne ſit, an uoluntarium. Si uoluntarium dixeris; ex quo uoluntarium eſt: ad utranque contradictionis partem indifferens erit. igitur alio egebit determinante; de quo ſimiliter inquiretur, an uoluntarium ſit, uel naturale; & uel in infinitum in determinantibus abibimus; uel ad naturale quodpiam tandem, à quo uoluntas determinetur, perueniemus. Id autem, quod naturale eſt, naturaliter, hoc eſt, uno tantùm modo, & non ad utranque contradictionis partem indifferenter ſe habendo, ſed determinatè unam, & impermutabiliter agit. conſequens igitur eſt; ut eo tempore, quo uoluntas determinatur, unum tantùm, & uno duntaxat modo & uelle, & operari poſsit uoluntas. non poteſt igitur non uelle id, quod uult, & quando uult. Sed ſi uult, impermutabili neceſsitate uult, aut ſi non uult, impermutabili ſimiliter neceſsitate non uult.

ARGVMENTVM hoc non paruam difficultatem petit; quæ eſt; à quo ipſa humana uoluntas ad actionem, & ad modum actionis, determinetur; de qua re libro, octauo, & penultimo aliquanto ex actius diſſeremus. Nunc autem raptim dicimus; quòd recta obiectum fuerat Pomponacio. Quoniam non in uelle, ſolùm aut nolle, ſed in uelle, uel nolle cum ratione, & diſcurſu, &

K (ita

(ita dixerim) cum consilio, & electione consistit humana libertas. Cum replicas, quòd uoluntas ineuitabiliter uult, quod, & quando uult; ut nihil ad libertatem ratio faciat, & iudicium; quoniam uel fato ineuitabili, uel aliquo naturaliter determinante; uoluntas uult, id quod uult, & eo tempore quo uult. Dicendum quòd nullo extrinseco determinante uoluntario, uel naturali, sed se se, & solo præcedente cum ratione consilio; ad quam maluerit partem, determinat. quæ determinatio aliud est nihil, quàm ipsa uoluntatis electio; quæ electio aliud nihil est, quàm practici syllogismi conclusio. Est enim ita sui iuris, ut & si ab extrinseco persuaderi, & allici aliquo modo queat; nullo tamen modo à re extrinseca, ita impelli potest; quin semper, quam maluerit contradictionis partem, eligere posit. Ideo eodem tempore, quo unum agere uoluerit hoc omitere, & aliud uelle, & agere poterit. E

SED huic responsioni bifariam obiicit Pomponacius. sequetur inquit; quod uoluntas aut non mouebitur, aut simul ad duo opposita. cum enim seipsam determinat, & nullo pacto ab extrinseca re determinetur; nulla erit maior ratio; cur ad unam partem contradictionis se determinet, & moueatur, quàm ad alteram. Ratio præterea principio libri octaui Physicarum auscultationum, ad motus æternitatem demonstrandam, ab Aristotele posita, statim corruet. Arguebatur, Si motus æternus non est, sed incœpit esse quandoque; mouentis primi ante motum fuisset uoluntas mutata; & ita motus fuisset, antequàm esset motus, immo dicam (inquit ille) quòd nulla facta mutatione, & uoluntate eodem modo se prorsus habente; in cœpit ita mouere primus mouens; ut ante motum primum, nulla præcesserit mutatio. F

VERVM enimuero hæc obiecta facillimè tolluntur. Primùm quidem, Quoniam ratio illa non urget, de mouente libero; sed tantùm de naturali. Quòd autem se determinet magis ad unã, quàm ad alteram partem uoluntas, & moueatur; tota causa est; non quia ab extrinseca re quapiam moueatur; urgeatur, aut determinetur; sed quia ita sibi ratione, consilio, & iudicio mouendum uideatur. Nec huius est alia perquirenda causa; quàm ipsa propria libertatis, & uoluntatis natura. Alterum uerò, quoniam supposuit in ratione sua Aristoteles, (ut parte VII. eiusdem libri uideri potest.) Primum motum, quietem præcessisse; ita ut si motum incœperit motor; ante motum quieuerit; quies autem, ut ibidem dicebatur, est priuatio motus; igitur, tum quia est motus priuatio quies ipsa, tum quia à priuatione ad habitum non fit transitus, sine aliqua inter priuationem, & habitum media mutatione; colligebat propterea Arist. mutationem præcessisse, & fuisse motum, atque in primo mouente mutationem ante motum; si motus esse cœpisset. Hoc præmisso, manifestum est, quàm minimè ualeat argumentum Pomponacii. Voluntas se se determinat, ergo potest incipere motum sine aliqua præcedente mutatione; unde ruat Aristotelis ratio. Nam uoluntas nostra ex imperfectione (ut libro de Humana libertate à nobis fusè declaratum fuit) est libera libertate contingentiæ, & contradictionis; hoc est quæ ualeat ad opposita. Voluntas primi ex perfectione est libera, libertate necesitatis; quæ tantùm in unum ualet; quoniam non ut nostra, fluctuat inter opposita; ut discursu, & ratione egeat ad alteram partem eligendam. Ideo uoluntas nostra modò ad unam, modò ad alteram partem contradictionis se mouet quidem, quod non facit uoluntas diuina, sed non sine aliqua omnino præcedente mutatione; sicut neque diuina secundum Aristotelem si nunc moueret, prius autem non, hoc facere sine aliqua mutatione posset, sed bene sine aliqua à re extrinseca proueniente mutatione, & nostra, & diuina motũ incipere potest. Nam si uoluntas primi mouentis fluctuaret, ut nostra inter opposita, & modò moueret, modò non; cui dubium, quòd permutaretur, licet non ab extrinseca re? & ante motum esset mutatio? Esto nanque quòd etiam uoluntas prima se se determinaret ad motum; & non ab extrinseca aliqua re determinaretur; non posset tamen Physicè loquendo, motum incipere, aut se ad motum determinare, non præcedente, ut diximus, aliqua mutatione; qua, de priuatione & quiete, ad motum incipiendum se transmutaret. Nam & si uoluntas nostra, eodem modo se habens, id est à nullo extrinseco, & à nullis extrinsecis causis impulsa, seipsam, ad agendum, determinet; non tamen aut opus quod agere determinauit, aggreditur; aut se ad actionem determinauit quin in ea ante mutatio illa præcesserit; qua uel à cessatione, ad actionem, uel à principiis ad conclusionem, & electionem transmutatur. Ratio igitur Aristotelis Physicè loquendo, in suo robore permanet; & si uoluntas nostra se ipsa (ut diximus) & non aliunde determinetur. Quamobrem optimè à nobis superius dictum fuit; libertatem nostram, non in uelle solùm, aut nolle, consistere; sed requiri præterea rationem. Non enim (ut capite IX. libri de Fato rectè aduertit Alexan.) idem sunt uoluntarium, & liberum arbitrium; siue, quod idem est, id quod dicitur in nobis, & nostra libertas. Voluntarium enim est, quidquid ex non coacto assensu fit, at quod in nobis, illud esse dicitur; quod ratione, & iudicio, absque ulla assensus coactione eligitur. Vnde & si omne quod in nobis est, uoluntarium sit; non tamen contra recurrit oratio; ut omne, quod uoluntarium sit; etiam quod in nobis esse dicatur, & per liberum arbitrium. G H

Quòd

A Quòd id, quod in nobis esse dicitur; non magis, secundum Stoicos, mereatur dici, quod in nobis, quàm quod in ipsis. CAP. XXIX.



RAETEREA aduersus liberum Stoicorum arbitrium, & id, quod illi in nobis esse asserunt, & quod in nobis appellant: egregiè argumentatus est Alexander. quoniam ex suis decretis, id, quod in nobis dicitur, non magis quod in nobis, quàm quod in ipsis appellandum est.

SI quidem non magis in nobis, quàm in cæteris quibuslibet animantibus, illud constituerint Stoici; quod Alexander ex multis ostendit.

PRIMÒ Quoniam cuncta (inquiunt Stoici) animalia secundum naturam, impulsum, & assensum, uiuunt. Vt nanque secundum naturam animalia agant, impulsus (aiunt) & assensus requiritur. Nisi enim animantis naturæ impulsus prius, mox assensus accedant; non quidpiam operabitur animal. Sed hæc eadem omnia, & nihil præterea, per uos, in homine ad agendum acquiruntur. Non magis igitur, quàm in cæteris animantib. quibuscunque, est in homine B illud, quod dicitur in nobis. Vt quid ergo appellant illud Stoici quod in nobis magis, quàm quod in ipsis? Omnia certè animalia (quod commune est homini cum cœteris) ab occurrentibus imaginationibus, & simulachris, & extrinsecis causis iuuari, & impelli, & eisdem, si operari debeant, assensum, uel dissensum, qui tamen dissensus species quædam assensus est, præbere Stoici docuerunt.

SECVNDÒ; Quoniam tanquam proloquium, inquit Alexander, & axioma celebre, apud Stoicos est; quòd ex iisdem specie occurrentibus externis causis, hominum quempiam, aut cœterorum animalium aliquod, uel aliud quodlibet agens, modò agere, modò non agere; aut modò sic, modò aliter agere; motum sine causa introducere sit. ad cuius rei introductionem, innumera, dicunt illi, sequuntur absurda, de quibus aliàs. Ex quo axiomate, sequitur; ut aliud quàm id, quod agit; aut alio modo quàm sicuti agit, agere, agentium quispiam nequeat. Consequens est igitur euidentissimum; quòd non magis sit in nobis id, quod in nobis dicitur; quàm in cæteris quibuscunque animantibus; immo (inquit Alexander) quàm in cæteris quibuscunque plantis, uel etiam rebus inanimatis. Cum & illa, ab eisdem causis, impulsa, non modò agunt, modò non agunt; aut nunc uno, nunc altero modo agunt. Vt illud quod in nobis dicitur, non magis C mereatur dici quod in nobis, quàm quod in ipsis, immo potius quàm quod in omnibus. Vnde tandem sequitur, ut id quod in nobis dicitur, nullum sit. Quorum tamen omnium absurditatem, necnon proloquii illius falsitatem, ab eo quod uerè est, & propriè dicitur, quod in nobis; quod alio nomine à Græcis αὐτεξούσιον appellatur, quòd quilibet in seipso experitur, quiuis depræhendere facillimè potest. Sed de re ista, plura in libro nostro de Humano libero arbitrio.

TERTIÒ; Quoniam dicere poterant Stoici, id quod in nobis dicitur, esse in homine tantùm; non etiam in cæteris animantibus, & rebus, quòd solus homo consultatione utatur. Ideo hanc euasionem egregiè sic Alexander euertit. Nam etsi solus homo consultatione utatur; mouetur tamen, ut ipsi aiunt, per impulsum, & assensum. Inquiunt enim, quòd ille etiam, qui consulit, apparentibus assentit; quod imaginationem, & phantasiam consulens ipse sequatur. Vt idem omnino, quod prius, sit colligendum; uidelicet, id quod in nobis dicitur, non magis esse in nobis, quàm in cæteris quibuscunque animantibus, & rebus. Vnde propter euasionem istam bifariam peccant Stoici, Tum quoniam, ut dictum fuit, quod in nobis, non magis quàm quod in ipsis, aut quàm quod in omnibus, est appellandum; Tum quoniam inter imaginationem, siue inter D id, quod per phantasiam, & id, quod per consultationem apparet consulenti, nullam distantiam constituerunt; cum tamen bis, quod dicitur, per omnia hæc inuicem differant. Nam phantasia apparentia simplex est; & sine discursu; & quæ ab extrinsecis (ut in brutis latissimè patet) occurrentibus, producatur; uisioni persimilis, & auditioni, & simplici breuiter per exteriores sensus factæ sensationi. Id auem, quod apparet consulenti; non extrinseca quapiam simplici occursione sit; sed complexione, & discursu, internaque quadam plurium iugatione, & ratione, & iudicio. Quod igitur liberum arbitrium, & id quod in nobis dicitur, tollant Stoici; & eo magis, quo magis tueri illud conantur, hactenus.

Qui Fatum, & in rebus cunctis ineuitabilem necessitatem introducunt (ut Stoici faciunt) uirtutes, & uitia; & per sequelam pœnas, & præmia; laudes, & uituperationes; pœnitentiam, & increpationem; & alia multa humanæ uitæ ornamenta de medio auferunt; quæ Stoici tueri frustrà conantur. CAP. XXX.



DIXIMVS pridem ex Stoicorum, & eorum, qui ineuitabilem in rebus cunctis necessitatem affirmant, omnium opinione, uirtutes, & uitia auferri; ex quo consequens est, ut pœnæ, & præmia, laudes, & uituperationes, pœnitentiæ, & increpationes, & alia multa humanæ uitæ ornamenta simul tollantur. quòd pœnæ, & uituperationes uitiis, uirtutibus contra præmia & laudes debeantur. Certè si ablatum est (ut superiore capite fusè satis uisum fuit) ab illis liberum arbitrium, & id quod in nobis dicitur; iam uirtutes, & uitia ablata sunt; quum haud natura, sed ex facta per liberum arbitrium, à nobis electione, & actione nobis insint. quamuis interea turpium operationum, quocunque eas nomine appellare uolueris, ac facinorum, atque impietatum semina opinio iaciat, & ferat. Quoniam nanque uirtutes multa difficultate acquiruntur (si Fato, & ineuitabili necessitate eueniunt omnia) ad eas adipiscendas conabitur nullus; sed contra per uitiorum abrupta unusquisque feretur. Pomponacius retorquet argumentum. Si ab omnibus, tanquam quoddam excellens bonum, uirtutes mirificè laudantur; uitia contrà, ut ingens malum, reprænhenduntur, ac uituperantur; cur est, quòd rari sint uirtutum appetitores; cum præsertim uoluntas non nisi in bonum feratur? improbi uerò, ac uitiosi innumeri? Alia profectò (inquit Pomponacius) assignari causa non potest, quàm Fatum, & ineuitabilis quædam necessitas, quæ nos illhuc sæpe pertrahat; unde pridem longè abesse uoluissemus. Sed decipitur Pomponacius, totaq; ut fertur, diametro, à rei ueritate dissentit. Quod enim non est, effectus cuiuspiam causa esse non potest. Causa certè cur rari sint uirtute præditi, plurimi uerò uitiis fœdati; non est (ut falsò cum Stoicis putauit Pomponacius) Fatum; non solum quia non est; sed etiam quia nulli uitia darentur uitio. Cur enim cuiquā id ascriberemus; quod caueri ab eo non potuit? cur incendiarios, aut sacrilegos leges punirent, si legibus parere minimè quiuissent. Sed tota causa est id, quòd est in nobis, atque ipsa arbitrii, & uoluntatis libertas. de qua re aliàs uberius à nobis dictum fuit. Quum enim triplex sit actus liberæ Voluntatis, uelle, nolle, & alterutrum suspendere. Vult illa quidem bonum semper, non uult autē aliquando malum. Sed bonum duplex est; uerum, & apparens. quod neque re, neque similitudine ullum in se retinet bonum; id expeti nullo modo potest. Suspendit autem ita alterutrum, ut duobus bonis propositis, quorum unum sit bonum maius altero, aut unum reuera sit bonum, alterum uerò apparens tantùm, suspendere potest intellectus considerationem à uero, uel à maiore bono; & uel minus bonum, uel bonum tantùm apparēs eligere. atque hoc modo per prauam uidelicet electionē, quopiam uitio deturpari. Vt, quòd relictis sæpenumero honestatis semitis, ad uitia prolabamur omnes, non in Fatum, sed in insitam, & propriam, & connatam cuique homini libertatem, qua id concupiscimus, quod uitare tenebamur, referendum sit. Sed de euasione Pomponacii hactenus. Ad quem modum autem quibusdam textis ambagibus conati fuerint ipsi Stoici, demonstrare; se seruare uirtutes, & uitia, pœnas, & præmia superius, cap. XIII huius tertii libri uidimus; & quàm præposterè ista tueantur ibidem ex Alexandro demonstrauimus. Si nanque Fato, & ineuitabili necessitate eueniant omnia; uirtutes (ut diximus) quæ non nisi maxima difficultate acquiruntur, spernerent omnes; uoluptates contrà, quæ ad se homines facillimè alliciunt, prosequerentur. artes tam liberales, quàm mechanicæ, quæ tanto studio, tamq; improbo à nobis labore acquiruntur, exercenturq; spretæ iacerent. negociationes item, quibus tam multa, & exportantur, & importantur. & quarum ergò non raro mare transmittimur, horrendarum tempestatū, ac pyratarum crudelium arbitrio; quis exerceret? His autem neglectis, quot, quæso, uita hominum incommoditatibus urgeretur? Adde, quòd sicut opinio de Fato, & cunctarum rerum impermutabili necessitate, uirtutes tollit; ita mundum uitiis complet. Nempe fatum huiusmodi, qualē Stoici, uel Mathematici profitentur, & defendunt; maximum est prauorum, sceleratorūque hominum patrocinium. Cum enim ii, qui moribus, & disciplinis, & breuiter uirtute sibi præditi esse uidentur; non Fato, sed studio suo, labore, & diligentia illa sibi acquisiuisse se putent; & bonus quilibet suarum se actionum rectarum dominum esse, arbitretur; harum enim causam habere boni à se iudicant; neque occursura fuisse, quæ se obtulerunt; nisi ipsi potius hæc, quàm illa elegissent, & fecissent; cum possent etiam ab his abstinere; relinquitur, ut prauis tantùm, criminosisq;, ac facinorosis hominibus, ad pœnas emeritas deuitandas, huiuscemodi Fatum patrocinetur. ut negent improbi uoluntatem, qua peccant; confingant uerò necessitatem, qua peccata defendant. Quemadmodum & Zenonis seruus sine causa uapulare se aiebat: quòd non propria uoluntate, sed fato compulsus, furtum fecisset. Et Lucianus ille Samosetanus Deorum irrisor, & ἄθεος, Sostratem nefarium prædonem, in dialogis mortuorum, & uirum pessimum, à pœna demerita, cui iam per Minoem erat adiudicatus, absolui ab ipsomet iudice effinxit; ea scilicet de causa; quoniam ea, quæ in uita pessimè gesserat; fati necessitate impulsus patrasset. Et alibi. Quædam sunt, inquit Lucianus, quæ inuitis nobis à nobis ipsis geruntur; Et nescio (ait) quis Deus nos ducit, quocunque ipsi placet, atque impossibile est illi repugnare.

Per

A Per hæc omnia, fatum intelligis, fœdis sceleratorum tantùm hominum facinoribus patrocinaturum.

Qui Fatum, & ineuitabilem cunctarum rerum euentum introducunt, tollunt oracula. CAP. XXXI.



QVVM Fatum Stoici simul, & diuinationem affirment; pugnent autem ita se inuicem ista; ut necesse sit, si unum ponimus, alterum auferamus; quod aliàs de Anaxagora Aristoteles dixit, nos de Stoicis rectè dicere possumus suam ipsorum uocem, & quid tandem dicant Stoicos ignorare. Oracula (inquit Alexander) & uaticinia, aut ut cõsilia, aut ut decreta Deorum ab hominibus suscipiuntur. Sed quocunque modo suscipiantur; incassum certè (si Fato cuncta eueniant) exhibentur hominibus. Si nanq; tanquã quædam à Diis decreta, frustra sunt. quòd frustra tam mala, quàm bona, prænuncientur. Bona nempe prænunciata cum ueniunt, minus admodum grata ueniunt. Nec modicum certè damnum est, si beneficio gratiæ multum adimatur. B Mala si pelli non possunt, obsunt maximè. In uesaniam nanque, & desperationem hominẽ trudunt. Si uerò, non ut decreta, sed tanquã consilia à Diis exhibentur, uanissima sunt; si quicquid futurum est, ineuitabili necessitate futurum sit. Consilium nempe de iis esse dicitur, quæ uel euenire, uel non euenire, euitari, uel non euitari possunt; quorum euentus consilio uel pelli, uel iuuari potest. Dicere ad hoc argumentum uidentur Stoici (ut lib. de Fato retulit Alexander) quòd neque ut consilia, neq; ut decreta Deorum sumenda sunt oracula; sed potius ut media quædam; non quibus admoniti uel mala euitemus, uel bona procuremus; sed quibus fata ipsa, & ipsa decreta Deorum, & uoluntates expleantur. Non enim (aiunt) ideo Pythias Laio consuluit; ut Laius se abstineret à sobole, aut ne tota eius domus sanguine redundaret; sed magis, quoniam nisi ita fuisset, exhibitum oraculum; nihil eorum euenisset; quæ euenerunt. Et quæ pridem in fatis erant. Profectò genitum Laius non exposuisset; non expositum bubulco non suscepisset; nõ susceptum Polybo Corinthio non fuisset traditus; in filium non traditus adoptatus ille non fuisset; nec tandem patri obuiam factus, illum interfecisset, per ignorantiam; aut matrem in uxorem duxisset. Quæ nihilominus omnia Fato, & certo quodam Deorum decreto, per Pythiæ responsum, tanquam per fatale medium, perfecta, & completa fuerunt.

VERVM enimuero libro de Fato cap. XVI, aduersus hanc responsionem, doctè admodum insurrexit Alexander. Primò, Quoniam responsio ista multis modis indigna est oraculo, atque ipsis diis. C Indignum certè est, quòd mala Dii præstituant, & decernant; indignius, quòd ea prænuncient; indignissimum, & abominandum, quòd eadem illi perpetrent, causasq; præordinent, & decernant; quibus mala proueniant; præcipuè tam nefanda, ut filius patrem interimat; matrem ducat in uxorem; & ab ea filium, & fratrem simul suscipiat.

SECVNDÒ. Quoniam axioma apud Stoicos indubitatum, & celebre est; Deum, & Fatum uti opera, agentium omnium, pro ordine, & salute uniuersi. Sed ad quem, quæso, ordinem, uel ad quorum salutem, nece Laii patris, Oedipi parricidio, incestu, & impio nuptiarum sacrilegio Dii usi fuerunt? Orbi uniuerso quid hinc ordinis firmatur? quam salutem adipiscitur? quid utilitatis affertur?

TERTIÒ. Si impium est, patrem à filio interimi, matris abusu filium inquinari, & facinora huiusmodi (ut Stoicis uisum est) à fatis, & Deorum prouidentia decreta sunt; quàm amabò profanam, quàm impiam, quamque improuidam Deorum prouidentiam Stoici nobis exhibuerunt. Profectò si tam absurda, tam impia dicant Stoici, de diuina prouidentia, à circunstantibus causis impulsi, & acti; parcendum illis est. At si facultas nobis est (ut est sine dubitatione) D meliora scribendi, & docendi; quali, ac quanto essent illi plectendi supplicio; cum non solùm cuncta nobis uitæ nostræ præclara auferant ornamenta, leges, pœnas, præmia, uirtutes, studium, diligentiam, consilium, electionem, libertatem; sed tam impia etiam, & detestanda de diuina prouidentia sunt commentati; ut longè sit tolerabilior Epicurus, qui prouidentiam abstulit, & negauit, quàm Stoici, qui illam tam fœdam, tam turpem, tamque impiam, & contumeliosam facere, & alios de illa, tam sacrilege instruere, fuerunt ausi.

Eos, qui Fatum, & ineuitabilem rerum cunctarum euentum introducunt, pietatem, & Deorum cultum, penitus auferre. CAP. XXXII.



ABSVRDIS, atque incommodis omnibus, quæ ad Stoicorum opinionem de Fato, & cunctarum rerum ineuitabili euentu sequuntur; quæ innumera (ut uidimus) & maxima sunt, ipsi rerum euentui, & illi, quam de rerum generatione, successione, & euentu habemus existimationi, & experientiæ, δὶς διὰ πασῶν, hoc est, bis per omnia, aduersantibus, & repugnantibus, colophonem imponere uidemur, cum dicimus; quòd admisso huiusmodi fato, quale Stoici, aut etiam Mathematici profitentur, & ineuitabili in cunctis rebus, & euentis necessitate, cultus erga Deos, & pietas omnis statim euertitur funditus, atque tollitur. Quorsum enim sacrificia facere; supplicationes, & uota offerre; templa Deorum tot, tātisq; laborum, & pecuniarum expensis extruere; si prodesse, & auxiliari, & suppetias nobis Dii ferre non possunt? Si bona, quæ nobis contingunt, non Deorum munere; si mala, non nostra improbitate; sed cuncta, quæ nobis accidunt, fati necessitate ineuitabili contingerent, frustra diuinas aures precibus pulsaremus: immo ex lib. sexto Aen. cum Virgilio dicere possemus. E

» *Desine fata Deum flecti sperare precando.*

Gregorius Nyssenus libro de Prouidentia diuina, cap. primo, ex interprete dicebat, Si Deus non prouidet; neque prauos punit; neque bene agentibus præmia elargitur, neque patientium læsiones inhibet; quis amplius Deum adorabit, in nullo nobis quicquam conferentem? Idem & sub eisdem fermè uerbis, libro de Hominis natura habet Nemesius; ut suspicari facillimè possit, librariorum incuria errorem incidisse; & pro Nysseno Nemesium legendum esse. Quæ in Deo (dicebat Firmianus lib. de Ira Dei aduersus Epicurum) potest esse beatitudo; si semper quietus, & immobilis torpet? si præcantibus surdus? si colentibus cœcus? Et paulò post aduersus Epicuros simul, & Stoicos intulit. Neque honos ullus deberi potest Deo; si nihil præstat colenti; nec ullus metus, si non irascitur non colenti. Et post aliquot. Si Deus nihil unquam boni tribuit; si colentis obsequio nullam gratiam refert; quid tam uanum, tam stultum, quàm templa ædificare; sacrificia facere; dona conferre; rem familiarem minuere; ut nihil assequamur? Quis honos deberi potest nihil curanti, & ingrato? Si Deus talis est (inquit Cicero) qui nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, ualeat. Quid contemptius (inquit Lactantius) dici potuit in Deum, quàm dicere, ualeat. Valeat, inquit, idest abeat, & recedat; quando prodesse nulli potest. Hæc autem est illa impiorum blasphemia, de qua Malach. cap. III. Dixistis, inquit, uanus est, qui seruit Deo; & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius; & quia ambulauimus tristes coràm domino exercituum? F G

Aduersus eos denuo quoscunque, qui Fatum, & inuitabilem in rebus cunctis necessitatem defendere conantur, arguit auctor, quoniam ipsi sibi aduersaretur, si esset. CAP. XXXIII.




ETSI tot, tantisque, atque tam firmis, & urgentibus rationibus actum sit à nobis hactenus aduersus eos, qui Fatum, & ineuitabilem, in euentibus cunctis, necessitatem opinati fuerunt; ut & hanc opinionem ab eorum mentibus euellisse, & Fatum ipsum funditus euertisse facilè ipse crediderim. His nihilominus multis rationibus, & demonstrationibus, quas ex aliorum ditissimis penuariis produximus, aliquot ex nostro, quamuis tenui, armariolo depromptas, ad Fatum, & ineuitabilem in euentis necessitatem undique fugandam, tanquam auxiliarias superaddemus. Aduersus igitur hanc de Fato impiam opinionem. H

PRIMVM arguo, Quoniam fatum fato pugnare, & aduersari non potest (idem enim sibiipsi aduersari, seipsumq; destruere, atque interimere impossibile est) at nos quidem fato iamdiu aduersati fuimus; ipsumq; acriter adeo impugnauimus; ut nullam iam de ipso superfore, apud eos, qui sine inuidia hæc nostra legerint, opinionem, modò mentis, & rationis compotes fuerint; mihi facilè sim persuasurus. Non igitur potest esse, ut hoc ipsi fato egerimus. quod si fato istud non egimus; non omnia igitur fato fieri, necessarium est: quin etiam sequitur quòd nullum sit tale fatum, quod euentus cunctos urgeat, ac necessitet.

Aduersus fatum secundò arguit auctor, ex his, quæ lib. secundo tanquam proloquia, posita fuerunt. CAP. XXXIIII.

Secundò.

A ECVNDO, Fatum iis aduerſatur, quæ libro ſecundo tanquam proloquia ſup poſuimus, ubi dicebamus, contingentiam à materia, temeritatem ab agentis inefficacia, & neceſsitatem à forma ortum habere. Non enim à materia contin gentia eſſet; aut temeritas ab inefficacia agentis; ſi nulla contingentia, uel temeritas eſſet. Non à forma neceſsitas, ſed ab efficiente, ſi à Fato ortum neceſſitas omnis haberet. At cauſa efficiens ſecundum omnium ritè philoſophantiũ diſciplinam, extrinſeca cauſa eſt. libro nanque ſeptimo Prioris philoſophiæ, ad tex. nonum ſupra quinquageſimum, efficiens eſt cauſa rei in fieri. Quòd ſi aliquando, ut à Pla tone in Phædone, & ab Ariſt. lib. ſecundo Phyſicarum auſcultationum, dicatur, cauſam efficien tem formam eſſe, intelligendum eſt, non de forma eius, quod efficitur; ſed de forma eius, quod efficit; & quæ in mente, uerbi cauſa, architecti iam reſidet. Si igitur cauſa efficiens, rei, quæ ef ficitur, cauſa extrinſeca eſt; & cuncta neceſsitate fati (quod efficiens cauſa eſt) eueniant, duo ſequũ tur abſurda. Vnum, quòd omnia neceſſaria ſunt; poſsibilia autem aut contingentia, aut temeraria, & fortuita nulla. Alterum, quòd omnis neceſsitas, quæ in rebus reperta fuerit, ab extrin
B ſeca cauſa, ut pote ab efficiente, erit. Cõueniunt enim omnes fati aſſertores in eo, quòd inter efficiẽ tes cauſas illud eſſe connumerandum exiſtimant. nulla autem ab intrinſeca, & ab ipſa forma rei; quo admiſſo, non ſolùm ſequitur falſum eſſe quod ſuppoſuimus, & ex Philoſophorum coryphæo Ariſtotele latiſsimè demonſtrauimus; neceſsitatẽ uidelicet originem ducere à cauſa rei intrinſeca, & à forma; ſed illud etiam omnino aduerſus Stoicos (qui nullam ex fato uiolentiam, & coactionem rebus euenire exiſtimauerunt) conſequetur omnino; cuncta uidelicet uel in uiolenta, uel in præternaturali ſaltem diſpoſitione perpetuis temporibus eſſe conſtituta. Quoniam quicquid in rebus eſt, neceſſarium eſt; omnis autẽ neceſsitas (ut dictum fuit) ab extrinſeca euenit cauſa. Ne ceſsitatem nempe, quæ ab extrinſeca cauſa eſt, coactio comitatur; coactionem uerò uiolentia, & præter naturam diſpoſitio. quod tamen aſſerere, non tantùm ad ueritatem, ſed etiam ad Stoicorum opinionẽ eſt inter abſurda abſurdiſsimum. Si dixeris non eſt Fatum penès Stoicos extrinſeca cauſa. Reſpondebo, quòd paulò ante, id eſt cap. XV. oſtendimus, neceſſum eſſe, ut fatum ex trinſeca cauſa ſit; Si eſt ſeries cauſarum; longè magis; ſi influxus eſt ſiderum. dicere autem cuncta
C per coactionem & uiolentiam fieri, certè mirum in modum ſtultum eſt. Nam (ſi Ariſt. lib. Ethic. tertio cap. primo ſententiam probamus) uiolentum id eſt, quod & ab extrinſeco eſt, & ad illud uim aliquam non confert id quod uim patitur. Experimur autem uim ad ſpontaneas operationes noſtras quaſcunque nos ipſi conferre; non igitur per uiolentiam illæ ſunt. ergo non ab extrinſeca cauſa ſunt. igitur non à Fato. cùm fatum ſiue ſit ſiderum, & cœleſtis corporis uis aliqua; ſiue ſit ſeries cauſarum, ſiue quoduis aliud præter formam, & materiam eius, quod patitur; ut extrinſeca cauſa ſit, ſit penitus neceſſarium.

Aduerſus Fatum tertiò arguit auctor, quoniam ſi fatum eſt, maximo errore ferè omnes detinemur. CAP. XXXV.

ERTIÒ. Si fato, & ineuitabili neceſsitate cunctæ res adueniant; quum quàm plurima in noſtra eſſe poſita poteſtate, plerique omnes exiſtimemus; illud certè maximum ſequetur incommodum, quòd maximo quodam errore ſeducti, & incredibili quadam tenebrarum caligine, tot ſæculis detenti, à natura penè
D omnes fuiſsemus. Tantum autem incommodum abiicere non poſſumus, non abiecta prius inſulſa, & anili ſuperſtitione fati, & ineuitabilis rerum cunctarum neceſsitatis exiſtimatione.

Aduerſus fatum, & ineuitabilem rerum cunctarum neceſſitatem, quartam auctor, quæ ex diuina bonitate ſumpta eſt, rationem adducit. CAP. XXXVI.

VAMVIS opinio de fato, & ineuitabili rerum cunctarum neceſsitate, tot ac tanta ſecum trahat incommoda; ut numerari, ac recenſeri illa ſit impoſsibile, nec pauciora aduerſus illam in ferri poſsint ualidiſsima argumenta. ſtatuendus eſt tamen epicherematum modus; ne plurium, quàm in re non multum obſcu ra, opus erat, rationum argumentorumque, & demonſtrationum multitudine lectoris animum uel moleſtius obruamus, uel ad reliqua properantẽ diutius im moremur. Tres propterea adhuc tantùm aduerſus Stoicorum, & eorum omnium, qui fatum, & ineuitabilẽ in cunctis euentis neceſsitatem tuentur opinionem, ex noſtro admodum paupere armariolo producturi ſumus, firmiſsimas rationes, & quæ rem maximè urgeant

geant, ac probent. Postquàm autem has produxerimus, diluemus argumenta omnia, quæ pro istorummet opinione, principio huius tertii libri adducta sunt. Harum igitur postremarum nostrarum rationum, prima sit illa; quam non ex Theologorum nostrorum tantùm, quos Stoici, & alii, qui Stoicos sequuntur, irridere potuissent; sed ex antiquorũ etiam Philosophorum, & Ethnicorum Theologorum, ut Platonis, Hesiodi, Orphei, & aliorum multorum, quibus illi plurimùm tribuerunt, monumentis, & disciplinis collegimus. Quoniam Deus, & si natura sua & bonus sit, & necessarius adeo, ut etiam ab ipsis Stoicis, ipsa necessitas dicatur, & existat; non tamen qua necessarius, sed qua bonus mundum fecisse, & uniuersa, quæ in mundo sunt, bona condidisse; ab Stoicis, & cæteris mundi sapientibus, & creasse, dicitur. Quinimmo hæc omnia, quæ fecerat, cũ uidisset; ualde bona reperiisse; non in sacris tantùm, iisdemque uerissimis libris; sed in profanis etiam Hesiodi, Platonis, Hermetis, Orphei, & aliorum codicibus legimus. In rebus autem istis, quas cunctas, quatenus bonus est, Deus, bonas creauit; malitias, & prauitates multas, quas in hac humana uita, experimur; quæ quidem prauitates, & ipsi Deo, quatenus creator bonus est; & ipsis rebus conditis, quatenus bonæ conditæ sunt, non solùm modo aliquo, sed quasi è regione, & ex diametro aduersari, & pugnare uidentur: Deus Opt. sustinet, ac permittit (sua nempe prouidentia etiam secundum Stoicos, singula disponuntur, & ueniunt) contingentiam, F
uel etiam temeritatem, quæ nec ipsius conditoris bonitati, nec rerum conditarum ulli conditioni aliquo modo aduersatur & pugnat; cuius contrarium, idest necessitatem, neque de singulis seorsum, neque de cunctis simul collectis rebus, aliquando, neque in sacris nostris codicib. neque in Philosophorum scripturis, & gentilium libris, nisi penès speciem fortasse, & quandam tantùm uniuersitatem, aut penès eos tantùm, qui uanam sibi de ineuitabili fato opinionem fabricauerũt legimus; Idem Deus Opt. Max. sua prouidentia non sustinebit? & eandem in rebus non permittet? Sed ab Orbe uniuerso illam nullo merito penitus abdicabit? & procul abiiciet?

Aduersus Fatum quintam rationem ponit auctor; quæ ex oppositione, quæ inter necessitatem, & contingentiam existit, erigitur. CAP. XXXVII.



SECVNDA ratio illa est, Necessitas est per istos, qui fatum, & impermutabilem necessitatem mordicus tueri conantur; in natura; eamque isti non solùm admittunt; sed, quantum etiam possunt, aduersus necessitatis propugnatores defendunt. Ergo contingentiam esse in natura, & in orbe uniuerso admittendum ab ipsismet Stoicis est, & defendendum. Sequela probari posset ex auctoritate Aristotelis lib. secundo de Cœlo, tex. XVIII. (si tamen illam ex Aristotelis auctoritate potius, quàm ex notissima rerum experientia, atque tandem ab G
ipsa natura desumptam fuisse crediderimus) ibi namque ait interpres naturæ Arist. Si unum contrariorum est in natura, & alterum esse necesse est. Idcirco & libro primo de Cœlo, & libro secundo de generatione, & corruptione, tex. XLIII. idem Arist. arguebat. Est motus uiolentus, ergo est etiam motus naturalis. tex. ẽt XLIX. eiusdem libri secundi de Generatione, sic arguebat. In misto, quod est circa terram, est terra & aqua; ergo & ignis, & aer. sequelam deducebat, quoniam ista sunt illis contraria elementa. In libro rursus secundo de Cœlo, tex. XXXVII, Si in cœlo, dicebat, intensio fuerit, & remissio in eodem erit. Sed quoniam Aristotelis tanti uiri nihil illos urget auctoritas, ex ipsa in rebus omnibus compertissima, constantissimaque experientia, quam renuere, qui sit compos mentis, poterit nemo: cui omnes illæ Aristotelis auctoritates, & rationes, tanquam solidissimo principio & fundamento innixæ sunt; quàm facillimè, & quàm constantissimè ratio, & sequela nostra, probari poterit. Naturam nanque in rebus ipsis contrarietatem adamare, aduersusque omnem exuperantiam per contrarium semper moliri, excessusque per defectus, & contrà defectus per excessus quosdam corrigere uidemus. Non calidum solùm, H
non frigidum, aut siccum solùm, non albedinem tantùm, non dulcedinem duntaxat illa genuit, & effecit: sed sua singulis contraria molita est. caliditati nanque, frigiditatem, siccitati humiditatem albedini nigrorem, dulcedini amarorem opposuit. Hoc est quod apud Heraclitum, Scotinum ab obscuritate cognominatum, legi, ex interprete in libro de Mundo asseruit Aristoteles, siue, quisquis libri illius auctor fuerit, Crispa & minimè crispa unà uinxeris, consentiens, & dissentiens, consonans, & dissonans, unum etiam ex omnibus, omniaque ex uno. quippe siccum humido, calidum frigido, graui leue natura opposuit. hactenus ille. Hoc est, quod Ouidius cecinit.

» *Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,*
» *Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.*

A' PARI & existimandum est, necessitatem minimè solam Deum, & Naturam effecisse, ac produxisse

A produxisse, uel eam in orbe uniuerso solam, & sine suo aduersario stare permisisse; sed id, quod si bi erat ex diametro contrarium & pugnans, rebus ipsis Naturã adiici uoluisse. Hoc autem est ipsa contingentia. Nihil profectò uerè & propriè, & (ut in scholis frequens est) formaliter necessitati aduersatur, nisi sola contingentia. Probatur. Aut enim necessitati aduersatur possibilitas, aut impossibilitas, aut contingentia. Necessarium nanque est, ut horum trium, unum sit necessitati contrarium. Necessario quidem id quod formaliter opponitur, & contrariatur; non est ipsum possibile. Compatiuntur enim ambo, cùm omne quod necessarium est esse, sit etiam possibile esse; alioquin si non esset possibile esse, quomodo esset necessarium esse? Non est etiam ipsum impossibile. Includi enim in ratione impossibilis aliquo modo necessitatem; & contra, in ratione necessitatis, impossibilitatem, manifestum est. Nam illud impossibile esse dicimus, quod non esse est necessarium; Et illud rursus esse necessarium dicimus; quod non esse est impossibile. At contrarium in eo, quod sibi uerè, propriè, & formaliter contrarium est; includi impossibile prorsus est. Sequitur ergo, quòd contingentia sit illa, quæ necessitati propriè & formaliter aduersatur. Quamobrem contingentiam dari, & eam in rebus reperiri, si in eisdem reperitur necessitas, & in rerum uniuersitate uersari, erit omnino & penitus necessarium. Quid enim in tota hac sublunari machina reperire quis poterit, quod contrario careat? ut omnino illud Euripidis uerum sit. οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλα. idest, non sunt per se bona producta. Quæ res, ut perspecta fuit Themistio, sicuti ex sua oratione, pro amicitia, patere potest; in maximam statim admirationem illum protraxit. & ante Themistium (ut cap. IIII. libelli Metaphysicæ patet) Theophrastum præclarissimum Philosophum, ita scribentem, pertraxerat. Δόξειε δ' ἂν καὶ τοῦτ' ἔχειν ἀπορίαν, εἰ μὴ ἄρα περιεργίαν τοῦ ζητεῖν. τί δήποτε ἡ φύσις, καὶ ἡ ὅλη δ' οὐσία τοῦ παντὸς ἐναντίοις ἐστί. καὶ σχεδὸν ἰσομοιρεῖ τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι. μᾶλλον δὲ καὶ πολὺ πλεῖον ἐστιν. idest Præterea illud quoque dubitationem, nisi curiosa quærendi diligentia sit, habere uidetur. Cur nam ipsa natura, totaque uniuersi substantia, in contrariis consistat; idque quod deterius est, æquales fermè cum optimo partes habeat; immò uerò etiam longè numerosius sit. Et paucis interpositis ἐστὶ δὲ καὶ τὸ δοκοῦν παραδοξότερον ὡς οὐχ οἷόν τε τὸ ὂν ἄνευ τῶν ἐναντίων. idest. Est etiam & illud, quod præter opinionem, & magis paradoxum esse uidetur; cur fieri non potest, ut id quod est, absque contrariis existat. Non ergo potest esse in natura necessitas sine aduersante sibi & contraria contingentia. Immo ex iis, quæ ex Theophrasto dicta sunt; quod rerum usu notissimum est. cùm contingens ac necessarium relatum, rationem habeat con
C trarii imperfectioris; sequitur, ut longè plura sint illa, quæ contingentia sunt, & contingenter eueniunt; quàm ea, quæ necessaria sunt, & ex necessitate euenire dicuntur. Quamobrem & Auerroes libro secundo Physicorum, com. XLVIII. scripsit probè, quòd sermo dicens omnia esse necessaria, nullus est. Et Enomaus contra Chrysippum, homines consilio uiuere; & Diogenianus Philosophus contra eundem, non omnia in euitabili illa serie causarum effici, rectissimè probauerunt. sed alia propria quadam & singulari natura, alia uerò fortuna, alia cousilio nostro, alia uoluntate Deorum fieri, isti Philosophi rectius putauerunt.

Vltimo loco ex comparatione mutua duarum propositionum, Fatum est, Fatum non est; Fatum ipsum euertitur. CAP. XXXVIII.



TERTIA omnium postrema ratio, quam in libro de Fato innuisse uisus est Alexander, est, Quoniam si duo proponerentur, quæ ita se haberent; ut unum non esset altero notius; sed foret utrunque æque dubium. Et de utroque dubitaretur, an esset. Vnum autem illorum (si illud esse admitteretur) maxima es-
D set hominibus allaturum incommoda; alterum uerò quàm pauca, & minima, aut forte nullum. Tollendum dubio procul statim esset; quod maximum detrimentum allaturum foret; & illud admittendum (quando alterum admittere esset necessarium) quod nullum, uel quàm minimum incommodum ueheret secum, & traheret. Sint igitur ista, Fatum esse, Fatum non esse (de eo loquimur fato, quod euentis rerum necessitatem ineuitabilem inducit) æque dubia; & unum altero minimè sit notius; nec stent pro una parte demonstrationes ualidiores, firmiores, urgentioresque, quàm pro altera; sed utrinque sint apparentes duntaxat, & probabiles rationes. quum ad unum illorum, quod est, fatum esse; incommodorum cumulum ingentissimum, & quasi pelagus infinitum sequatur: & fatum esse opinari, uitæ hominum multa, & maxima inferat detrimenta; ad alterum quod est fatum non esse, ne minimum quidem absurdi sequatur; & (fatum negare) damnum afferat prorsus nullum, immo contrà utilitatis quamplurimum: cui dubium, quod pars illa, quæ dicit, fatum esse, erit ab hominum pectoribus extirpanda protinus, & abiicienda? altera uerò, quæ dicit, fatum non esse utraque manu, & totis uisceribus amplexanda, & retinenda? Quid enim hæc pars, quæ dicit, fatum non est, secum trahit incommodi? Non certè, si fatum (abstulerimus; peribit, (quod

imperiti putarunt quidam, præſcientia, & prouidentia diuina, non rerum ordo peruertetur: non ceſſabunt à ſuo motu corpora cœleſtia; quæ omnia ſuo loco inferius oſtendemus. At illa, quæ dicit, fatum eſt. quid intactum relinquit? quod non affert incommodum? quid non demolitur? fortunam aufert & temeritatem, contingens & poſsibile, uirtutes, & uitia, pœnas & præmia, uituperationes, & laudes, repræhenſionem, & pœnitentiam, conſtitutiones, & leges, conſilium, & electionem, liberum arbitrium, & quod in nobis dicitur; hominem beſtiis parem facit, ne inferiorem dicam, probis uiris non niſi obeſſe, improbis contrà ac ſceleratis tantùm prodeſſe poteſt, quibus impendiò patrocinatur; furta, homicidia, inceſtus, ſtupra, fraudes, proditiones, & uniuerſam uitiorum omnium latrinam fouet, atque tuetur; Deos denique (ut ſemel finiam) & religionem omnem, ac Deorum cultum, & pietatem, aut de medio tollit, aut ſaltem in contemptum adducit; ſerit autem impietatem καὶ ἀθεότητα, fidem, & iuſtitiam aufert, et cunctum humanæ uitæ ornamentum abiicit, atque proſternit. Vt earum, quæ hominibus, hominumque actionibus, affert incommoditatum, ac detrimentorum numerum, qui ſcire uelit, E

» *Lybici uelit æquoris idem*
» *Diſcere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ.*

Neganda eſt igitur pars illa, quæ dicit fatum eſſe; & ab hominum mentibus eradicanda penitus, & longè adeo abiicienda; ut ne uel leuis quidem eiuſdem odor, qui eſt odor mortis ad mortem, nares noſtras aliquando pertingat; eoque longius releganda quòd nullam pro ſe uel probabilem rationem habeat; cum interea pro parte altera ualidisſimas, firmisſimasque demonſtrationes multas adduxerimus, plures animi intelligentia conſpiciamus, intueamurque. Sed aduerſus fatum, hoc eſt rerum ineuitabilem necesſitatem, in uniuerſum ſatis ſit dictum. F

Improbata relinquitur ab auctore opinio quædam de Fato, & ad Nemeſium lector remittitur. CAP. XXXIX.



ADVERSVS Aegyptios, qui fato fatum addiderunt; & fati unius indignationem, per alterius fati uirtutem, uel amoueri, uel ſaltem placari poſſe crediderum; eſſeque nonnulla ſidera, quæ exculta, & uenerata, maleficum aliorum influxum aut abigant, aut nobis pacatum reddant, inſipienter exiſtimauerunt; unde ineuitabilem (ſic dixerim) ab illo priore procedentem necesſitatem amouerunt; euitabilemque fecerunt; dicturi ſumus nihil. quòd opinio uel proximè ad catholicam ueritatem, de qua paulò poſt, accedat; uel longè rudior ſit; quàm illa Stoicorum & Mathematicorum; ut ei etiam obiicere, & contra eam argumentari uelle, turpe ſit. Veruntamen ſicuti illam opinionem, loco citato, Nemeſius recitauit ita eandem acriter impugnauit. ad eum igitur locum lectorem mittimus; Eorum autem interea, quæ ante obiecta fuerunt, omnium diſſolutionem parabimus. G

Ad ea, quæ pro opinione de Fato, & rerum cunctarum ineuitabili neceſſitate adducta fuerunt; & ad confirmationes prius, deinde ad rationes, & primò ad ſextam, & ultimam confirmationem, quæ ex cuiusque rei periodo procedit, reſpondetur. CAP. XL.



QVVM aduerſus Stoicorum, & Mathematicorum, & eorum omnium, qui fatum, & rerum cunctarum ineuitabilem necesſitatem affirmarunt, opinionem, ſatis ſtrenuè, & apertisſimis admodum, urgentisſimisque rationibus ita dimicauerimus, ut & fatum illud ſuum, & illam rerum cunctarum ineuitabilem ab ipſis aſſertam necesſitatem (uel hominum peritorum iudicio) euerterimus funditus, atque ſuſtulerimus; nec non in plurimas præterea contradictiones (quod maximum eſt ſcribentis uel opinantis uitium) atque pugnantias lapſos Stoicos demonſtrauerimus; ſupereſt, ut illa, quæ prius, ideſt cap. undecimo, & duodecimo huius tertii libri, pro fato, & rerum omnium neceſſario, ineuitabilique euentu, adducta fuerunt argumenta, ne quorundam impoſturis ſimplicior quiſpiam, maiorem, quàm par ſit, fidem adhibeat; & fato, deceptus, ineuitabili necesſitate inhæreat, diſſoluamus. H

AD illa igitur omnia, quamuis efficacia multis, ualidaque uideri potuerint, argumenta reſpondeamus. Primùm autem ad confirmationes, deinde ad ipſas rationes dicemus. Liceat enim (ut à facilioribus, ad difficiliora, tendamus, quòd hic ſit ordo tradendæ doctrinæ) in reſponſionibus ad epicheremata, ordinem permutare.

A AD illud, quod ultimo loco obiectum est; Omnia certa periodo circumscribi, quæ aliorum alia est, dicimus. Hanc Stoico uel Mathematico fato & ineuitabili quadam necessitate, constare periodum, multi putauerunt; ut cuius uis uitam, uel rei cuiuspiam durationem, per horam, aut per breuissimum temporis spatium ultra istam fatalem periodum producere, sit penitus impossibile. Quod quidem fatum, non εἱμαρμένην, & præfixum causarum ordinem, & seriem, inoffenso tenore procedentem: sed πεπρωμένην, idest præfixum rerum statum, & terminum appellauerunt. Verùm sine dubio, errore isti maximo decepti sunt. Non enim ad fatum, & ad aliquam ineuitabilem causarum complicationem, & necessitatem (quæ nulla est) uel ad pepromenem, & præfixum inuiolabiliter durationis cuiusque indiuiduæ, & signatæ rei terminum; sed ad uiuacitatem rerum, pro earum diuersa natura; & fortioris, uel infirmioris temperamenti ratione; non autem ad aliquam fatalem necessitatem (nisi exposuerimus fatalem, idest naturalem, quæ expositio, quàm commodè, ut sequenti capite dicemus, defendi potest) illa periodus referenda est, quæ non adeo certa, & præfixa est. Quin in eadem natura, & specie, pro ratione (ut diximus) diuersitatis eius indiuiduorum temperamenti, pro cibi, & circumambientis aeris, & aliarum id genus rerum dispositione, in indiuiduis euariari, & uideamus sensu, & loco in obiectione cita-
B to, hoc est lib. quarto de Generatione animalium affirmauerit Aristoteles, qui etiam lib. secundo de Gener. & Corrupt. parte LVIII. ex interprete, inquit. Videmus enim quòd adueniente Sole,
» generatio est, recedente autem, diminutio, & in æquali tempore utrunque. Aequale enim tem-
» pus generationis, & corruptionis, quæ secundum naturam, sed contingit; mul totiens in mino-
» ri corrumpi, propter mutuam mixtionem. Inæquali enim existente materia, necesse est inæqua-
» les generationes esse, & has quidem citiores, has autem tardiores. Hæc ibi. quibus uerbis re-
» rum durationem & periodum non influxui, aut æternæ causarum complexioni, sed temperamento mixtionis, & dispositioni materiæ ascripsit. Nihil enim fato, & ineuitabili Stoicorum, uel Mathematicorum necessitati istam periodum fauere, compertum est; cum non sit adeo præsertim
» exacta, & certa; quin (ut dictum fuit euariari accelerari, uel tardari non solùm per horam, sed per annos plurimos non possit. Homerus propterea ultra Fatum, quorundam uitam productam fuisse; sæpe commemorat. quòd humanæ eorum uitæ & ualetudinis periodum naturalem excessisse, illi uideantur.

C Ad penultimam confirmationem, quæ ex fatalibus ab Aristotele nuncupatis generationibus procedit, respondetur: & in responsione, quid de Fato senserit Aristoteles, declaratur. CAP. XLI.



AD ILLVD, quod de generationibus fatalibus ex Aristotele obiectum est, dicamus; Et, quid de fato sentiat Aristoteles, paucissimis aperiamus. Græci expositores Themistius præsertim, & ante Themistium Alexander, & post utrunque Simplicius, & alii Græci Aristo. interpretes ferè omnes, exponunt ubique fatales, idest naturales; quòd fatum, ad sententiam Aristotelis, nihil sit aliud, quàm ipsa natura. Quamobrem libro quinto Physicarum auscultationum parte septima supra quinquagesimam, dicebat Aristoteles; quòd aliquæ erãt generationes uiolentæ, & non fatales. ex quo loco, de sententia Aristotelis, citra dubium euidentissimè colligitur; uiolentis generationibus, fatales aduersari. Sed secundum doctrinam eiusdem, uiolentis generationibus illæ etiam sunt oppositæ, quæ sunt secundum naturam. Igitur aut idem sunt generatio fatalis, & generatio secundum naturam; aut non idem, sed duo diuersa. Non duo esse
D possunt; alioquin libro primo de Cœlo, parte, x, mentitus fuisset ipse Aristoteles, in quo loco semel. atque iterum dixit; Vnum tantum uni esse contrarium. At duo iam eidem essent aduersa. Vnùm igitur & idem sunt, fatales generationes, & naturales. sed uiolentis fatales opposuit; eisdem etiam naturales oppositæ sunt. Igitur per fatales ibidem, naturales ille intellexit. in quo etiam loco Simplicius meminit Adonidis horti; in quo citissimè, & antequàm ferè radices emitterent, sata aflorebant. Hæ enim, & huiuscemodi aliæ præcoces generationes, sicut non sunt naturales, quia naturæ uim præuenire uidentur; ita fatales dictæ non sunt ab Aristotele; sed uiolentæ; quòd naturam (ut olim dictum est) & fatum idem & rectè satis existimauerit Arist. Alex. propterea dicebat lib. de Fato; in tractatione de rerum physicarum causis, & principiis, Aristotelem, non egisse de Fato, sicut de casu, & de Fortuna; quia iam de ipsa natura egerat. Est autem (ut nuper diximus) fatum, secundum doctrinam Aristotelis (quod libro de Fato cap. II, & III, declarauit copiose Alex.) idem quod ipsa natura. Et fato illa, secundum Aristotelem, dicuntur euenire, uel fieri; quæ ab ipsa natura eueniunt, & fiunt. In quem modum fatum sumpsit, cum de Didone lib. quarto loquebatur, Virg.

» *Nam quia nec fato merita, nec morte peribat.*

Et lib. primo Georgicorum de auibus. E

» *Haud equidem credo, quia sit diuinitus illis*
» *Ingenium; aut rerum fato prudentia maior.*

Non enim credidit diuinus ille Poeta; auibus ingenium aliquod esse diuinitus attributum, in præsensione futurorum euentuum; nec prudentiam maiorem illa, quæ conueniret earum naturæ; quam fatum appellauit. Et Ouidius

» *Est aliquid fatoque suo ferroque cadentem*
» *In solita moriens ponere corpus humo.*

Et Martialis lib. undecimo epigrammate LXX, & ultimo canem Phidiæ ab apro dente diremptum, ita loquentem facit,

» *Non potuit fato nobiliore mori.*

Et Plato XII, de Legibus in eadem significatione, fati nomen accepit, cum ita ex interprete inquit, Hæc cum ita se habeant, rem familiarem atterere, minimè debemus, quasi arbitremur hanc « carnis molem, quæ sepelitur, nostrum illum esse; cùm ille filius, aut frater, aut quiuis alius à no- « bis desideratus, quem sepeliri putamus, hinc aliò fatis suis exactis profectus fuerit. Hæc Plato: « Sed redeo ad Arist. qui (ut diximus) fatum, & Naturam idem existimauit. F

Fatum de sententia Aristotelis, idem esse quod natura; & euentus, non quidem ineuitabiliter necessarii, sed ut in pluribus, esse causam. CAP. XLII.



CVM fatum de opinione Aristotelis, idem sit quod natura, ut per eiusdem auctoritatem superiori capite probatum fuit; quod mox per rationem ex ipsiusmet disciplinis, atque principiis sumptam demonstrabimus; consequens est, ut quemadmodum natura ipsa in quibusdam errare, & fine suo frustrari potest, in quibusdam uerò minimè; & in quibus intentione sua frustratur, id accidat rarò, ut plurimum autem finem, quem intendit, assequatur; quoniam in his subcœlestibus, & inferioribus rebus natura est de numero eorum, quæ ex intentione agunt, & non semper sed ut in pluribus, intentum finem consequuntur: ita fatum, sit de numero efficientium causarũ; quæ & ex intentione efficiunt; & in aliquibus fine suo nunquam frustrentur, in aliquibus uerò aliquando, sed rarò. quoniam ut in pluribus, non autem semper, aut (ut dicunt fati assertores) necessitate ineuitabili, finem suum fatum adipiscitur. In cœlestibus quidem, & sempiternis corporibus, natura, & fatum frustrari non potest; neque etiam in G subcœlestibus, quo ad eorum naturam, & uniuersalem speciem consideratis, ita ut quicquid illis in specie, uel numero, istis in specie tantùm sumptis euenerit, ineuitabili necessitate de sententia Aristotelis, euenisse est existimandum. At in his inferioribus & indiuiduis rebus; nihil est, quod tanta necessitate eueniat, ut etiam non euenire non possit. Verum est tamẽ quòd ut in pluribus, in istis etiam id fit, quod Fato faciendum erat. Quoniam ut dictum est, natura ut plurimum finem intentum assequitur. Quòd autem secundum doctrinam Aristotelis, sit idem fatum, quod natura, & superiori capite de auctoritate à nobis probatum fuit, & probauit loco citato hoc est, capite II, & III, libri de Fato perbellè Alexander. Est enim sine dubitatione uno eorum omnium consensu, qui ipsum astruunt, fatum inter causas asserendum. In iis nanque quæ iam facta sunt, illi, qui Fato subscribunt, Fato illa euenisse dicunt. Sunt autem apud Aristotelem causarum genera tantùm quatuor, materia, forma, efficiens, & finis. Fatum non nisi (ut sæpe in superioribus dictum fuit) ad efficientem causam ab ipsismet fati assertoribus reducitur. Ad id, quod efficit, duplex est; quoddam quod nullo præstituto fine efficit; ut si pomum attrectauerit quispiam, uel barbam; quoddam uerò quod absque finis intentione nil efficit; quod item duplex est; unum quod natura, & propensione quadam, alterum quòd ratione sibi & consilio finem propo H nit. Vnde sequitur, ut effecta etiam ipsa, & euenta trifariam à suis efficientibus causis proficisci dicantur; quædam temerè, & cæco casu, nonnulla natura, alia electione. Quæ quidem temerè fiunt; absque finis intentione, & absque ordine fiunt. Quæ uerò à natura, certis numeris, certoque, ac determinato quodam ordine, in finem tendunt; nisi impediantur. Impediri certè illa aliquando clarissimum est. & præterea intra se habent sui motus ac eius (quem diximus) ordinati progressus principium. ut rarò naturæ ordinem euentus præterlabatur. Quæ uerò ratione, & consilio efficiuntur; & si certo quodam ordine finem, & scopum attingant; quia tamen non intra se, sed extra habent principium sui motus, & progressus; multa, propterea de sententia Aristotelis, obrepere possunt, quæ de agentis intentione non sunt quæ fortuita, & casualia nuncupauit Aristoteles. Tunc autem obrepsisse iudicamus, cum finem, quem ratione prosequuntur, non indipiscantur, ut quæ consilio, & ratione fiunt, ineuitabili necessitate fieri minimè dici possint; & longè minus, illa, quæ nullo fine, sed temerè solùm effici diximus. relinquitur igitur, ut uel

A uel nulla Fato fiant, uel si aliqua, ea potissimùm, quæ mediis magis certis, & determinatis, magisq; mutuò connexis, eueniunt. Hæc autem illa sunt, quæ ab agente naturali, & propter finem naturaliter operati (nomine enim fati inquit Alexander, in illis semper utimur, quæ alicuius gratia fiunt) effici, atque intra se sui principium motus, & ordinis habere dicantur. ut rarò ordinem suum prætermittant. Sed quæ illo modo fiunt, à natura fieri, declaratum est ab Aristotele. Fatum igitur ex disciplina eiusdem, idem esse, quod natura prorsus & de necessitate consequitur. Vt non sit differentia inter naturam, & fatum, nisi secundum nomen.

Tria ex his, quæ dicta fuerunt, de mente Aristotelis colliguntur. Vnum est, Quòd in Fato est, præter Fatum. Alterum quòd supremis causis aliquando Fatum ascribimus. Tertium. Qui Fato uiuere, & mori dicantur. & ad Aristotelis opinionem antiquiores modo quodam pertrahuntur. CAP. XLIII.



B QVAM ob rem tria, ex iis, quæ diximus, pulcherrima, & scitu dignissima colligere possumus. Vnum, quod etiam in principio superioris capitis posuimus, & nunc referimus. Et est. quòd in iis, quæ Fato fiunt, locum habent illa quæ præter fatum fiunt. Non enim natura intentum finem semper assequitur, sed ut in pluribus. Naturam autem non assequi quod intendit. præter fatum est. sicut est præter naturam. Alterum. quòd quoniam primæ ipsius naturæ causæ sunt Dii & cœlestia corpora (agunt enim ista, & influunt in omnes omnium causarum effectus) quæ sæpe per occultas nobis proximiores, & magis proprias causas in hæc subcœlestia naturaliter agunt; illis propterea multa; quorum proximæ causæ nos latent, (tanquam quæ Fato fiant) omnes ascribimus. Quæ tamen omnia uel à natura, & secundum intentionem agentis, uel præter naturam, & præter intentionem agentis, fiunt. Tertium. Quòd non malè uisus est dicere Alexander cap. IIII, libri de Fato, à quo sumpsit Simon Portius, uir egregiè doctus. quòd illi homines ad Aristotelis disciplinam Fato uiuere dicendi sunt; qui tum pro temperamenti ratione, longam aut breuem uitam; tum pro ingenii sui natura plus uel minus honestè uiuere dicuntur; eosdem itidem Fato mori dicemus; qui illud mortis genus incurrunt, quod eorum uitæ, & consuetudini, & naturali (ita dixerim) inclinationi, quasi consequens esse uideatur, ut is,
C qui naturà gulosus est, ciborum cruditate obruatur; qui iracundus, ferro tollatur; qui fur est, laqueo strangulante finiatur. Has profectò uitas, & mortes, fatales, penès Aristotelis disciplinam, nuncupare meritò possumus; quòd effectus & dispositiones naturales uitæ istæ, & istæ mortes consequantur; & naturali pronitati consentaneæ uideantur. cui nihilominus pronitati, si uoluissent, obuiam ire potuissent. quòd in fatis, rerum sublunarium necessitatem ineuitabilem Arist. statuerit nullam. In hanc Aristotelis sententiam, quæ fatum, & naturam idem esse censet, possunt fortasse, licet quàm ægerrimè Democritus, Heraclitus, & Epicurus pertrahi; qui fatum, & necessitatem, idem existimarunt. Est autem (ut in secundo libro diximus) necessitas à forma; forma autem ex libro secundo Naturalium auscultationum, maximè natura dicitur. Referunt quidam Zenonem etiam Citiæum, Stoicorum principem illius fuisse opinionis, ut fatum & naturam, Deum & prouidentiam non differre, sed idem esse existimaret. Plato (ut lib. quinto cap. XXVII. de Theologia Platonis, retulit Proclus) necessitatis nomine, naturalem efficientiam appellauit, quasi idem naturam, & necessitatem, siue fatum esse senserit. sed hi longè re uera ab Aristotele secus sensisse uidentur.

D Diffinitur Fatum ad sententiam Aristotelis, & diffinitio breuissimis exponitur. CAP. XLIIII.



CAETERVM Aristoteles, & Peripatetici illi sunt, quos superius cap. secundo huius tertii libri, Deum corpora cœlestia, & causas secundas non omnes, sed naturales tantùm, intra fati rationem, posuisse dicebamus, ut fatum ad Aristo-
» telis, & Peripateticorum doctrinam hoc modo diffinire possimus, Fatum est
» series causarum naturalium à prima ad ultimam; ex qua posita quod naturaliter euenit, & eo modo, quo euenit, non euenire non potest. Dicitur [causarum naturalium series,] quoniam naturales tantùm causas intra fatum à Peripateticis admittuntur; dicitur [à prima ad ultimam] quoniam sine ultima, idest proxima causa, & sine prima, & suprema, effici potest nihil. Inter primam autem, & ultimam, medias intelligito. dicitur [ex qua] scilicet causarum serie. dicitur [posita] quoniam in subcœlestibus, & materiatis

riatis indiuiduis, ineuitabili necessitate, absolutè loquendo, euenit nihil. ex conditione autem, & antecedentis positione, multa de necessitate consequuntur. sequitur [quòd naturaliter euenit] & bene naturaliter; quoniam quæ præter naturam eueniunt, non eueniunt Fato. dicitur [& eo modo quo euenit] quoniam ea, quæ naturaliter agunt, quamuis impediri possint, & finem suum ineuitabili necessitate minimè consequantur, ut tamen agunt naturaliter; nec aliud, nec alio modo quàm agant, agere possunt, ideo subditur [non euenire non potest.] non quidem necessitate ineuitabili, sed necessitate aut suppositionis, aut relationis. de quibus libro secundo abundè à nobis dictum fuit. sed de fati diffinitione, & de opinione Aristotelis de ipso Fato, & præterea de responsione ad penultimam confirmationem, hactenus. E

Ad confirmationem quartam respondetur; & quid de lauris, quas Imperatores pangebant, & de Phalangio dicendum sit, exponitur. CAP. XLV.



PER EA quæ in superioribus dicta fuerunt; facilè patere potest responsio ad illud; quod quarto loco ex suetonio de lauris, & lauretis obiectum fuerat. Nulli dubium lauris illis & lauretis, certam quandam uitæ suæ; & durationis pro arbustorum, & plantaturum earum ratione, & temperamento, instare periodum; easdemq; aliquando defecturas, quisquis illas pangeret, ac perituras esse non dubitabat. Sub Sole quid est, quod perpetuum sit, aut etiam admodum longæuum? propriam uerò laurum sub mortem sui agricolæ, & Imperatoris illius, qui eam pridem in triumphis gestasset, mox effodisset, atque instituisset, languisse; tum multis certis de causis, tum etiam sine aliqua certa causa euenire poterat, sed temerè & casu. quid enim prohibet in uno Imperatore casu euenisse ut sub eius mortem elanguerit ab eo instituta laurus; & à multis ueluti quidpiam admirandum obseruatum fuisse? Succesores uerò, ad illius prioris æmulationem; ut sub eorũ similiter mortem, aliquid quod stupendum uideretur, accideret: aliquam ab eisdem laurum institutam, & excultam; per occulta ministrorum opera, elanguidam prius reddi, deinde opportunè prorsus exiccari iussisse. Quid etiam uetat Imperatoribus minus ista procurantibus, eorum familiares aliquos, ne dicam adulatores, quibus principium aulæ plenæ sunt, ad suorum dominorum honorem (ita illi forsan existimabant) & gloriam, per se ipsos, nullo iubente, rem tam stupendam occultissimè suis temporibus, & ambitiosissimè procurasse? Dæmonis etiam hæc potuit fuisse opera, uanitati Romani Imperii, Deo ita permittente, illudentis. Hoc unum certum est; non communi aliquo fato, non communi aliqua, illisq; tantùm duobus satori, & sato propria cœlesti uirtute, esse istud factum. Non solum quia (ut prius fuit demonstratum) fatum, necessitansq; in ipso cœlesti corpore, aut ab eo demissa atque uniuersa diffiniens uirtus non est: & quia (secundum multos multa cum ratione philosophantes) influxus aliqui, quales sibi Mathematici effinxerunt, (ut prius etiam à nobis fusè demonstratum fuit) non sunt: Sed etiam quoniam si fatum, uel influxus essent, nulla esset ratio; propter quam homini & plantæ, Imperatori, & lauro, hoc est adulto iam uiro, & nuper satæ lauro quispiam, qui utrique communis esset, influxus huiusmodi, uel etiam ipsa cogitatione posset ascribi. Vt aliquod esset fatum, quod duobus iis specie, natura, temperamento, propriis qualitatibus, & aliis mille modis differentibus commune esse diceretur. Nonnulli de Laureto & Nerone (sub cuius mortem lauretum penitus exaruisse fertur) dixerunt; quòd quia descendentium ab Aenea Imperatorum ultimus Nero fuerit; propterea ad Neronis mortem exaruisse Syluam illam. Quasi uel sensum habuerit lauretum illud; senseritq; Aeneæ propaginem defecisse; & succedentium Imperatorum, quòd ab Aenea illi originem non ducerent, tẽpora, sit idem dedignatum. Vel quasi tribuere debeamus plantis, quod brutis, & cunctis bestiis terræ Pythagorici (ut lib. tertio de Abstinentia ab esu carnium tradidit princeps illorũ Pythagoras) & Strato Physicus, & Epicurei uniuersi tribuerunt; rationem scilicet, & intelligentiam. deesse autem illis sermonem & manuum usum. Quin etiam orationem eisdem tribuerunt Melapus, & Tiresias ante Pythagoram; & post illos Apollonius Thyanæus; qui etiam cum esset in amicorum cœtu, auiculam se audiuisse quæ asinum tritico onustum propter urbem cecidisse nunciaret, asseruit. O' dementiam singularem, ò indoctam doctrinam? Quid auiculæ cum asino, aut tritico? Quid laureto cum Nerone? Quid syluæ cum Aeneade? Quid plantæ cum Imperatore? Sed dices ea illis temporibus euenerunt. Eia, age, quid si euenerint? Non'ne uel casu (ut diximus) caco, & temeritate, uel hominis quadam ambitione, & adulatione; uel callidi serpentis occulto dolo, euenire illa potuerunt? Nulla in Imperatoribus, nulla in lauris, nulla in lauretis, nulla in fato, nulla in uirtute stellarum, nulla in seriebus causarum ineuitabilibus uel fingi potest fuisse huius, & illius simul mortis causa. Sed si aliquam huius stupendi effectus causam

F

G

H

A sam effingere; & imaginari cuipiam libeat; si hominum adulantium ministeria ab euentu, si casum is abigi cupiat, Dæmonibus idem hunc effectum ascribat; quibus multa, quæ alioqui fortuitò nobis accidere dicuntur; & D. Augustinus, & Platonici (ut inferius à nobis uberius dicetur) & Romanorum historiæ sæpenumero ascripserunt. De phalangio quid aliud dicendum putas, quàm quòd occulta animantis proprietate, adde & occulta quadam inter hominē & phalangium sympathia, illud euenire; quæ occulta proprietas, & sympathia, per motum corporis cœlestis, & lumen, ad uitam phalangii in eo qui læsus est, conseruatur. Dices hoc certè mirum est. Quot, quæso, etiam atque etiam admiranda natura nobis produceret. si agentibus patientia applicare sciremus? ut non absque ratione & ab Aristotele dæmonica, & ab antiquioribus magica natura dicta fuerit.

Ad confirmationem respondetur ex lib. I Meteoron factam, quia Mundus iste superiori continuus est, ut inde omnis uirtus eius gubernetur, & cur plantæ aliquæ ad Solis motum uertantur, declaratur. CAP. XLVI.



B AD ILLVD, quod aduersarii, ex lib. Meteoron adduxerunt, dicimus, locum illum nihil amplius probare, quàm omnia, quæ in Orbe uniuerso uel sunt, uel fiunt, aliquid à cœlo recipere; ab eodemq; aliquo modo omnem sublunarem uirtutem dependere; quod ipsa testante experientia, nos ultro libentissimè admittimus. Nec helyotropium duntaxat, sed lupinum, maluam, cicorium, & aliàs id genus plantas innumeras, quarum, trunculi alicuius cauitatis sunt, à Sole plus uel minus rapi, experti nos fuimus. Huiusq; raptus, non uis aliqua cœlestium corporum, quæ fatum dicatur, ad has plantas demandata, aut ex siderum aspectu influxus quispiam ad easdem demissus, est, ut multi falsò existimarunt, causa. inter quos quidā etiam ridiculè admodum asseruerunt; quòd in illa helyotropii ad Solem circumuersione, pulsatio quædam ab helyotropio in aere fiat, quæ sonum ædat suauem adeo, ut si à nobis audiri posset; harmoniam, & concentum admirabilem, planeque suauem perciperemus auribus. Sed ualeant nugæ istæ. Spiritus, qui intra illas plantarum concauitates (uacuum enim undique pellit natura) conclusus est; illhac uersus, qua Sol mouetur, alteratur, calefit, rarescitq;, & alteratus, C ac rarefactus per corticis meatulos, à Sole (ita dixerim) rapitur, atque trahitur; non influxu uel fatò, sed naturali lumine radiorum. Lumen certè illius naturæ est, ut si reflectatur, calorem generet. truncum illum propterea, in quo iidem spiritus continētur, & à quo tenuissimi propter calorem expirant; ad eam Orbis partem, ad quam fertur Sol; secum ita affecti illi, & expirantes inclinant. Rationi nempe congruum est; ut ea parte inclinetur surculus, qua iam inclusus spiritus calidus & tenuis factus, expirat, & euanescit. Idem putamus dicendum de loto Aegyptia: Spiritus enim intra cauum illius plantæ existentes, accedente Sole, incalescunt, rarefiunt: rari, & leues effecti ascendunt, & flores (quòd illhac sursum tollantur) iidem rarefacti, quasi aperiunt: contrà eodem recedente frigescunt Spiritus illi, & condensantur, & grauescunt: densati autem, & graues effecti, descendunt: atq; hac ratione flores illi contrahuntur, & spirituum frigiditate dēsantur, clauduntur, & constipantur; idcirco sub aquas descendunt, rectà quantū possunt, illhac plantæ summitatem, quæ pars tenuissima est, inflectunt, eamq; demergunt. Cæterum truncus ea, qua diximus, ratione, à Sole, uel magis à spirituum in eo contentorum, & à Sole affectorum rarefactione, uel densatione, ita mouetur, & trahitur: ut Sole ipso decedente, & occidente, & (ut Poetæ aiunt) in Oceanum se mergente ipsa etiam loti summitas & eius flores sub aquis mergātur, & ab-D scondantur; & eo magis quo aquæ, in quibus est lotus, tenuiores fuerint: quòd uel Solis actionibus, uel loto decedenti, idest, summitati ipsius loti, iam spirituum densatione, grauescenti, & se sub aquas mergenti, minus resistant, & aduersentur. Quamobrem nonnulli asseruerunt, loti illius, quæ in Euphrate nascitur, flores magis, ac magis ad mediam noctem usque, continuè ita demergi, ut nec piscatorum manibus attingi possint: qui deinde recedente ab angulo noctis, & ab Oceano exoriente Sole, successiuè ad aquarum superficiem reuertuntur, & extra aquas continuè ad meridiem usque, magis ac magis emergunt, seque extollunt. Consimilis ratio illius esse potest, quod aliqui dicunt de olea, de populo alba, & de salice; quòd in ipso die solstitii folia arbo-" res istæ circum agant. Plinius lib. secundo cap. XLI. olea inquit, & populus alba, & salices folia " solstitio circum agunt. Et Varro de re rustica lib. primo cap. XLVI. de olea, populo, & salice edisserens, inquit, quòd horum folia cum conuerterunt se, solstitium dicitur fuisse. Eius etiam quod lib. quarto cap. XXXVII. scribit Dioscorides de floribus tripolii, quòd mane colorem habent album, meridie purpureum, uesperi puniceum, hæc ipsa, quæ dicta fuit, est ratio. maior enim, uel minor spiritus, intra truncum clausi copia, à Sole, pro ratione situs & dispositionis, plus, uel minus agitati, & rarefacti, uel condensati, istorum, & aliorum huius generis effectuum omnium, est

est causa. Plinius propterea loco citato lib. secundo, cap. XLI. postquam de olea, & populo alba, & salice dixerat, quòd solstitio circumagerent folia; de pulegio hæc subdit. Floret, ipso brumali die, suspensa in tectis arentis herba pulegii; rumpuntur intentæ spiritu membranæ. Hæc ille. ubi spiritum (ut patet) intra herbæ membranas inclusum, moxque erumpentem, causam esse, quòd illa efflorescat asseruit. E

QVÒD plantæ Vergiliæ dictæ cum ortu, & occasu stellarum illius nominis oriantur, & occidant; nihil ad Mathematicum fatum. Negandum enim non est; ad diuersum solis situm, & ad diuersum eiusdem motum, in signis Septentrionalibus, uel Meridianis, in tropicis, siue solstitiis, & æquinoctiis, tum alias, & alias oriri nobis, & nostro hemisphærio stellas, & occidere; tum (ut quotannis experimur) aliam & aliam aeris dispositionem in primis qualitatibus caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate & in rebus mistis earum commistione, & temperamento, fieri: & fato fieri, hoc est naturali dispositione, pro cuius alia, & alia dispositionis ratione, tum alia, & alia nobis, & cæteris animantibus, & rebus eueniunt: cum aliæ & aliæ plantæ in terris fato exoriantur, & occidant: Fato, inquam, Peripatetico, non Stoico, uel Mathematico: idest natura, non influxu, uel perpetua aliqua, & ineuitabili quarumlibet causarum serie, & complicatione. F

Ad confirmationem ex quorundam lapidum dispositione procedentem respondetur. CAP. XLVII.



AD ILLVD, quod exhelythe, selynethe, & magnete obiicitur, una est responsio: quòd non ex Fato, idest non ex cœlesti aliquo peculiari influxu (ut Mathematici sunt opinati, & cum Mathematicis Proclus in libello de Sacrificio, & magia, falsò existimauit) sed ex interna istiuscemodi lapidum, & naturali uirtute, lapis unus trahit ferrum, ut magnes, alter paleam, ut succinum, alter oculum confortat, & alius aliud operatur: pro diuersa similiter in eis elementorum commistione, præsertim aeris & aquæ, cum fumo terrestri diuersis coloribus eduntur lapides. Et ex aliquo intra eos concluso, sed non plenè digesto, humore, hoc totum proficiscitur, quod in coloris transmutatione in quibusdam apparet, quæ uirtus, & cuius humoris affectio, quia nobis occulta est; & eius causam ignoramus proximam; cœlo propterea, & influxui, tanquam cuipiam diuinitati, uel uerius tanquam rerum uniuersarum communi, & uniuersali origini; affectus illi imputantur, & ascribuntur. Quum enim cœlestia corpora, causæ sint omnis motus, & transmutationis, causæ sunt eorum omnium, quæ in his inferioribus, & subcœlestibus fiunt: illis propterea, non usque adeo præter rationem, ea ascribuntur omnia, quorum propriæ & proximæ causæ nobis occultæ sunt. Vt hinc fortassis influxus cœlestis, & fati primitus exorta fuerit opinio. sed absque causa proxima (ut paulò post exactè demonstrabimus) in his sublunaribus, corpora illa cœlestia, & eorum motus, & lumen, agunt nihil. Quæ, quoniam nulla (ut pridem ex Aristotele ostensum fuit) ineuitabili necessitate operatur, idcirco huiusmodi, quæ certis lapidibus adueniunt, nulla absoluta necessitate aduenisse, putemus. Et ad confirmationes omnes præterquam ad primam, hactenus. Ad primam autem, ad calcem huius tertii libri dicemus. G

Ad rationes pro Fati, & ineuitabilis rerum cunctarum necessitatis opinione deductas, respondetur. Et primùm ad rationem postremam D. Thomæ responsio ponitur, & responsio reprobatur. CAP. XLVIII. H



HACTENVS ad obiectas confirmationes ὕστερον πρότερον diximus. nunc ad singulas rationes ordine similiter præpostero respondeamus. Ad rationem igitur tertiam pro aduersa opinione, & pro his, qui fatum (ut potissimùm Mathematici faciunt) & impermutabilem rerum cunctarum necessitatem, ex cœlestium corporum actione, & influxu tueri conantur, deductam dicendum à nobis in primis est. illa autem erat huiusmodi Vniuersa hæc elementorum & sublunarium rerum moles, est patientissimum subiectum actioni, & efficaciæ corporum, & uirtutum cœlestium. igitur cùm nulla in hac sublunari materia uniuersa, aduersus cœlestem uim istam possit esse resistentia: cuncta pro actione, & efficacia istius uirtutis eueniunt: agit autem uirtus illa naturaliter, idest necessariò: ita ut non agere non possit illud ipsum, quod agit aut alio modo. Igitur cuncta ineuitabili necessitate ita eueniunt, ut, non euenire, uel secus quàm eueniant, euenire non possint. Ad hanc rationem D. Thomas art. VI. Quæst. CXV. primæ partis, argumentum non sequi, respondet. Quoniam cœlestis inquit, corporis uirtus infinita

non

A non est; cuius signum, quòd ad uarios in hac elementorum machina, effectus producendos, ua-
„ ria Solis uel longinquitas, uel approximatio requiratur. pro situs propterea Solis diuersitate,
„ in Orbe uniuerso, uarii admodum producuntur effectus. In Dacia non est idem caloris effectus,
„ qui in Aethiopia. Nec Solis tantùm distantia effectum tum uariat, tum impedit, sed & materiæ
„ grossities. hactenus ille. Multifariæ nanque in materia dispositiones impedimēto esse possunt, quo minus sequantur, in hac elementorum mole, effectus omnes: quos alioqui producere posset Fatalis (ita dixerim) uis illa cœlestis, ut cuncta ineuitabili necessitate eueniant.

SED responsio, meo iudicio, etsi excellentissimi Philosophi, & præstantissimi, sapientissimiq; Theologi sit, dubitatione tamen non uacat. primò, Quoniam ad subiiciendam sibi omnē hanc sublunaris materiæ, elementorumq; omnium molem, uis in cœlesti corpore, uel in substātiis cœlestia illa corpora uoluentibus, & regentibus, infinita minimè requiritur. probatur, Agentia naturalia cuncta simul sumpta, omnem hanc rerum sublunarium generationibus, alterationibusq; uariis obnoxiam, sibi ita plenè subiiciunt materiam: ut ad illam prorsus aut plenius subiiciendam plus uirtutis requiratur nihil. quorum tamen omnium unita uis, & complexa, tam
B ad mentem multorum ritè Philosophantium, ut Aristotelis, & Peripateticorum omnium: quàm ad sententiam sapientissimorum Theologorum, infinita non solùm non est: sed nec etiam esse potest.

QVINIMMO (& est contra eandem B. Thomæ responsionem dubitatio altera) quum D. Thomas lib. octauo Physicarum auscultationum, lectione XXI, de Aristotelis opinione, primum mouentem infinita uirtute præditum asseruerit; eundemque lib. duodecimo Diuinæ Philosophiæ, quamuis liberè, de necessitate tamen, agere, sine dubitatione sit Arist. opinatus; uereor, ne Arist. hoc argumento, pro Fato & ineuitabili rerum cunctarum necessitate, ex Thoma, contra Thomam, conuinci quispiam propemodum fateatur. Cum enim ex Arist. sententia, per B. Thomam, primus mouens, uirtutis sit infinitæ: suam actionem impedire potest nihil. cum uerò per ipsum Arist. de necessitate ille agat, quicquid agit (agit autem ex prima propositione libri de Causis, cui & D. Thomas in expositione eiusdem propositionis, & Arist. in plerisque Philosophiæ locis abundè subscripsere) omnia. Sequitur igitur contra utrumque & D. Thomam, & Arist. ut quæcunque fiunt, & eueniunt, ineuitabili necessitate fiant, & eueniant.

C TERTIÒ. Negare totam hanc elementorum molem, istamque rerum caducarum materiam uniuersam; tot, tantorumque cœlestium corporum uirtuti; tot, tantarumque cœlestium uirtutum efficaciæ plenè, & sufficientis. subiici: fortasse non admodum iure, ne dicam doctè, factum esse uidebitur. Ad principium etenim magnæ Constructionis, quam Almagestum uocant, terram ad firmamentum relatam, ueluti punctum se habere locupletissimè Ptolemæus probauit. Sed sit cum aqua plus quid; cum aere, & igne adhuc aliquanto amplioris quantitatis rationem habeat: non efficiet tamen B. Thomas, quin uniuersa hæc elementorum quantitas, & si aliquanta sit, si ad orbem solarem referatur; si tamen ad firmamentum comparetur, nulla ferè sit; sed se habeat uel ut punctum, uel ut quid puncto paulò maius: quæ si ad totum cœlestium simul corporum globum relata illa fuerit: rursum ne puncti quidem rationem subibit. Quomodo igitur tam exiguum, tamque (ita dixerim) nullum patiens, tanto agenti, tantæque, ac tam immensæ, & tam efficaci uirtuti, qualis est illa cœlestium simul corporum omnium, & uirtutum illa mouentium, non erit quàm patientissimè subiectum, ac humile? Quomodo ex eo, quicquid uirtus illa uoluerit, siue uoluntate, siue natura necessariò agat, non educet? non perficiet? quid'nam hoc
D loco erit impedimenti? quid obstabit?

Ad eandem dubitationem responsio propria; in qua declaratur; quòd, si etiam nulla uirtuti cœlesti, sit resistentia ex parte passi; non tamen ab illa ineuitabili necessitate, ea omnia eueniunt, quæ in his inferioribus eueniunt. Et motu, & luminæ cœli qualitates omnes per se generari declarantur. CAP. XLIX.



QVAMOBREM responsione. B. Thomæ, Philosophi alioquin, ac Theologi quàm sapientissimi reiecta; nos ad dubitationem eandem, rectius fortassè dicemus. Omnem hanc sublunarem materiam, atque totam istam generationi, & corruptioni obnoxiam molem, cœlesti quàm plenissimè, quamq; patientissimè subiectam esse uirtuti, ultrò, & libenter concedimus; nec effectus propterea, qui ab eadem, in hac ipsa materia, & inferiori machina, producuntur; fatali, hoc est ineuitabili necessitate, & cœlestis cuiuspiam quamuis potentissimæ uirtutis influxione, ineuitabiliter produci, confitebimur. Huius autem rei causa est; quoniam cœlestia

M corpora,

corpora, & diuinæ ſubſtantiæ corpora illa mouentes, non omni genere actionis, in ſubiectam hanc ſibi materiam, & elementorum molem, agunt; uel agere poſſunt; quo hæc ipſa materia, & hæc ſubcæleſtis moles uniuerſa agi, alterari, & permutari poteſt. Sed ſecundum opinionem illorum, qui candidius Philoſophati ſunt, motu tantùm, & lumine, & modis lumini ſolùm, & motui congruentibus, in eandem agere, illa dicuntur. Et ſi hoc loco, obiter à nobis inquirat quiſpiã: primò, Qui fieri poteſt, ut tantùm motu & lumine agant in hæc ſubcæleſtia, corpora illa ſuperiora, cum per illa inſtrumenta calidum tantùm produci poſſit; ſunt autem multa corpora frigida, multa humida, multa ſicca, & in ipſis quatuor elementis ſunt præter caliditatem, tres aliæ qualitates. hæc autem non eſſe poſſunt à cœlo, ſi motu agat tantùm, & lumine. Dixerunt ad hanc difficultatem multi multis modis. Ioa. Picus lib. tertio aduerſus Aſtrologos, cap. IIII. dixit, cœlum per ſe quidem calorẽ tantùm generare, per accidens uerò cæteras qualitates; ſicuti uidemus calorem per accidens frigefacere. at ſi cœlum non per ſe ſumatur, & ut cœlum eſt, ſed ut eſt uniuerſalis cauſa, & prima, annexa tamen cum ſecundariis cauſis, agere illum per ſe tam frigiditatem, ſiccitatem, & humiditatem, quàm caliditatem. Sed reſponſio, pace tanti uiri, tolerari non poteſt: quoniam cælum per ſe agit nihil, & nihil adeo, ut ne calorem quidem, aut etiam illuminationẽ. non enim lumen calefacit, aut illuminat, niſi reflectatur: & reflecti non poteſt, niſi ab extrinſeco corpore. Dixerunt alii nonnulli, & nuper R. D. Antonius Bernardus Epiſcopus Caſertanus, uir egregiè doctus, lib. XIII. ſectione II. Euerſionis Monomachiæ, poſſe illas elementorum qualitates ad duplicem cauſam referri, ad efficientem, ut ad cœlum, & ad lumen; & ſic tres accidentariæ ſunt; & ad finem, & cuius gratia, & ſic omnes per ſe in uniuerſo ſunt; & à cœlo intentæ. Hæc reſponſio ſi diligentius conſideretur, uerbis tantùm differre à priore uidebitur; quod ego oſtenderem, niſi à propoſito nimium digrederer. Idcirco ut illa prior ita & hæc poſterior, eſt reiicienda. Dicerem ego motum & lumen, eſſe inſtrumenta cœli, per quæ ea, quæ ſub cœlo ſunt, exiſtunt potiſsimùm ac permanent: hoc eſt, ſunt inſtrumenta, quibus cœlum ſubſtantiam & exiſtentiam in primis communicat elementis, & mixtis: quoniam autem nonnulla per caliditatem, alia per frigiditatem, alia per humiditatem, uel per ſiccitatem potiſsimùm exiſtunt; ideo in motu & lumine ſunt per ſe, ut in inſtrumentis cœli, qualitates omnes. nullam tamen harum qualitatum per ſe, cœlum generare poteſt: quoniam generationes cauſarum particularium ſunt; cœlum autem eſt cauſa uniuerſalis: cauſæ autem, quæ uniuerſales ſunt, niſi per particulares determinentur, producere quicquam non poſſunt. Sunt enim in motu, & lumine omnes qualitates, ſicut ſunt formæ omnes in forma cœli, & corpora omnia in corpore cœleſti, & motus omnes in motu circulari & fructus omnes in ſemine, uel etiam radice & numeri omnes in unitate per quandam (ita dixerim) uirtutẽ & emanationem ab eis. alioquin ſi motus, & lumen eſſent tantùm inſtrumẽta caloris, motus in aliquo corpore frigiditatem generare non poſſet: quod eſſe falſum maximè in aquis experimur: quæ quo magis, ac magis mouentur, eò frigidiores euadunt. Nec poteſt quis dicere, hoc eſſe per accidens; quòd uapores à calore Solis geniti magis aſcendant, & aquas, potiſsimùm egrediantur; quia motus uelocitas impedit potius uaporum egreſſus, quàm excitet; quis non uidit, in frigidiſsimis temporibus à pueris uas carbonibus, ac cineribus plenum, circunduci tanta uelocitate, ut nec carbones nec cineres uas egredi, & deſcendere queant; quæ certè deſcenderent ſi minori uelocitate uaſculum circunduceretur. Sed locus non eſt, ut de his fuſius diſſeramus, cum præſertim altera ſuborta ſit nobis dubitatio, lectori, puto, quàm hæc fuerit, gratior: non quidem ita neceſſaria ut abſque ea progredi nequiret diſputatio noſtra, ſed certè digna, ut non prætermittatur. de ea igitur capite ſequenti dicendum eſt.

Dubitatio ſoluitur. Cœlum'ne lumine, an motu magis, in hæc ſubcœleſtia, & inferiora, agere dicendum ſit. CAP. L.



POSTQVAM diximus motum, & lumen inſtrumenta eſſe corporum cœleſtium, pulſatus eſt mirum in modum, animus meus dubitatione illa, utro in inferiora iſta, corpus cœleſte uehementius agat; motu'ne, an lumine? & quamuis in hac difficultate, multi multa, & ſibi non nunquam pugnantia dixerint: & plerique omnes lumine fateantur: ego tamen motu dicerem, ratione quidem non contemnenda. Ea autem eſt, Quoniam motus ipſius formæ mouentis magis, quàm corporis moti eſſentiam; lumen uerò contra ipſius corporis, & materiæ motæ magis, quàm formæ mouentis naturam conſequitur: uim propterea cœleſtis corporis (qu anquam plurimos & quidem peritiſsimos uiros ſecus ſenſiſſe certò ſciam) uehementius, atque intimius hæc corpulenta, atque materiata contangere; in eademque magis motus, quàm luminis ratione agere, ac penetrare, putamus. Hanc rem, quo multorum error (etſi forte à propoſito aliquantiſper digredimur) qui ſecus, quàm ſit à nobis expoſitum, opinati ſunt; facilius

lius depræhendatur; in ipsis cœlestibus corporibus luculentissimè declarabimus. Suum quip-
A pe motum (uno & Philosophorum & Astrologorum, quin etiam Theologorum omnium consen
su) alııs orbibus firmamentum clarissimè largissimeque communicare confitemur. quod etiam
per eiusdem motus astronomicam obseruationem conspicimus. an uerò lumen etiam eisdem o-
mnibus firmamentum impartiatur; non adeo clarum est. Quinimmo contrà, stellas firmamen-
ti à Sole lumen recipere; non Astrologi solùm omnes, sed ex Philosophis etiam multi sunt opina
ti: quos tamen Macrobius, Cleomedes, & aliquot alii excellentissimi uiri, errore, detineri, rectis
simè putauerunt; cum firmamentum sit solari corpore natura sua longè præstantius; de quo li-
bro duodecimo Methaphysicæ dicebat Aristoteles. quòd erat τῶν φαινομένων θειότατον. hoc est om
nium quæ apparent, & quæ mortalium oculis conspiciuntur, diuinissimum. præstantiorem
autem substantiam, & naturam, accidentia, & proprietates præstantiores consequantur. Quam-
obrem sicut motus uelocitate, atque potentia, ita luminis magnitudine, atque splendore orbi-
bus cæteris firmamentum præstare; eisdemque quemadmodum motum, ita & lumen abundè
communicare, ac impartiri, existimandum est. Verum est tamen, quòd tanti, atque tam ful-
B gentissimi (quod stellarum firmamenti est) luminis, tum propter earum maximam à nobis lon-
ginquitatem, tum propter eiusdem luminis distinctionem, diffusionemque, ac ueluti in singu-
las stellas diuisionem excellentia, non satis à nobis; quemadmodum lumen Solis, quod & satis
propinquum, & unitum est; percipi commodè possit. Firmamenti igitur stellarum lumen, effi-
caciorem, quàm Solis, præstantioremque, in rerum generationibus, esse causam, atque maio-
rem habere in eisdem producendis uirtutem; non sine ratione (ut semper arbitrati ipsi fuimus)
ita nunc arbitramur. Nec nobis illa obstant; quæ uel à Mathematicis dictitantur; quòd Sol sit
pater luminis; Mundi oculus, dator uitæ; & alia id genus multa; uel aliquando in horum sublu-
narium permutationibus, generationibus, corruptionibusque, & omnifariis alterationibus so-
lari lumini ascripta fuerunt ab Arist. Vt in lib. secundo de Generat. & Corrupt. quòd pro ratione
accessus per obliquum circulum; & recessus Solis, generationes fiant, & corruptiones; quasi ad
harum rerum omnium transmutationes, & uicissitudines, uel solus, uel maximè Sol operari ui-
deatur. Ita enim propter antedictas causas, hoc est, tum propter propinquitatem, tum pro-
pter luminis solaris unitatem, sensibus nostris apparet. Rem tamen contrà, non solùm quæ di-
cta, sed etiam quæ nunc dicenda est perspicax ratio, se habere indicabit. Est enim apud philoso-
C phantes constantissima regula; quòd causæ differentium specierum, ad eundem effectum produ-
cendum concurrentes, quanto magis ab effectu remotiores fuerint; supremæque causæ proxi-
miores; tanto magis; quanto uerò contrà, effectui producendo proximiores, à suprema uerò
causa distantiores; tanto minus in effectum operentur. Alioquin prima propositio libri de cau-
sis, quam in primo etiam libro citauimus; & aliquot ex Aristotele citatis auctoritatibus, confir-
mauimus; ab omnibus recepta, sine dubitatione falsa esset; quæ primam causam magis, quàm
secundas causas in quemlibet effectum agere affirmat. Confirmat istud idem Ioannes Scotus in
libro Quarto Theologicarum sententiarum, distinct. XII. quæst. III, ubi habet; quòd agens
secundum Entitatem præstantius: & secundum etiam uirtutem simpliciter perfectius est. Non
est autem dubium: quòd quo agens superius sit; eo etiam sit in Entitate, & in sua natura præ-
stantius. Et Arist. lib. primo Politicorum, cap. III, elaboratum aiebat, à melioribus, est opus
melius. Obiicies nobis fortassis; quoniam non sibi Sol, & prima causa, sed homo hominem sibi
similem faciat. Ad hanc dubitationem, doctè admodum dixerunt nonnulli, quòd & si tam pro-
pè procedat rei cuiuslibet effectus à Deo, sicut à causa propria, non tamen ita propriè. Nam etsi
tam propinqua sit uirtus Solis uuæ, sicut est uitis; non tamen uuæ est ita propria causa Sol, sicut
D uitis. ideo effectus propriæ causæ, & proximæ; & particulari, non autem communi assimilatur.
Est altera præter hanc, si non doctior, certè magis in promptu, & magis uulgata responsio; quòd
non sui, in ipso effectu, sed agentis proximi similitudinem Sol, et prima causa intendat; ad quam
quidem similitudinem efficiendam, producendamque, plus longè, quàm homo, Sol, citra du-
bium, operatur. Indicauimus sanè iis uerbis rationem illam; qua & motu, & lumine firmamen-
tum longè efficacius, quàm reliqui consueuerint orbes, Sole etiam non excepto; & penetratius
agere persuasum habemus. Nulli nanque dubium esse potest, quin firmamentum, sit causa pri-
mæ, ac supremæ causæ longè proximior, quàm Sol, & natura Sole longè præstantior, atque an-
gustior. Verùm ad rem, atque ad dubitationem soluendam, sermonem nunc demum uertamus.
Dicimus ergo physice loquendo; quòd quæcunque uel solo motu, uel solo lumine cœlesti, uel e-
tiam utroque simul ex hac materia, & uniuersa mole elementorum produci possunt; illa nece-
ssitate prorsus ineuitabili (quam necessitatem, siue Fatum, siue naturam appelles, nihil moror) à
cœlestibus corporibus producuntur: at illa, quæ præter has duas causas, alias, ad sui generatio-
nem, & productionem, determinatiores requirunt; sicut sunt omnia ferè (sed quid dico ferè) o-
mnia prorsus, quæ per Orbem uniuersum fiunt: nulla impermutabili necessitate à cœlo, cœlesti-

busque tantùm uirtutibus producuntur. Nec istud est, quia cœlesti corpori, tantæque (ut putabat D. Thomas) cœlestium corporum uirtuti, elementorum materia, aut materiæ grossities, & moles tam exigua aduersetur: sed potius quia uis ipsa cœlestis uniuersa plus non potest. quum igitur inter illam supremam, ac cœlestem uirtutem, & hanc materiæ subcœlestis molem, ad producendos effectus, intermediorum efficientium, de necessitate, opera requiratur; quæ nulla sæpè necessitate, sed casu sæpissimè, & temerè (ut inferius cap. LII. huius libri tertii declarabitur) nedum contingenter apponitur; consequens est; ut in rebus cunctis, fatalem illam non solùm Mathematicorum, sed etiam Stoicorum, & ineuitabilem necessitatem, tum propter cœlestium corporum, superiorumque agentium magnitudinem, & efficaciam; tum propter patientis materiæ exiguitatem, atque infirmitatem; tum propter influxum, tum propter causarum complicationem, opinari, atque arguere; argumenti sit imbecillitatem, atque rationis infirmitatem non uidere; operamque intermediarum causarum necessariam quidem, sed sæpe contingenter, & temerè appositam, non intelligere, propter hanc rationem, & intermediarum causarum operis necessitatem lib. uigesimosecundo sectione quarta Euersionis Monamachiæ, cœlestes omnes influxus R. D. Antonius Bernardus Episcopus Casertanus, doctè admodum abiecit atque destruxit. sed ad hanc rationem hucusque. E F

Ad secundam rationem pro Fato, & pro rerum cunctarum ineuitabili necessitate adductam, responsio aliquatenus differtur, & suborientes prius duæ dubitationes tanguntur. CAP. LI.



EX HIS, quæ hactenus dicta sunt; & si ad rationem secundam, quæ ex necessaria primi efficientis, ac mouentis (qui cuncta à se cætera mouet) actione, & ex necessaria causarum complicatione procedit; quæ multum roboris, apud Stoicos, ac momenti semper habuit, & multorum antiquorum ingenia plurimum torsit; clara iam satis dissolutio colligi potest. propriam tamen ad eandem inferius, & peculiarem allaturi sumus responsionem. Nam propter hoc argumentum, uarii in uarias de Aristotele opiniones inciderunt. Ioannes Scotus in primo Theologicarum sententiarum, & distinc. II, & distinct. XXXIX, & in secundò earundem, distinct. XII, quæst. II, Aristotelem in asserendis temeritatib. & effectis contingentib. sibi parum constantem fuisse putauit: quòd etsi temeritatem uerbis, & contingentiam semper affirmare uisus est: quia tamen Deum, qui est, de eiusdem sententia, prima cunctarum rerum causa, non pro arbitrio, & liberè contingenter agere; sed non posse non agere, & de necessitate pro diuinæ naturæ excellentia, ac maiestate mouere, est opinatus; ad cuius actionem & motum, reliquas omnes, suo ordine, causas ex necessitate prorsus, de Aristotelis opinione, & moueri, & mouere, arbitratus est Scotus; fatum propterea, & cunctarum causarum perpetuum nexum, rerumque omnium ineuitabilem necessitatem, præter opinionem, Aristotelem posuisse, idem est opinatus. Petrus etiam Mantuanus in suis commentariis de Fato, libro quinto, cap. II, idem de Aristotele quod Ioannes Scotus, sed non eadem ratione ductus, affirmauit. Cicero propter eandem fortassis causam, propter quam Io. Scotus in lib. de Fato cum Democrito, Heraclito, & Empedocle Fatum (inquit ille) & necessarium cunctarum rerum euentum asserentibus, connumerauit Aristotelem. Eadem etiam de Aristotele (Cotta lib. primo de Natura Deorum referente) Antiochi fuit opinio. Cum Peripateticis propterea Stoicos, & cum Stoicis Peripateticos re sentire; uerbis autem tantùm inuicem discrepare putabat Antiochus. Sed Antiochi, Io. Scoti, Petri Pomponacii, & aliorum error paulò inferius apertissimè depræhendetur. ubi uniuersam contingentiæ naturam, Aristotelem defendisse semper, ostendemus, non autem asseruisse tantùm. G H

VERVM enimuerò in non dissimulandam difficultatem incidimus. ea autem est. Quo Cic. & Antiochus Democritum, & Emped., omnia fato fieri, fuisse opinatos fateantur; Arist. uerò contrà; omnia ex eorundem sententia temerè, & casu euenire, tum in lib. secundo Physicarum auscultationum, tum in primo Metaphysicæ confessus fuerit. pugnantia enim inter se hæc tantorum, ac tam in re literaria, & præsertim physica disciplina, clarissimorum uirorum, de iis, opinionibus, uidentur iudicia.

SECVNDO & illa succurrit non contemnenda dubitatio, Si contingentiæ natura & euentus contingens sicut nunc est; ita semper elapsis temporibus fuerit; atque futuris sæculis semper erit; qui fieri potest ut necessitas quædam ipsa non sit? quæ enim æterna sunt, ex Arist., & omnium sincere philosophantium sententia, necessaria sunt. Quòd si contingentia ipsa, quoniam æterna est) necessitas quædam est; & illa, quæ contingenter euenire putabimus, necessaria esse, & ex necessitate

A sitate euenire, existimandum erit. omnibus igitur modis, & quocunque pedem feramus; in necessitatem omnino, & in ineuitabile fatum incidere, necessarium esse uidebitur.


Ad priorem difficultatem respondetur, & ad quem modum ex Empedocle, & insuper ex Democrito, & Leucippo tum necessariò, tum temerè, cunctæ res eueniant, declaratur. CAP. LII.



VAS superiori cap. tetigimus dubitationes; quarum posterior curiosa admodum, sed prior ualde difficilis est; Ad quam dicimus. Vtrunque & Aristotelis, & Ciceronis de philosophantibns illis iudicium rectissimum esse. Nam & temerè,& ineuitabili rursus quadam necessitate, secundum Emp., & secundum Democritum, & Leucippum eueniunt omnia. Secundum Emp. quidem, cuncta de necessitate eueniunt; quoniam lis, & amicitia (sunt autem hæc ad Empedoclis opinionem, prima summaq; rerum cunctarum efficientia principia) non ratione aliqua, & electione, aut arbitrio, & uoluntate, uel sponte, sed natura, & naturali impetu quodam, siue ad rerum generationem, siue ad earum dissolutionem, in hanc materiam, atque B in istam elementorum molem, sese (ita dixerim) protrudunt, feruntque. Qui nanque fatum ex Emp. diffiniere; dixerunt, fatum esse necessitatem principiorum, elementorumq; uiolentiam, impetuq; progredientem causam. Rursus, eodem auctore, casu omnia fiunt; quod non ordine certo,& præfixa ab illis (quæ dicta sunt) efficientibus principiis ratione; sed temerè, & tumultuariè, & ut fors tulerit elementa in rerum compositionem, uel dissolutionem perducantur, atque trahantur. Exemplum est in Aristotele, lib. secundo de rerum naturalium principiis; ubi bouigenea, & uiriprora, siue hæc diuersa sint genere monstra, ut quàm plurimis Aristotelis expositoribus placuit, siue una, & altera uoce idem ab Empedocle describatur monstri genus (quod magis Ioanni Gram. arridet) quicquid sit, hæc & alia monstra. Arist. de Empedoclis opinione, constituit. Innumera enim de opinione & Emped. & Epicuri, diuersorum genere animalium frustra, ad alicuius unius animalis generationē; ac compositionem, & sæpe ualde dissimilia temerè concurrunt; sed frustra illa,& partes illæ, quæ ualde dissimiles sunt; ut, uerbi causa, partes hominis, & tauri; equi & uitis; abietis, & elephanti, & huiusmodi, si coeant, & ad animantis, C cuiuspiam productionem, & constitutionem ueniant; breui ab inuicem dissoluuntur; & ea, quæ hisce Partibus composita, & producta sunt; citissimè pereunt; quod in quibusdam monstris non nunquam cernere licet; quæ disconuenientibus admodum partibus constare uidemus. Durant autem illa tantum: quæ & consimilibus, mutuoq; ualde cognatis partib., & iis modo congruenti mutuo compositis constare contigerit. Cæterùm tam hæ partes, quàm illæ, casu, &, ut fors tulerit, temereq; inuicem connectuntur, & animantis compositionem efficiunt. Lib. primo propterea de Partibus, cap. item primo, hæc de Emp. habet Arist. Quamobrem Emp. pleraque in
„ animalibus propterea ita contineri; quia ita cum orirentur, acciderit. Et lib. secundo Physica-
„ rum auscultationum, ad tex XLIII. ita de ipsomet Emp. ex interprete scriptum reliquit Arist.
Non semper aerem segregari superius, dicit; sed ut accidit, dicit enim in Cosmopœia, sæpè aliàs
„ aliter, sed tunc sic fortè cucurrit; & partes animalium à fortuna fieri plurimas ait. Hæc ibi. Et
„ de Empedocle hactenus. Secundum etiam Democriti, & sui præceptoris Leucippi sententiam, de necessitate omnia eueniunt; quatenus sua ui, & naturali quodam impetu, ac proprio suo pondere atomi feruntur, reflectuntur, resultant, concurrunt, & plagam materiæ iniiciunt. Est enim (ut Pontanus & alii eruditissimi uiri scripserunt) fatum, secundum Democritum, & Leucip D pum, reflexio, resultatio, concursus & plaga materiæ, omnia rursum uel ipsis inuitis casu fiunt; quatenus in infinito inani; in quo nec summum, nec infimum, nec medium nec ultimum, nec initium nec extremum sit, irrequietis motibus uolitant, & reflectuntur, atque concursitant; siue ad cathetum, siue etiam non ad cathetum deferantur illæ atomi. certum est enim in infinito uacuo fieri ista non posse; nisi temerè, & nulla ratione, uel causa; sed casu tantùm. Temerè igitur pro rerum generatione inuicem concursitant; pro earundemq; corruptione ab inuicem temerè dispescuntur, diuelluntur que ipsæ atomi. Quamobrem cum inter opiniones eas quæ fatum, & rerum cunctarum ineuitabilem euentum admittunt; recensuisset in libro de Fato Plotinus opinio
„ nem Democriti, & Leucippi; illam protinus redarguit, ita ex interprete inquiens. In primis ex
„ illa atomorum commotione, non sequitur necessitate omnia fieri; immo nullo modo fatum illa
„ opinio struit; sed destruit; cum nullo ordine, sed, ut contingit, atomi moueantur. Subdit. Tol
„ lit etiam prædictionem, uaticinium, oracula, & omnia ex arte præsagia. Quo enim pacto in re-
„ bus inordinatis, ars ulla esse poterit? Animæ uerò actiones, & passiones, quibus atomorum
„ motibus illi ascribere poterunt? Dicant rursus, inquit, per quas atomorum differentias homi-
„ nes compellentur, ut alii Geometræ sint, alii Arithmetici, alii Astronomi, alii Philosophi? Et
alia

alia multa aduersus istam opinionem, cap. III libri de Fato, prosequitur Plotinus; quæ breuitatis studio nunc silentio prætérimus. sat nobis nunc erit hæc pauca adduxisse, & locum præterea Plotini indicasse. E

Opinio Epicuri aduersus Democritum, & Leucippum de rerum euentu ponitur; & ex Plotino, & Firmiano, Epicurus reiicitur. CAP. LIII.



ON me interea præterit, quòd Democrito (inquit Cicero) quasi auxiliaturus Epicurus, ad quem modum, in rerum compositionem, & generationem, atomi uenirent; demonstrare, conatus est; quam rem Democritus; & Leucippus minimè fortasis declarauerunt. Illa nanque indiuidua corpuscula, de sententia Democriti, & Leucippi, suo pondere, ut opinor, rectà deorsum ferri, Epicurus putauit. Illud propterea occurrebat; si deorsum illa ad cathetum feruntur; non uidetur, quomodo uel atomus altera alteram pro rerum generatione posit attingere; uel cuncta non eueniant ineuitabili necessitate. Vt ergo & rerum generationem strueret Epicurus, & simul ineuitabilem necessitatem demoliretur; qui, cum Democrito, corpuscula illa rerum omnium esse principia, existimauit; rem commentitiam, ut & libro primo de finibus, & lib. de Fato Cic. scriptum reliquit, in medium attulit, dixitque, à catheto, atque à perpendiculari linea, nulla adhibita causa; sed per se declinare in suo motu atomos per paulum; atque ita per paulum, ut nulla posit fieri declinatio, & motus minor. Et per hunc minimum motum cõplexiones, & copulationes, & adhæsiones atomorum effici, ex quibus, & Mundus, &, quæ in Mundo sunt, partes omnes efficerentur; & ineuitabilem necessitatem, euerti; quoniam sine causa declinatio illa fieret; ille putauit. Hoc igitur tantillo motu, quem, quia minimus erat, ἐλάχιστον propterea Epicurus illum appellabat, & hac minima atomi declinatione posita, & rerum generationem ponere, & ineuitabilem, quam ex Democriti, & Leucippi opinione est arbitratus, necessitatem euertere, Epicurus opinatus fuit. quam declinationem, ut diximus, ad euitandam rerum necessitatem, sine causa finxit Epicurus, atque commentus est. quum enim sine causa efficiatur; & ex ea, cuncta originem ducant; nulla erit in rebus necessitas cum ea, quæ necessaria sunt, & causam habeant; & urgentem (ita dixerim) cogentemque habeant. F

VERVM Epicuro multa obiecit Plotinus cap. primo libri de Fato; & illud in primis. Nihil sine causa fieri. quod tanquam axioma Physici cuncti ultrò confessi fuerunt, præter unum Epicurum, qui motum hunc, quem introduxit, & minimum appellauit, fieri sine causa asseruit. Nam si quidpiam (inquit Plotinus) sine causa posset fieri; animi prorsus tolleretur arbitrium. fieri (inquit ex interprete Plotinus) aliquid sine causa, nullo modo admittere debemus; patefacientes uidelicet aditum, uel inclinationibus, incursionibusque uanis; uel repentinæ corporum motioni; nullo præcedente, duceque prodeunti; uel impetu animæ temerario, atque subito, nullo uidelicet animam incitante ad aliquid agendum, eorum, quæ antea non agebat; fortè uerò ex hoc ipso, maior animã astringet necessitas; quod sui ipsius minimè fit. hactenus Plotinus. Alia item multa ibidem ille prosequitur. inter quæ, illud aduertendum est: in quo Plotinus de opinione Democriti ab Epicuro dissentit; quoniam (ut arbitror) de sententia Democriti, atomos tantùm deorsum, ut paulò ante dicebamus, ad cathetum ferri Epicurus putauit; alioqui motum, ἐλάχιστον, & minimam declinationem illam atomorum, quam sine causa fieri dixit, non excogitasset. at Plotinus de atomorum motu, de eiusdem Democriti disciplinam edisserens, hæc ex interprete inquit. Hæ igitur mouebuntur partim quidem deorsum (si modo quicquam sit deorsum) partim uerò è transuerso, utcunque contigerit, alio uidelicet aliæ; nihil utique omnino, ordine scilicet non existente. G

FIRMIANVS, lib. de Ira Dei, non ex Epicuro (ut facit Cicero) sed ex ipsomet Leucippo, & eius discipulo Democrito; dubitationem illam, ex motu atomorum, emergentem, ad quem uidelicet modum, si ad cathetum illæ deferantur, in rei generationem ueniunt; soluisse uidetur, inquiens. quoniam & si rectà, secundum Democriti opinionem, deorsum, & ad perpendiculum ferantur atomi; ad rerum tamen generationem facere possunt, quòd & leuia sint & aspera, & rotunda, & angulata, & hamata. quo fit, ut sese inuicem uincire, & colligare ualeant. Sed eis obiicit idem firmianus. Primò, Quia si leuia, & rotunda sunt, non poterunt utique inuicem se apprehendere; ut aliquod corpus efficiant; ut si quis milii multitudinem uelit in unam coagmentationem constringere; leuitudo ipsa granorum, in massam coire, non sinat. Secundò, Si aspera, & angulata, & hamata sunt; ut possint cohærere, ergo diuidua, & secabilia sunt. Hamis enim necesse est, & angulis eminere; ut amputari possint. Frustra igitur, & perperam ab eis atomi appellitantur. alia etiam multa aduersus eosdem ille prosequitur, quæ omittimus; ne in re minus necessaria, & utili, æquo plus nimii, legentibus, uideamur. Et de Democrito, & Leucippo, H

A cippo, atque quo modo de eorum, & insuper de Empedoclis opinione, in rebus cunctis, & temeritatem, & necessitatem fateri debeamus, hactenus.

Iterum ad priorem difficultatem, quantum ad illud, quod ad Aristotelem attinet, respondetur; & opinio Aristotelis de rerum euentu, quæ ultimo capite primi libri uix tacta fuit, explicatur, & duæ subortæ dubitationes tolluntur. CAP. LIIII.



Ristotelem cum quarundam rerum contingentia, uel etiam temeritate, aliarum fatum, & tum euitabilem, tum ineuitabilem necessitatem posuisse, superius confessi fuimus: quod nunc non solùm non negabimus: sed etiam, in quibus contingentiam, uel temeritatem, & in quibus necessitatem, sed euitabilem, & in quibus præterea necessitatem ineuitabilem posuerit, breuissimis repetemus, atque explicabimus. A cœlestibus nempe corporibus omnibus, B & ab uniuersis æternis substantiis, siue cœlestes illæ sint, siue supercœlestes (quæ quidem æternæ sunt) omnem temeritatem, & casum, atque uniuersam contingentiæ, & accidentis eius, quod actu inesse, & non inesse potest, naturam, sæpissimè procul abegit. quippe quòd in illis, quicquid eueniat, fatali, idest ineuitabili prorsus necessitate, & naturali tantùm ordine, qui in substantiis illis permutari non potest, cum Platone, euenire, semper existimauerit. Nam Plato, & Platonici fatorum regnum firmum, & uerum, in Cœlo, esse dixerunt. quibus non rarò subscripsit Aristoteles, qui à cœlesti natura casum semper procul abegit, atque abiecit penitus. In globo etiam sublunarium, et harum rerum, quæ in perpetua generationis, corruptionisq;, & omnifariam transmutationis uicissitudine sunt, non solùm respectu eorum effectuum, qui tantùm motu & lumine, si aliqui huiusmodi essent, à cœlesti uirtute producerentur, sed illorum etiam, quorum causæ naturales uel impediri non possunt, uel si possunt, minimè tamen impediuntur: fatum esse, & ea quæ inde eueniunt omnia, licèt euitabili quædam, alia ineuitabili necessitate fiant, fato fieri tenuit Aristo. Ea nempe, quorum naturales causæ, & si impediri possunt, non impediuntur tamen, quoniam naturaliter fiunt, fato quidem, non tamen ineuitabili necessitate fieri, tenuit Aristoteles. ea uerò, quorum causæ naturales, nec impediuntur, nec possunt C impediri, fato, & ineuitabili necessitate idem fieri, diceret: quòd fatum (ut prius uidimus) à natura nequaquam ille distinxerit, sed idem utrunque & quidem longè rectius quàm Mathematici, aut Stoici, aut etiam Platonici opinati sunt, existimauerit. Natura autem in sublunaribus de numero eorum agentium est, quæ ex intentione agunt, & quæ non semper, sed ut plurimùm finem suum attingunt, & consequuntur: quoniam impediri potest. In cœlestibus & superioribus substantiis natura (si in illis etiam naturæ nomine uti liceat) pati impedimentum non potest. Quin immo neque etiam in sub cœlestibus, ratione illa, qua æternæ sunt; & in sua speciæ consideratis. Quamobrem in sublunaribus rebus loquendo, fatalis necessitas in indiuiduis quidem, ac signatis rebus, & materiatis euitabilis est, in speciebus uerò, & in his quæ ad speciem pertinent, quoniam species æternæ sunt, ad Mundiq; integritatem, & perfectionem potissimùm faciunt, ineuitabilis est. In aliis uerò euentibus quibuscunque, quorum institutio à natura nō est, tum ex materiæ nouas semper formas appetentis potentia, tum ex eiusdem in agentem rebellione (ut dictum fuit in superioribus) & contumacia; tum ex infirmata, & debilitata efficiētium uirtute: Vnde ipsis agentibus multa præter, & contra sententiam accidunt impedimenta: tum propter alia de nouo semper emergentia accidentia, & occasiones; contingentiam, fortunā, D & temeritatem locum habere, semper asseruit, & acriter quandoque defendit Aristoteles. Sed si obiicias; quoniam tunc ad Aristotelē sequi uidebitur, quòd omnia fato fiāt, nullus profectò aut quàm rarissimus effectus est, qui à causa sua, etiam si de numero eorum fuerit, quæ temere fieri dicuntur, non naturaliter producatur. Dicendum quòd secundum Aristotelis disciplinam effectus naturales, sunt in triplici differentia. Quidam sunt naturales, & intenti à natura; & eorum causæ impediri non possunt. ut motus cœli, æstus maris, & huiusmodi; & ii fato, & ineuitabili necessitate fiunt. Quidam uerò naturales & naturaliter intenti; ut parentibus filiorum similitudo, decens in membris Platonis dispositio: & id genus alii, sed eorum causæ impediri possunt; non quidem in tota specie, sed in indiuiduo; & ii fato etiam fieri dicuntur; & ex necessitate, non tamen ineuitabili. Quidam tertiò naturales sunt, quoniam à natura agentis, & passi producuntur; non tamen sunt à natura intenti, nisi per accidens; & ii neque fato, neque etiam natura fieri dicti sunt ab Aristotele; sed temerè & cœco casu. Exemplum, Tegula cadens, Socrati prætereunti infringit caput. Certè ex natura adeo tam agentis, quàm passi natus est iste effectus: ut si in

in casu tegulæ, super caput, caput non fuisset fractum, cunctis quid admirandum uisum fuisset? Quoniam durum cadens super molle, naturaliter illud uel discindit, uel obtundit; & omnino cadere facit. At quoniam nec tegula intendebat in caput cadere; sed tantùm ad locum grauium se ferre; nec Socrates intendebat casui tegulæ se subiicere; sed ad inuisendum amicũ properanti incidit tegula; effectus propterea iste, & si naturalis sit (quatenus accidit à natura agẽtis & patiẽtis utri usq; posita coniunctione productus est) quia tamen ab eorum natura, & naturali propensione, ullo modo fuit intentus, ab Aristotele propterea temerarius, non autem naturalis appellatus est; & longè minus ab eodem, fato productus censebitur; sed potius præter fatum. Quoniam effectus & si naturaliter à sua proxima causa productus est; hæc tamen causa proxima, non fuit à Natura intenta, sed aliudquid Natura intendente, ac procurante, ista causa obiter obrepsit. E

Dvbitabit rursus hoc loco diligens lector? Non'ne in tota humana specie, quæ eterna est, casus, & temeritates contingunt? Quomodo igitur à nobis dictum est; quòd in æternis iis inferioribus, quà æterna sunt, fato, & ineuitabili necessitate adueniant cuncta; & temere nihil? Cui dicendum est, quòd temeritates illis quidem adueniunt; sed non quà æterna sunt & in ipsa speciei uniuersitate. Quoniam casus, & temeritates, non sunt re uera nisi in signatis indiuiduis: quæ, ut patet, generabilia & corruptibilia sunt, non autem in rerum naturis, & speciebus æternis, ut & ante diximus, & paulò post dicturi sumus. Sed ad priorem difficultatem hactenus. F

Ad posteriorem dubitationem respondetur; & quòd contingentia ipsa, contingentia non sit, declaratur. Cap. LV.



Ad posteriorem dubitationem, qua ex contingentiæ perpetuitate, illam esse quandam necessitatis, & fati ineuitabilis speciem probabatur, Petrus Pomponacius, qui fatum, quantum potest, nescio an disputando potius, quàm asserendo tueatur, uisus est aliquando confugisse, ut uel inde saltem contingentiam sub Fato contineri; & ea, quæ contingenter eueniunt, ineuitabili quadã necessitate euenire, persuaderet. Sed hanc admirabilem huius uiri quamuis apprimè docti doctrinam derideamus; dicamusq; considerari bifariam posse ipsum contingens; nec solùm contingens, sed illud etiam, quod casuale, & temerarium nuncupamus, tum in genere, siue etiam specie, idest quatenus absolutè, & simpliciter, & solùm contingens, uel etiam temerarium est; tum in tali genere, siue specie, uel magis in indiuiduo, idest quatenus contingens, & temerarium tale est; ut est, me scribere, Ciceronem orare, Homerum canere, & huiusmodi. Primo modo contingens, aut temerarium, nec contingens nec temerariũ est; sed necessarium hoc est, est natura quædam, quæ fatali quadam, & ineuitabili necessitate consistit. Aeternum enim. Secundo autem modo id quod contingens, aut temerarium est, contingens prorsus, & temerarium esse, & contingenter, & temerè euenire, dicitur. Nec de contingente aut temerario primo modo, de quo procedebat ratio Pomponacii, sed de contingente, & temerario secundo modo, nostra disputatio est. Euentus nanque, qui accidunt; singulares, & indiuidui sunt, & in indiuiduo eueniunt; ideo de iis dubitatio est; an ea, quæ indiuiduis, & singularibus eueniunt, necessariò, an contingenter, uel etiam temerè uel eueniant, uel possint euenire. Ei autem, quod nos diximus, quod casuale & contingens in specie, & in uniuersitate naturæ suæ ineuitabilia sint, & necessaria, non autem contingentia, & casualia; sed talia tantùm sunt, ut sunt in hoc, uel illo indiuiduo, & hoc tantum modo considerata talia dicantur; consimile quicpiam in commentariis libri Prædicamentorum, scripsit Simplicius. Dubitatio erat; quomodo æquiuoca, cum in nomine, & ratione conuenirent omnia; non potius uniuoca essent, quàm æquiuoca. Dicebat dubitationem dissoluens; Simplicius; æquiuoca, quatenus æquiuoca sunt, uniuoca esse; & quatenus talia, esse æquiuoca, ut sunt canis; cancer, & huiusmodi. Hæc enim ita sumpta, æquiuoca prorsus censenda sunt. Quin Alexander cap. VII. primi libri Quæst. naturalium asserebat, contraria quatenus contraria sunt, non esse contraria, sed quatenus talia; ut puta album, nigrum, dulce, amarum, & id genus alia. Cæterùm quatenus contraria sunt, non qualitates sed relationes, & ad aliquid sunt. Sed de ista dubitatione hucusque. G H

Ad rationem illam soluendam, quæ ex causarum connexione procedit, propter quam, ut superius dictum est, uarii uaria de euentu rerum, ex Aristotelis opinione senserunt, duo præmittuntur. Cap. LVI.

A 
SED redeamus unde fluxit oratio; atque illam dubitationem ex ſerie, & nexu cauſarum ſecundarum ad primam, quæ ſiue liberè moueat, ſiue non, ineuitabili neceſsitate mouet, exortam, ex qua quidem cauſarum connexione & complicatione, neceſsitate quadam fatali, & ineuitabili, cuncta euenire putarunt Stoici, diſſoluamus. Dicimus igitur, quòd propter hanc rationem, & propter cauſarum connexionem, prima præſertim cauſa ex neceſsitate mouente, de Ariſtotelis etiam opinione, Ioan. Scotus (ut pridem diximus) lib. ſecundo Theologicarum ſententiarum, Diſtinct. XII, quæſt. II, & Petrus Pomponacius libro de Fato, & alii multi (quicquid de fortuna, & temeritate lib. ſecundo Phyſicorum, & de contingentia infinities alibi dixerit, & libro ſexto Metaphyſicæ, parte VII. aduerſus eos, qui cuncta ex neceſsitate euenire ſunt opinati; ſcriptum reliquerit) Fato & ineuitabili neceſsitate cuncta euenire exiſtimauerunt. Sed quàm à recta, & germana Ariſtotelis ſententia, ii omnes abſint; tunc demum manifeſtum erit; quum hanc rationem, quæ multum urgere uidetur; & quam maximi ſemper Stoici fecerunt; quibuſdam prius ſuppoſitis, diſſoluerimus. Primùm igitur ſupponendum eſt, quòd uirtus finita quælibet, quanto longius labitur, latiusque diffunditur; tanto continuè minor, ac minor redditur. Secundum, quòd quicquid in alio recipitur; non per modum naturæ eius, quæ illud demandat, & tribuit; ſed per modum naturæ eius, quæ illud ipſum ſuſcipit, recipitur. Rationibus & experientiis poſſunt hæc ambo ſuppoſita infinitis propemodum demonſtrari; ſed res magis clara eſt; quàm ut uel longiori experimento, uel acriori ratione egeat. Declarabimus nihilominus exemplis utrunque; paulò quidem inferius primùm oſtendetur quàm clariſsimè; nunc uerò iſtud ſecundum, ab illis coloribus, qui in uitris feneſtrarum cernuntur, manifeſtare perbellè poſſumus. Colores etenim illos, quamuis in ſe uni & iidem, atque, ita dixerim, ſimplices ſint, in chriſtallo tamen, in aere, in pariete, in aqua in oculo, pro ratione ſcilicet naturæ recipientis (alio nanque atque alio modo in aliis & aliis naturis diſpoſitos illos uidemus) recipi; & alios quodammodo, atque alios effici, perſpicaciſsimè conſpicimus. Auerroes propterea celeberrimus Ariſt. interpres, in lib. Deſtruct. diſputa. III. dubiis XVIII. & ultimo; res eaſdem, quæ in alio, & alio ſubiecto recipiuntur, gradus & nobiliores, & minus nobiles, pro natura eius, quod recipit, poſſe ſortiri; rectè exiſtimauit. Ex priore ſuppoſito illud conſequitur; quòd uirtus primæ cauſæ, quamuis inter omnes omnium cauſarum uirtutes, maxima, atque efficaciſsima ſit; lateq; per Orbem uniuerſum diffundatur; quia tamen ad dogmata ſaltem Ariſt. &, ut puto, etiam Stoicorum loquendo, finita eſt; per ſucceſsiuas propterea, ab eiuſdem fontis origine, emanationes, & gradus, continuè magis, ac magis diminuitur, & infirmatur. Declaramus quod diximus, exemplo ſumpto à motu; quem prima cauſa, ſecundum doctrinam Ariſt., & peritiorum eiuſdem interpretum, per ſe & immediatè efficit. Mouet enim primum mouens, non (ſicuti plerique ſunt opinati) ut finis duntaxat; ſed opere etiam, & effectione primum & ſupremum cœleſte corpus, quod mobile primum nuncupatur. Hoc eodem motu mouet idem mouens reliqua corpora cœleſtia: quinimmo ipſa etiam elementa, ignem, & aerem, & ſecundum aliquos Oceanum circumagitat, & in gyrum mouet. non mouet tamen omnia, æqua uelocitate. Maxima ſine dubio commotione, atque permutatione prorſus uehementiſsima ac uelociſsima, primum mobile, ideſt corpus ſibi quàm proximum, & quàm proprium mouet; ſed ſecundum minori, tertium adhuc minori, reliqua quoque ſequentia corpora pro ratione diſtantiæ minori continuè, ac minori adeo agitatione circummouet; ut aer (ſicut iis patere potuit, qui cometarum motua obſeruauere, uix moueri uideatur. Oceanum autem in orbem ferri atque moueri non niſi longa diligentiſsimaq; peritiſsimorum nautarum obſeruatione, depræhendi tandem uix poteſt. depræhenditur tamen, ut Reuerendiſsimus Card. Gaſpar Contarenus, uir apprimè eruditus, libro ſecundo de Elementis, ſatis fusè declarauit: cuius non grauabimur hoc loco uerba referre.

B

C

D

» Aqua, inquit, in Oceano mouetur continenti, ac perpetuo lapſu, ab Oriente in occidens. Motum hunc nautæ, qui Oceanum nauigant, certiſsimè deprædhendunt. Nam ſi ſoluerint à Nerito Hiſpaniæ promontorio, & uela fecerint Britanniam uerſus, ad orientem Solem, longè tardius procedunt; quàm ſi ex Britannia nauigauerint in Hiſpaniam, ad occidentem Solem; quod aſſerunt accidere, ob aquarum curſum, ad occaſum Solis. Illi quoque, qui ab Hiſpania nauigant ad eas inſulas, terramq; continentem, quas noſtris temporibus Columbus Genuenſis inuenit, ad occidentem Solem; uiginti quatuor diebus circiter iter perficiunt. Quòd ſi inde reuerti in Hiſpaniam uelint; ob aquarum nixum in contrariam partem; tribus menſibus, quatuor'ue, uix perficiunt inſtitutum iter. Idem animaduertunt Luſitani, qui circumflectentes Africæ oram, promontoriumq;, cui Bonæ ſpei nomen indiderunt; tendunt in Indiam, ad orientem Solem. De iis audiui ego, cum eſſem in Hiſpania; ac legatione fungerer apud Carolum Quintum Cæſarem; niſi ſecundos uentos uehementius ſpirantes habeant; ſuperare ſe non poſſe promontorium illud; ac contrà in Indiam tendere; ob maris motum occaſum uerſus. Et poſt aliquot. eundem diurnum motum

tum in mari mediterraneo esse depræhensum, iis uerbis, idem Contarenus declarauit. Nam in sinu hoc nostro Adriatico, si quis legerit oram Dalmatiæ, Histriæ, Illyridisq; totius; sentiet maris motum perpetuum esse uersus occidentem Solem: ac deinde in intimo hoc recessu, ubi Venetiæ sunt sitæ; flecti ad meridiem, uersus Flaminiam; indeq; flecti Apuliam uersus, ad orientem Solem. Is maris motus, iuxta littora, à solertibus nautis ubique ferè depræhenditur in mari hoc mediterraneo; quo uideri potest mare hoc ueluti in gyrum moueri. Nam ab Hellesponto occidentem uersus flectitur; ac perpetuo eius cursus tenore circuit uniuersam oram continentis ad columnas usque Herculeas: inde uerò per oras Africæ, Aegypti, Syriæ, flectitur ad Solis ortum. Huius autem motus nullam aliam esse posse causam existimauimus, præter motum diurnum cœlorum: cuius ui sphæræ etiam ignis, aerisq; bona pars circumducitur. Hactenus Contarenus. Cuius uerba eò libentius citauimus; quo mihi Oceanum, ac mediterraneum mare iu gyrum à cœlesti corpore moueri asserenti; si non mea, huius saltem doctissimi, atque grauissimi uiri auctoritate, & longissimæ nautarum experientiæ, fides adhiberetur aliqua. idem fortasse significare uoluit nobis Aristot. cùm lib. secundo de Cœlo, parte sexta supra sexagesimam, dixit, terram non moueri, proximum autem terræ corpus moueri exiguis mutationibus. Sed de iis quæ supponenda erant hucusque.

Nunc ex iis, quæ præmissimus, ratio illa, ex nexu secundarum causarum tum ad inuicem, tum ad primam ineuitabili necessitate mouentem, procedens peripateticè dissoluitur. CAP. LVII.



HACTENVS ea, quæ ad tollendam difficultatem, ex cõplicatione secundarum causarum, tum interse, tum in ordine ad primã ineuitabili necessitate mouentem, exortam, opportuna nobis uisa fuerunt, præmisimus. age illam iam ad Peripateticorum dogmata prius dissoluamus, deinde quæ aduersus eandem, habet Alexander, afferemus. Dicebamus ex priori supposito, sequi; uirtutem primi mouentis, & primæ causæ, quo longius illa, latiusque diffunditur, eo minorem continuè, ac minorem reddi. Ex posteriore, quod supposuimus, necessum est sequi; ut quemadmodum à motricibus illis perpetuis substantiis, quæ non solùm necessariæ sunt, sed necessitates etiam quædam esse dicuntur, descendentes cœlestibus corporibus obuiamus; quæ non usque adeo, ut superiores illæ substantiæ, necessaria sunt; cùm & reali, & spirituali transmutationi obnoxia sint; non quidem cuicunque, sed locali tantùm transmutationi, necnon lumini, & spirituali cuidam alterationi subiecta sunt. hoc autem ideo illis euenit; quoniam cùm necessitates non sint, aliquo modo transmutantur, cùm uerò sint fonti necessitatis quàm proxima, paucissimis motibus, & his inter omnes, absolutis, & perfectis mouentur. Ita ab his descendentes, compositis substantiis, & materiatis, promiscueque uagantibus corporibus, obuiam imus; quæ omnia generationibus, corruptionibus, multifariisque alterationum, & transmutationum uicissitudinibus, obnoxia sunt. quod istis idcirco accidit, quoniam neq; necessitates sunt, neque necessitatis origini proxima, sed ab ea quàm longissimè absunt. Quemobrem sicut cœlestia illa corpora, quoniam quàm proxima (ut diximus) sunt necessitatis principio, quàm paucissimis, & quàm perfectissimis motibus mouentur; & quoniam ita mouentur nil temere agunt, nil temere patiuntur; sed illis quidquid euenit, fatali quadam, & ineuitabili necessitate euenit. ita corpora ista, quibus, ab illis descendentes, occurrimus; quoniam à necessitate, & à necessitatis principio, hoc est, ab æternis illis motricibus substantiis, sunt maximè distantia, quàmpluri mis, id est omnis generis mutationibus, & quàm imperfectis semper mouentur. & quoniam ita mouentur, paucissima ex necessitate, multa autem tum contingenter, tum etiam cœco casu, & temerè, & agunt, & patiuntur. Vt sicut in illis cœlestibus corporibus quidpiam, quod necessarium, & ineuitabile (Physicè loquendo) non sit; inueniri non potest: quòd si quid euitabile apparet, ut lumen Lunæ, quod adest & abest, ita ut ineuitabiliter inesse non uideatur: hoc quoque suis & statis temporibus ineuitabili prorsus necessitate inest, & non inesse nõ potest. sic contrà, in istis indiuiduis, firmum, ac stabile, & ineuitabile inuenire possimus nihil. Cuncta nempe, ista ut bene Heraclitus, & Hippasus & tota breuiter Cynicorum schola dicebat; à quibus Plato, & à Platone Aristoteles non dissensit, fluxu perpetuo irrequieta mouentur. Vt quod ineuitabili necessitate in his eueniat, inueniri poterit nihil. Quamobrem ab iis, quæ absolutè, & simpliciter necessaria sunt, descendentes; in contingentia, & accidentaria euenta, quanuis eorum nonnulla necessitatis, aut etiam ineuitabilitatis speciem quandam præ se ferant, & in temeritates multas, & fortuitas opportunitates, & in contingentium euentuum, ac temeritatum causas, & in fortuitos ac cœcos casus innumeros, in uariabilem præterea, & permutabilem meteriam, in debilitatam insuper, & inefficacem efficientium uirtutem, & impotentiam, ut incidamus, necessarium est. In

quibus

A quibus efficientibus, uis illa cœlestis, quæ quamuis per se se uehementissima sit; & quantum ad se attinet, urgeat (ita dixerim) cuncta, ac necessitet adeo; ut fatalis, hoc est, quæ euitari fermè non possit; obtunditur nihilominus in his caussis inferioribus, & hebetatur. Quoniam illa quanuis potentissima sit uirtus, in his tamen subcœlestibus non agit, nec potest agere, nisi in aliqua prius causa particulari, & determinata, & in aliqua natura inferiore, qua mediante agit, recipiatur; in qua quoniam non nisi infirmissimè, pro ratione uidelicet naturæ recipientis, tenuissimeque recipitur; & debiliter adeo, ut agentis illius cœlestis, præstantissimæque uirtutis uix speciem referat: & fit quoddam ueluti illius excellentissimæ uirtutis tenuissimum simulachrum; ideo sicuti augustissimam uirtutem illam per sese urgere, & (quantum ad se attinet) impellere uniuersa, ac cogere posse dicebamus. ita istorum efficientium impotentiam in quibus uis illa cœlestis obtunditur ualde, atque infirmatur; sine qua agere illa non potest, contrà remittere, impedire, infirmareque cuncta, ac (ita dixerim) temerare, idest temerè, & cœco casu generare conspicimus. Quamobrem & si omnibus, ab hac postrema, à qua rei euentus immediatè producitur,
B ad supremam usque, & primam, unà comprehensis intermediis collectisque caussis, impossibile est unumquodque non effici, quod efficitur: & non euenire, quod euenit: quia tamen uirtus, quæ in hæc caduca, fragilia, & materiata agentia, à supremis illis, & cœlestibus causis, demandatur: in iis ipsis caducis fragilibus, & materiatis agentibus, recipi non potest; nisi modo quodam instabili contingente, fluxibili, irrequieto, debili, fragili, infirmo, & illi denique naturæ, quæ eam recipit, cõgruo, quæ scilicet in immensum & tota, ut dici solitum est, diametro ab ipso necessitatis principio elongatur, & distat. hæc ipsa propterea inferiora, & sublunaria agentia, in illa causarum serie & complexione; qua à prima, supremaque causa, ad has extremas, à quibus res produci dicuntur, contenditur; non nisi ut contingentia, sæpe etiam ut temeraria & temerè aliunde ob repentia principia; & ut contingentium, & fortuitorum effectuum contingentes, & fortuitæ sæpè, & temeraiæ causæ esse possunt, & comprehendi. Istud nobis lib. quarto de Generat. animaliũ
» cap. x. significauit Arist. cum inquit. Natura ita sibi uult, ut rerum numeris, generationes, & cor
» ruptiones numeret, sed exquisitè id facere nequit, propter materiæ ineptitudinem, & quoniam
» multa principia incidunt, quæ generationes destinatas secundum naturam, & corruptiones im-
C pediant. atque ita causa sint earum, quæ præter naturam. Vnde in iis inferioribus materiatis, propter prædictas causas, & sublunaribus rebus, & rerum euentibus, secundum præsertim ritè philosophantium Peripateticorum dogmata, effectus aliquos, aliquosque rei euentus, iis exceptis, qui Mundum uniuersum, communemque uniuersi totius ordinem, qui præteriri non potest, respiciunt, & ad illius essentiæ integritatem, & absolutã perfectionem faciunt absolutè & simpliciter necessarios & ineuitabiles reperire, minimè poterimus. Nempè quòd homo hominem generet; equus equum; elephantus, elephantum; immo quòd ipsi etiam contingentes effectus, & temerarii, in rerum natura sint; & quòd reliqua id genus in Orbe uniuerso innumera contingant, & eueniant; iuxta Philosophantium Platonis præsertim, & Aristotelis doctrinam, absolutè, & simpliciter necessarium, & ineuitabile est: quod ad Mundi, qui æternus, & necessarius est, uniuersitatem, & uniuersitatis integritatem (cuius quippe Orbis uniuersi perfectionem prima præcipuè, & suprema causa, liberè quidem, sed ex necessitate procurat) ista facere uideantur. Sed quòd hic homo hunc hominem, hic equus hunc equum, hic elephantus hunc elephantum generet: quòd hæc ficus, hæc abies, hæc pinus nascatur; quòd iste uel ille contingens uel temerarius effectus eueniat; quòd reliquæ id genus rerum singularium actiones, uel passiones, in rerum na
D tura aut sint; aut ueniant, & in esse constituantur; contingens prorsus, ad peripatetica documenta: & sæpissimè casuale, & temerarium est. quoniam non nisi à contingentibus, atq; infirmis, ac debilibus, & sæpè (ut dictum est) temerariis proximis uel intermediis causis, & aliud sæpe intendentibus, huiuscemodi effectus produci conspicimus: quæ uim illam (ita dixerim) fatalem efficaciter (quantum ad se attinet) & ex necessitate omnia producentem, quam à superioribus, & necessariis effectui causis demandatam, asseruimus, recipiunt quidem pro ratione naturæ suæ singulæ; & intra se continent fouentque pro uirili: sed non nisi remissè admodum (ut dictum est) illam pro sua infirmitate, & debilissimè recipiunt: atque tuentur. ut hæc eadem uirtus tanta, ita infirmè in iis recepta, uix aliud à se quidpiam sæpenumero producere ualeat. Et antequàm quid producat, multa adeo tam ex parte ipsius uirtutis agentis, quàm subiecti patientis, prærequiruntur, quæ adsunt rarissimè omnia, ut ab illa sit quasi impossibile, ineuitabili quidquam necessitate euenire. Potest nanque uirtus illa quàm facillimè uel à circumuagantibus caussis impediri; uel per se intrinsecus marcescere, & deficere. potest & ipsum subiectum patiens mille modis. ad actionem suscipiendam ineptum reddi; ut rarò inter effectum, & causam sit habitudo utcunq; necessaria, ineuitabilis autem nunquam. nisi in illis (ut diximus) quæ ad naturæ essentiam & speciei uniuersitatem, & Mundi perfectionem spectare uideantur.

Ad maiorem capite superiori datæ solutionis intelligentiam, quæ ad euentum absolutè, & ineuitabili necessitate, necessarium requirantur, declaratur. CAP. LVIII. E



VIDIMVS quàm frigidè, & quàm remissè uirtus effectiua cœlestis, in his inferioribus, quæ à necessitatis principio longissimè absunt; recipiatur, & quàm hæc ipsa subcœlestia ad agendum inepta sunt, & quàmfacillimè in suis actionibus impediri possunt; ut nullus sit effectus certus,& signatus, qui absolutè necessarius dici possit; Hoc autem ut accuratius intelligatur; quid ad effectum simpliciter & ineuitabiliter necessarium, requiratur, declaraturi nunc sumus. Non enim (quod mirum alicui forte uidebitur) si causa remota simpliciter necessaria sit, & de necessitate agat; mox omnis inde euentus proueniens necessarius est; quemadmodum & in argumentationum collectionibus, non sufficit ad conclusionem necessariam colligendam, quòd maior propositio sit necessaria. Et longè minus sequitur, ut ineuitabili necessitate effectus productus, alterius effectus sit causa. Sed, ut id sequatur, requiritur præterea; ut non tantùm superiorum, & cœlestium; sed omnium etiam sublunarium, præcedentium causarum effectus cuncti sint aliorum effectuum, ineuitabili necessitate, causæ; Et ii similiter aliorum in infinitum. ita ut non remotæ duntaxat & superiores, sed inferiores etiam,& propinquiores causæ omnes, absolutè, & simpliciter necessariæ sint; & ineuitabili necessitate, quod agunt, agant. At quotus quisque harum præcedentium causarum effectus, effectum alium producit? uel quota quæque causa est, in iis materiatis, & caducis causis loquendo, quarum nihilominus opera (ut superius ostendimus) ad rerum euentus est necessaria; quæ uel ineuitabili necessitate id agat; quod agit; uel etiam necessaria ipsa sit; & de necessitate existat? certè nulla. Inde euenit, ut etsi ab effectu ad causam suam semper in naturalibus ualet argumentum, & consequentia. ut est domus, igitur fundamentum, igitur architectus præcessit. igitur protegi possumus a frigore & æstu, & huiusmodi, non tamen ualet à causa super effectum, nisi raro. Non enim ualet, est fundamentum, uel architectus, igitur domus est, uel fuit. Hinc factum est; ut Alexander breuibus ab hac argumentatione, quæ ex causarum complicatione procedit, & rectè se expedierit, inquiens; quòd ex necessitate causæ necessitatem effectus in naturalibus colligentes, modum ignorant; quo in eisdem arguatur, & quidpiam concludatur. quoniam ex posterioribus priora sequuntur, non ex prioribus posteriora. Sed iam demonstrauimus ad ineuitabilem euenti necessitatem, non sufficere, quòd prima causa, & necessaria sit, & de necessitate agat. Nunc addo, quòd non solùm ad effectus necessitatem non sufficit, quòd prima causa sit necessaria, & ineuitabili necessitate agat; sed neque (quòd fortasse magis quispiam admirabitur) sufficit, quòd ultima etiam causa, & proxima ineuitabili necessitate illud agat, quod agit. Non enim effectus quispiam dicitur, ad mentem Aristotelis, & eorum omnium, qui legitimè philosophati sunt, absolutè & ineuitabiliter necessarius; quia ab hac proxima, & immediata causa (quantum ad causam attinet) ineuitabili necessitate productus fuerit. Lignum sanè ad incendium prædispositum; ignique (ut par est) applicatum, non potest ignis non comburere; ita ut ineuitabili quadam necessitate, ignis illud comburere uideatur; nec propterea dicemus lignum, secundum ipsum Aristotelem, necessitate absolutè, & simpliciter ineuitabili, sed bene forsitam relatiua, esse combustum; quod igni quidem applicatum, non comburi non potuerit; sed applicari contingenter, & temere potuit. Non igitur de necessitate absolta, & simpliciter ineuitabili, subsequuta est ustio. Ad effectum nanque absolutè, & simpliciter, siue (quod idem sit) ineuitabiliter necessarium producendum (si non solùm Aristotelis, sed Platonis, & omnium rectius philosophantium doctrinam, & ipsarum rerum genitricem naturam sequamur) necessum est, (quod etiam sensu, & experientia constare potest) ut non tantùm prima & postrema, sed quotquot à prima in illa causarum serie, à qua effectus prouenit, ad postremam, & proximam usque, inclusiuè sunt positæ causæ; & necessariæ sint; & necessariò in serie causarum sint positæ, & simpliciter, & de necessitate, & ineuitabiliter operentur. nec ab aliquo possint impediri, aut modo aliquo illa series intercipi. Et quòd effectus præterea ipsi, ab aliqua alia causa, uel ab alia causarum complexione, esse non possint. Nam, si uel ab alio causarum ordine posset effectus produci; uel ista causarum series posset à quapiam potentiore causa impediri, & intercipi, uel aliquot in eadem serie positæ causæ, possent permutari, & earum loco aliæ collocari; quis non crederet, & oculata fide uideret; si ab hac serie, & ab iis causis effectus produceretur; non nisi contingenter illum produci? Cum igitur, ita admonente, & demonstrante experientia, in iis sublunaribus, & materiatis causis, & causarum seriebus, & ordinibus, omnes, uel plures saltem prædictarum conditionum semper deficiant; non solùm non omnia ad Aristotelis, & aliorum, qui candidè philosophantur, sententiam, aduersus Stoicorum opinionem, de necessitate & ineuitabiliter eueni-

re

A re (quod putant illo se argumento demonstrasse) negabimus? Sed res contrà omnino, & penitus esse affirmabimus. In hoc uidelicet inferiore mundo, quòd absolutè, & simpliciter, siue (quod idem sit) ineuitabiliter eueniat, reperiri posse nihil. Euentus nanque rerum singularium sunt. Vniuersalia enim non sunt nisi in suis singularibus, & æterna sunt ut illa euenire dici possint, nequaquam. At singulare, quod apud nos eueniat, ineuitabili necessitate euenisse, ex Aristotelis disciplina; quin ex ipsa rerum cunctarum experientia; si cuncta, quæ ad ineuitabilem effectum producendum necessaria sunt, diligentius expendantur, admitti poterit nullum. Sed ad hanc, quæ multis præclarissimis uiris difficillima uisa est, difficultatem, nos satis dixisse uideri possumus; nisi illud etiam in memoriam reuocare uoluerimus, quòd non solùm aduersus Aristotelem nihil cogat; sed quòd nihil pro Stoica, & fatali necessitate aliquid faciat, illa ratio, quæ ex causarum posteriorum cum priorib., & omnium simul connexione cum prima causa, de necessitate mouente procedebat. Ita enim ratio, & captiuncula illa dissoluta est; ut contingentiam, & temeritatem, pro Aristotele, solutio tueatur; & contra Stoicos ineuitabilem euentuum in iis, subcœlestibus necessitatem omnem destruat penitus; ac euertat. Veruntamen etsi satis superque ad rationem illam dictum est; non erit tamen inutile uidere, quid huicmet Stoicorum rationi, Alexander ipse & respondeat, & obiiciat.

B

Ad eandem Stoicorum rationem, ex causarum complicatione procedentem, quid Alexander respondeat; & quid idem eidem obiiciat. & quid ad unum obiectum dicat Pomponacius; quid ad Pomponacium auctor. CAP. LIX.



ETSI rationem, ex complicatione, ac prope dixerim cathenatione causarum, tam sequentium cum præcedentibus, quàm præcedentium cum subsequentibus, procedentem, quæ maximi semper ponderis, apud Stoicos fuit atque momenti, clarè, perspicueque nos dissoluimus; operæ tamen precium esse arbitramur, ea etiam omnia breuibus afferre, quæ cap. XIIII. libri de Fato, aduersus illam, attulit Alexander. Superius cap. IX. huius libri tertii, ad quem modum hanc Stoicorum rationem exponat idem Alexander, atque conformet, po-

C suimus. Igitur respondendo, in primis negat ille, quòd in mundo sit illa concathenatio, ac connexio rerum, & causarum; ita ut cuncta, quæ præcedant, sint omnium eorum, quæ sequuntur, causæ. Nempe si res ita se haberet; sicut patet est causa filii; & res, quæ præcedit, alicuius rei sequentis; ita filius esset causa nepotis, ac nepos pronepotis; & res quæ facta est, rei alterius efficiendæ; quod tamen falsum est. quod ostenditur. Primò. Quoniam filiorum plurimi sine sobolis successione decedunt. Secundò. Certamina Isthmica, quæ olympica præcedebant, ipsis olympicis (quæso) quid afferrebant causæ? Sed aduersus Alexandrum insurrexit Pomponacius. Et ad id, quod primo loco obiectum est, respondet, quòd etsi plerique filii, absque eo quòd patri nepotem generent; uitam obeant; omnes tamen cuiuspiam post se sequentis rei causa sunt; ut saltem cadaueris. Quòd ad ueritatem Stoicæ propositionis, & celebris illius axiomatis, quod ait, præcedens semper est causa eius, quod sequitur; sufficere uidetur.

CONTRA Pomponacium ex Alexandro nos instare facillimè possumus. Primò. Quoniam Stoicorum axioma est, (ut loco citato apud Alexandrum facillimè uideri potest.) Ad mundi administrationem quæ per causarum nexum expletur, Deum, & Fatum ea uti agentium opera; quæ ex propria cuiusque, & peculiari natura proficiscitur. Per hanc enim secundum Stoicos, germanam cuiusque rei operam; uniuersarum rerum connexio, & mundi administratio in columis

D conseruatur; & ea quæ antecedunt sequentium causæ fiunt. Si hæc igitur ita se habent (ut Stoici, se habere, arbitrati sunt, & absque uerborum inuolucro latissimè confitentur,) qui fieri poterit; ut sine nepote filius, & item sine pronepote nepos, diem ultimum claudat? Nunquid cadaueris generatio est peculiaris filii, aut nepotis, & propria operatio? Est'ne hæc illa, quæ ex propria eorum & peculiari natura proficiscitur? & non potius sibi simile ædere, & generare?

Ad alterum obiectum Alexandri in quo, id quod procedit esse semper causam eius quod sequitur, negauit; Pomponacii responsio, & responsionis confutatio. CAP. LX.



D ID, quod secundo loco obiectum est, respondet Pomponacius, quòd non ita intelligendum est Stoicorum proloquium illud, & axioma. Præcedens est causa sequentis, ut cuncta, quæ præcedant, sint eorum omnium causæ, quæ sequuntur; sed aliqua aliquorum. E

VERV'M aduersus Pomponacium. Primò. Si præcedentia omnia, non sunt modo aliquo, hoc est mediatè, uel immediatè causa eorum omnium, quæ sequuntur; non erit illa in rebus connexio, & in causis complicatio, quam Stoici mordicus defendere sunt conati. immo erunt res aliquæ, & erit aliqua causarum series; quæ cum alia causarum serie, & cum cæteris rebus, nullam connexionem habebunt. quod asserere, præter hoc, quod maximum Stoicæ opinionis euertitur fundamentum; illud uidelicet, Id quod præcedit, est semper causa eius quod sequitur; quo euerso, uniuersa rationum suarum structura funditus euerti uidetur: admittitur etiam, Mundi unitatem diuelli, ac dispartiri, & eiusdem administratio destruitur.

SECVNDÒ. Si sunt ita ab inuicem diuulsæ causarum series; ut unus quispiam effectus ab aliqua earum causarum serie, quæ iam præcesserunt nihil dependeat; consequens est; ut nulla sit prima causa, à qua deducantur, uel ad quam reducantur causarum omnium series, & complicationes. Quod eo maximè patere potest, quòd in qualibet serie sunt primæ causæ, mediæ, & extremæ; in alia igitur, & alia, erunt aliæ, & aliæ primæ causæ; nulla igitur erit una prima, sed tot causæ primæ, quot series causarum. Dices forasse, quòd quemadmodum idem est centrum in circulo, qui est principium plurium & diuersarum linearum; ita eadem potest esse causa prima plurium, & diuersarum connexionum, & serierum causarum. Sed hoc dici non potest; tum quia centrum est magis terminus, quàm principium linearum principium; nanque debet sumi à loco nobiliore, & superiore, centrum autem est extrema, & infima pars eius, cuius est centrum; quod tam uerum est in quolibet circulo, quàm uerissimum in orbe uniuerso, magis igitur, ut dixeramus, termini quàm principii rationem subibit, ut primam causam referre, nisi ineptissimè non possit. Tum quia Deus à Physicis, non in centro, sed in circumferentia ponitur: libro nanque octauo Physicarum auscultationum, Deum statuit Aristoteles in maxima circunferentia primi corporis, quòd ea uelocissimè moueatur, quam Astrologi & cingulum primi motus, & æquinoctialem appellat. Tum tertiò quoniam non descenderet à prima causa series illa; sed contra à serie prima causa descenderet. infra nanque centrum demitti lineæ quidpiam non potest. Immo sicut ab eodem circunferentiæ puncto, plures lineæ deduci non possunt, sed una tantùm; quòd si plures deducantur, plura & diuersa sunt eorum capita, & non unum; ita si plures & diuersæ sunt causarum series (sicut esse opus est, si non cuncta, quæ præcedunt, sunt causæ omnium quæ sequuntur) necessum erit, ut nulla sit causa; quæ absolutè, & simpliciter propria causa dici posit. Si autem nulla sit prima causa; nulla erit ultima; si nulla prima, & ultima, nulla media; si nulla prima, ultima, & media; nulla erit causarum series, quæ æterna dici posit; igitur si unus fuerit effectus, qui ab omnibus præcedentibus causis non dependeat; nulla erit secundum Stoicos, æterna series causarum. quod longè maius incommodum erit; & Stoicorum opinionem arietabit magis, quàm admittete; non esse unam aliquam causam, uel à qua deducantur, uel ad quam reducantur cunctæ series causarum. F G

TERTIÒ. quoniam non res tantùm, quæ diuersarum complicationum esse uidentur; ut sunt Isthmica, & olympica certamina? Sed illæ etiam, quæ non nisi unius ordinis, & seriei, ab ipsismet Stoicis censeri poterant; non ita se habent, ut prior semper sit causa posterioris. Ecce, (inquit Alexander) ambulationem præcedir sessio; nox diem; æstas hyemem; & tamen neque sessio ambulationis, neque nox diei, neque æstas hyemis est causa. Immo idem Socrates utriusque sessionis scilicet & ambulationis; idem Sol motu diurno diei, ac noctis; idem etiam Sol, sed motu obliquo, æstatis, & hyemis causa est. Verùm hoc loco Pomponacius, quòd quo fugeret, aur unde sibi auxilium peteret, non habebat; admittit noctem esse diei causam; & æstatem hyemis; quo nescio, quid admitti posit absurdius? Si dixeris. Non debet hoc tam ingens absurdum uideri, cùm aquarum sæpe caliditatis frigiditatem circunstantis aeris causam esse uideamus. Dicam ego, communi Physicorum omnium sententia. illud nerum esse per accidens. sed iam Stoici in causarum connexione, id quod per accidens dicitur, abstulerunt, & id rantû, quo per se & essentiale est, admiserunt. Quæ rursus igitur dementia est, dicere noctem esse diei æstatem hyemis, caliditatem frigiditatis, tenebras luminis, contrarium contrarii per se causam. cum alioqui contraria se mutuò expellant, atque euertant, non autem se generent, aut construant. H

QVARTÒ. si etiam admiserimus; ut ea, quæ pcæcedant, omnia sint eorum, quæ postea sequuntur, omnium causæ; non tamen inde colligendum erat; ut sint causæ necessariæ; id est rales causæ, ad quas ineuitabili necessitate, posteriora ipsa sequantur. Nam & si Sophroniscus, qui præcesserat; causa fuerit Socratis; non tamen causa fuit illo modo necessaria; quoniam, ut insu

periorib.

A perioríb. capite LVIII. dicebamus) in iis quæ natura, uel arte constant, ex prioribus posteriora inferre non licet, sed bene contrà, ex posterioribus, priora. Quòd si præcedentia essent ita sequẽtium causæ, & priora posteriorum; ut effectus, quos producunt, ineuitabili necessitate producerent; non minoris esset roboris argumentum, à prioribus ad posteriora, quàm contrà à posterioribus ad priora; quod tamen uerum non esse docet, non sophistarum regula, sed magistra rerum omnium experientia. tenet nanque sequela, Est domus, igitur fundamentum. Est Socrates, ergo Sophroniscus; Non autem contrà, Est fundamentum, ergo domus. Est Sophroniscus, igitur Socrates. Adde, quòd multæ sunt accidentariæ causæ; ex quibus singulis, qua accidentariæ sunt, ut effectus quispiam de necessitate sequatur; est impossibile; nihil minus; quàm ut accidens per accidens sit necessarium.

QVINTO, si res eam inuicem connexionem haberent; quam opinati sunt Stoici; abiremus ita in rebus, & in rerum causis in infinitum; ut nulla foret causa, quæ esset prima; sed ante omnem causam, alia esset causa; quod quidem ingens per sese absurdum est; & eo maius, quod inde aliud consequitur, uidelicet, quòd nullam poterimus habere scientiam; siquidem scientia, est B cognitio per demonstrationem; quæ ex immediatis principiis, & primam causam referentibus, coalescit.

SED ad hanc obiectionem respondet Pomponacius; quòd in causis eiusdem rationis, processus, etiam à Peripateticis, infinitus admittitur; cum Mundi æternitatem, quantum possunt, tueantur. In quibus etsi nulla sit simpliciter postrema; assignari nihilominus postrema aliquo modo potest; ut dies hodiernus, hic pater, & huiusmodi; quæ quidem postrema causa, non est postrema simpliciter, sed ut nunc.

VERVM enimuero hoc, quod dixit, Pomponacius; etsi bene, recteq; dictum sit; argumentum tamen Alexandri non tollit; nec Stoicorum placitis commodè coaptatur. Quoniam causæ, quæ ad unum, & eundem effectum ineuitabiliter necessariæ sunt; nec sunt, secundum ueritatem, nec esse possunt eiusdem rationis omnes. Ordo nanque in causis impermutabiliter necessarius, est inter causas diuersarum rationum. Vt bifariam grauiter admodum errarint Stoici, nec ab errore defendi possint à Pomponacio, tum in necessariis causis (sunt enim omnes præcedentes, penès eos, ad effectum ineuitabiliter necessariæ) infinitatem admittendo; tum in causis eiusdem rationis ineuitabilem necessitatem constituendo. Cùm causæ quæ eiusdem speciei, & naturæ C sunt; non per se, sed per accidens causæ sint.

SEXTO Quoniam ex huiuscemodi sibi ipsis somniata rerum omnium complicatione, Mundi unitatem Stoici ineptè collegerunt. Non enim ex illa rerum connexione, & concathenatione (esto quòd illam admitteremus) Mundus unus est; sed ex unitate; & perpetuitate cœlestium corporum, & earum mentium, quæ illa circumuoluunt, & mouent; quòd ista sint modis omnibus una, & eadem, numeroque perpetua; reliqua uerò non una sint, nisi in specie & uniuersitate, sed plurima.

SEPTIMO, Stoicis obiicit Alexander, quòd dicunt, si quid esset in Mundo sine causa, uel sine administratione, idest, quod diuinæ non esset subiectum prouidentiæ; Mundus collaberetur, & rueret. Non enim regna, aut priuatorum domus euertuntur: etiam si quidpiam in regno, aut in domo, præter regis & domini familiæ uoluntatem eueniat.

SED negat similitudinem Pomponacius: quum Deum lateat, aut eius prouidentiam subterfugiat nihil: multa autem interea principis, aut patris familias cognitionem, & procurationem præterlabantur. At quod dicit Pomponacius οὐδὲν πρὸς ἔπος hoc est, nihil ad rem. Non enim regis, aut patris familiæ cognitionem, & prouidentiam, diuinæ æquari, uel diuinam quidpiam, D quantumuis minimum, præterfugere posse, Alexander existimauit. Sed tantùm admisso casu, quòd nonnulla diuina administratio negligeret (quod non solùm multi dixerunt Peripatetici, sed, quod libro sequenti manifestum erit, Stoicorum etiam nonnulli) per similitudinem regni, & domus, non euerti propterea Orbem uniuersum idem ostendit. supponere autem impossibilia (esto quòd diuinam prouidentiam aliquid fugere sit impossibile) à præceptore Aristotele didicisse potuit Alexander. Nempe cap. v. libri quarti Topicorum, hominum quempiam ex mortali immortalem fieri. Lib. quarto Physicorum, parte LVIII. sonum à corpore separari, & aliàs quantitatem à corpore seiungi; & lib. quarto Cœli, in concauo orbis Lunæ terram poni, & sæpe alibi alia impossibilia, supposuit Aristoteles.

OCTAVO, & ultimò. & si ista ex rerum & causarum complicatione procedens Stoicorum ratio, futilis adeo, & rimarum plena sit; ut quiuis uel mediocriter eruditus eiusdem imbecillitatem, sumptarumque in ea propositionum falsitatem, & ingentem, quæ ad eam sequantur, incommodorum cumulum depræhendere facillimè possit; si tamen tam etiam occultæ fallaciæ esset; ut uel ad diuinandum, Oedipode, uel ad nodum dissoluendum, Alexandro egeremus; qualis plurimis uisa fuit illa Zenonis ad motum tollendum; cuius libro sexto Physicarum auscultationum

tionum, parte septima supra septuagesimam meminit Arist. quam Achillem, quòd uehementer urgere uideretur, appellitabant; quia tamen motum auferre, hoc est rem notissimam, & ad sensum manifestissimam tollere nitebatur; fidem apud auditores habuit nullam, sed à cunctis semper abdicata procul atque abiecta fuit. Abiicienda igitur similiter, & toto pectore contemnenda est ista ratio: & abiiciendus hic Stoicorum modus; etiam si nullam haberemus ad eam responsionem, & dissolutionem. Tollit enim rerum notissimarum, & præstantissimarum ingentem multitudinem; hoc est fortunam, casum, electionem, consultationem, uirtutes, laudes, præmia, liberum arbitrium, studium, diligentiam, cultum, pietatem, iustitiam, & tot, tantaque alia, ut singula enumerare sit impossibile. quanto autem magis negligendam nunc illam existimare debemus; cum ad amussim, exactissimeque dissoluta fuerit; & tot, tantaque, atque tàm urgentia & firma in eam, ab Alexandro eruditissimè, exquisitissimeque eiaculata propemodum fuerint. ut pote qui eidem laruam dempserit, absurditatem detexerit, falsitatem ostenderit, totamque prorsus eius structuram funditus euerterit? E

Ad rationem primam Stoicorum respondetur, & quod idem, ut est præteritum, & ut futurum longè diuersis modis se habeat, breuissimis declaratur. Cap. LXI. F



AD PRIMAM Stoicorum rationem, quæ à præterito ad futurum, & à facto ad fiendum procedit; neganda est consequentia. cuncta enim quæ futura sunt, quædum sunt futura, contingentia, possibilia; uel etiam temeraria esse possunt; cum præterierunt, necessaria sunt; ut omnino sit alia & alia ratio euentus præteriti, & futuri. sed de re hac libro octauo, & penultimo fusius dicemus; in quo loco quot modis euentus contingens in necessarium transeat, declarabimus.

Ad eam confirmationem, quæ ex uulgata hominum de Fato opinione procedit; quæ inter confirmationes prima est, respondetur; & quorundam hæreticorum Tehologorum de Fato sententia ponitur. Cap. LXII.



AD ILLVD quod ex communi hominum de Fato existimatione, obiiciebatur: duæ sunt responsiones, quæ à nobis afferri possunt. Vna, Quòd quemadmodum secundum multorum Philosophorum, & omnium ferè doctorum hominum opinionem, cunctarum rerum, & euentuum omnium fatum, & ineuitabilem necessitatem asserere; non est multum ab insania & fatuitate, nedum à sapientia, & eruditione alienum; ita quarundam rerum & euentuum Fatum admittere & aliqua, quæ aut non esse, aut secus, quàm sunt, esse non posse, fateri; non uidetur prorsus à sapienti, & recta ratione remotum. Multa enim Fato, & necessitate euenire, prius ex Aristotele admisimus; quorum aliqua (physicè loquendo) necessitate ineuitabili eueniunt; illa scilicet, quæ & naturali ordine; & à naturalibus illis causis, quæ impediri non possunt proficiscuntur: aliqua uerò euitabili, illa scilicet, quæ à naturalibus causis, quæ & si impediri possunt, non impediuntur tamen, producuntur. Sed hæc in superioribus & fusius & exactius declarata fuerunt. G

ALTERA responsio est, quòd quamuis Stoicorum uel Mathematicorum de Fato opinio, siderum influxionibus, uel causarum omnium connexionibus inuoluta, & implicita, quæ in rebus uniuersis ineuitabilem necessitatem affirmat, sit penitus commentitia, & falsa: ac ab humanis mentibus radicitus extirpanda, euellendaque prorsus ab omni omnium hominum opinione; quæ à nobis superius multis, & iis firmissimis rationibus funditus puto, fuit euersa: ipsa tamen, quæ hominibus de fato passim, & uulgo inhæret existimatio (non ad modum opinandi nunc descendimus; sed ipsam per se fati opinionem sumimus) non solùm falsa non est; sed uera adeo; ut & Anaxagoras maximus alioqui sui temporis Philosopus quia fatum prorsus negauit, & fati nomen anile putauit, non fuerit meritò in hac re apud suos fide dignus. Nos autem Physicorum magis probatorum opinionem sequuti, & physicè loquuti in rebus & euentibus multis Fatum pridem admisimus, sed non necessitatem illam, quam ex sideribus, & siderum influxionibus ineuitabilem fingunt Mathematici; aut anum illam fatidicam, diuinam prouidentiam, perpetua quadam causarum complicatione ad nos, unde cuncta ineuitabili necessitate eueniant perpetuo tenore delabentem, qualem Stoici defendere conati sunt: sed fatum partim euitabile; & H

quod

A partim ineuitabile, & quod ineuitabile diximus alia ratione, quàm Stoici faciant, diximus esse ineuitabile. In multis præterea, ut in iis, quæ uel cœco casu, uel præter naturam fiunt, fatum negauimus. Theologorum sanctissima dogmata, non in plurimis tantùm, ut prius, sed in cunctis euentibus, Fatum affirmandum esse, non perperam existimamus. Ad quem modum autem ex catholicorum Theologorum decretis, Fato cuncta euenire: ueritatem habeat; tum ex Boethio, tum ex B. Thoma, tum ex D. Aug. (quum Theologorum quorundam de fato prius opiniones recensuerimus) capite sequenti manifestum faciemus. Theologorum igitur, non audeo dicere nostrorum, sed eorum, qui ex nostris erant, nonnulli, Fatum, tanquam illud ex quo omnia ineuitabili necessitate eueniant, (nullam puto inter diuinam prouidentiam, de qua illi minùs etiam rectè senserunt, & fatum distinctionem statuentes) asserere, nec ueriti sunt. Quemadmodum asseruerunt Priscilianus Hispanus, Manichæus, Petrus Abailardus, Ioannes Vuitclef; & alii quam plurimi; quorum opiniones, tanquam fœces in Lutherum ut in cloacam deriuarunt. inter quos Bardassanes Syrus ab Aug. libro de Hæresibus cap. xxxv, & ab aliis quibusdam (sed perperam, si non solùm Marsilio Ficino, nisi fortè sit in nomine æquiuocatio, sed etiam Eusebio libro sexto de Præparatione Euangelica, cap. VIII, credamus) connumeratur. Contra quos disceptare omnino superfluum putamus. Tum quia istis reclamant passim apertissimè sacræ literæ, quæ undique ad mo-

B nitionibus, increpationibus, exhortationibus, prohibitionibus, præceptis & aliis id genus scatent. quæ frustrà sine dubitatione fierent omnia: si Fato idest (ut illi dixerũt) ineuitabili necessitate cuncta euenirent. tum quia nihil ad hanc suam fatuissimam opinionem astruendam adduxerunt; quod & ex iis, quæ à nobis hucusque dicta sunt; & ex illis, quæ de prouidentia, & de præscientia diuina inferius dicenda supersunt; abduci facillimè, & dissolui non possit. His igitur omissis hæreticis, ad probatorum de Fato & Catholicorum uirorum opinionem ueniamus.

Catholicorum Theologorum de Fato sententia exprimitur, & differentia inter prouidentiam, & Fatum, tam ex Platonicis, quàm ex Catholicis Theologis constituitur, & declaratur. CAP. LXIII.



POSVIMVS Stoicorum, & Mathematicorum de Fato opiniones; easque, tanquam uana, & commentitia deliramenta respuimus; easdemque uerissimis iisdemque firmissimis rationibus refutauimus; ex hominumque mente (modo

C hi imperiti prorsus non sint) radicitus (ut puto) euulsimus. Horum autem opinioni nonnulli (ut paulò ante dicebamus) eorum qui ex nostris erant, Theologi, sed hæretici subscripserunt; Fatoque, atque ineuitabili necessitate, quam tũ ab influxibus cœlestibus, tum à causarum connexionibus, sed in primis à diuina uoluntate & prouidentia, deduxerunt, euenire omnia asseruerunt; aduersus quorum stollidissimam, indoctissimamque doctrinam & profanam, atque execrandam impietatem pluribus uelle agere, censemus esse superfluum, cum præsertim; sacri codices aduersus eos plusquam apertè proclament, & multa patrum concilia definierint, & ea in illos torqueri possint omnia, quæ in Stoicos & Mathemticos, toto hoc uolumine eiaculata fuerunt. His igitur prætermissis, nunc demum superest, ut quid de Fato sacri nostri Theologi, & Catholici sentiant, breuissimis intelligamus. Fuerunt igitur nonnulli, & hi peritissimi uiri, & cordati. Theologi, qui & diuinam prouidentiã asseruerunt, & cum ea Fatum quam commodè coaptarunt, atque omnia sicut ex diuina prouidentia pendere; ita de Fato euenire pientissimè sanctissimeque opinati fuerunt. inter Fatum autem & prouidentiam distinctionem posuerunt: quorum quidam tantùm rationis; sicut

D Bessarion; uir egregiè doctus, & Theologus Catholicus imitatus fortasse quosdam Platonicos (erat enim Platonicæ philosophiæ sectator egregius) qui quemadmodum diuinam prouidentiã aiunt, diuinam sententiam esse, effectricem, & conseruatricem uniuersi; ita fatum inquiunt, ipsam eandem diuinam sententiam esse (quam aliquando diuinam legem appellarunt) quatenus recta ratione, sed necessitate quadam res cunctas efficit, & producit. Apuleius propterea in dogmate Platonis dicebat: si quid prouidentia agitur, id agitur etiam fato: & quod fato terminatur, pro

" uidentia debet susceptum uideri. ita ut ad ea omnia fatum extendat, ad quæ diuina prouidentia

" pertingit. Vt nulla sit inter fatum, & prouidentiam distinctio nisi rationis. Alii ex platonicis nihilominus sunt, qui inter fatum, & prouidentiam, differentiam etiam realem constituunt: qualis est inter calorem & lumen: uel inter Spiritum, & animam, & huiusmodi. Ad plura nanque diffundi prouidentiam illi asserunt, quàm Fatum; sicut & lumen & anima plura gignit, quàm calor, uel spiritus. mirabiles enim (ut inquiunt) latent in lumine, quæ non sunt in calore, uirtutes. Quam obrem nonnulli (sicut Nemesius recitat) asseruerunt, ex Platone Fatum sub prouidentia contineri: ita ut quicquid fato fiat; etiam prouidentia fiat; non contrà recurrat oratio. Plotinus lib.

ſecundo de prouidentia, & plurimi Platonicorum (quod parte ſecunda libri de Prouidentia Dei E
Dominus Ioan. Franc. Picus aſſeruit) eius ſunt opinionis, ut prouidentia in rebus tantùm à materia ſeiunctis; fatum uerò in rebus tantùm ſenſilibus conſtituatur. dicebat Ficinus, ut principio huius tertii libri à nobis ante diffuſè ſatis dictum fuit, prouidentiam in mentibus, fatum uerò in corporibus eſſe; Et fatum præterea dicunt ſubeſſe prouidentiæ, non quidem ad quem modum animal ſubſtantiæ in prædicamentaria ordinatione; ſed ad quem modum caduca æternis, ſublunaria cœleſtibus & corpora animis ſubeſſe dicuntur. Hi igitur poſteriores inter fatum, & prouidentiam diſtinctionem realem & admodum manifeſtam, illi uerò priores aut nullam, aut diſtinctionem tantùm rationis affirmauerunt. Inter has opiniones medius proceſſit Boethius: quem in primo libro Theologicarum ſententiarum ſequutus eſt B. Thomas. hos autem catholici Theologi multi, ne dicam omnes; qui poſt iſtos tam egregios doctores & graues Theologos ſcripſerunt. Nempe ferè cuncti inter prouidentiam, & fatum diſtinctionem tum realem, qualis eſt inter cauſam, & effectum, ut, uerbi cauſa, inter lumen, & calorem conſtituerunt, quatenus fatum aſſeruerunt effectum quendam eſſe diuinæ prouidentiæ; tum rationis qualis eſt inter hominem, & animal, ut animal in homine eſt. ab eadem nanque forma Socratis & ratio hominis, & ratio animalis ſumitur: quum per unam, & eandem formam & homo, & animal Socrates ſit: diuerſa tamen quadam ratione quatenus quidem in effectis & rerum euentibus cunctis prouidentia, & Fatum coniuncta ita ſunt; ut nequaquam abinuicem realiter diuelli poſſint: eatenus non niſi ratione inuicem iſta, in his, quæ fiunt, uel facta ſunt, diſtingui uidentur. quatenus uerò prouidentiam in Deo, Fatum autem in ipſis ſenſilibus rebus ſtatuunt; realiter iſta ab inuicem ſeparari, manifeſtum eſt. Rurſus quatenus rerum explicatio, quæ Fatum dicitur, in diuinæ mentis proſpectu adunata eſt, & in diuinæ mentis ratione (quæ prouidentia dicitur) ipſa rerum explicatio conſiſtit, eatenus fatum & prouidentia ratione differunt. At quatenus eadem adunatio & locis & temporibus ſuis, in rebus explicatur, quam explicationem Deus intelligit: & per rationem æternam ante diſponit; quæ ratio prouidentia eſt; realiter, non autem ratione tantùm Fatum, & prouidentiam; diſtingui exiſtimandum eſt. Quamobrem diſtinct. xxxix, lib. primi Theologicarum ſententiarum, quæſt. II, art. primo, inter fatum & prouidentiam, utranque diſtinctionem, ideſt, & rationalem & rationis tetigiſſe uidetur Doctor ſanctus, cum inquit, Ratio gubernationis rerum, aliud eſſe habet in mente diuina, ubi prouidentia dicitur; & aliud in cauſis ſecundis; quarum officio gubernatio diuina expletur; ex quibus Fatum dicitur. Hæc Thomas. diſtinctionem quidem rationis uidetur poſuiſſe in unitate gubernationis cum ait, unam, & eandem rationem gubernationis, aliud eſſe habere in mente diuina, & aliud in cauſis ſecundis. realem uerò indifferentibus eſſe, quæ in mente diuina, & in ſecundis cauſis habet illa eadem gubernatio & gubernationis ratio. Boethius ſimiliter libro quarto de Conſola. philoſ. proſa ſexta, inter Fatum & prouidentiam diſtinctionem (ut diximus) tum realem, tum rationis, poſuiſſe uidetur. quæ omnia ex ſuis uerbis quibus, & prouidentiam, & fatum definiuit colligere quilibet diligens lector non multa difficultate poterit. Ita enim loco citato catholicè ſcriptum ille reliquit. Prouidentia eſt ipſa illa diuina ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit: Fatum uerò inhærens rebus mobilibus diſpoſitio; per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus. Prouidentia nanque pariter quamuis diuerſa, quamuis infinita complectitur. Fatum uerò ſingula dirigit in motum, locis, formis, ac temporibus diſtributa; ut hæc temporalis ordinis explicatio in diuinæ mentis adunata proſpectu, prouidentia ſit. eadem uerò adunatio digeſta, atque explicata temporib., Fatum uocetur. quæ licet diuerſa ſint: alterum tamen pendet ex altero. Ordo nanque Fatalis ex prouidentiæ ſimplicitate procedit. Sicut enim artifex faciendæ rei formam mente percipiens, mouet operis effectum; & quod ſimpliciter, præſentarieque proſpexerat: per temporales ordines ducit; ita Deus prouidentia quidem ſingulariter, ſtabiliterque facienda diſponit; Fato uerò hæc ipſa, quæ diſponit, multipliciter, ac temporaliter adminiſtrat. hucuſque Boethius. cum nempe ponat prouidentiam in Deo. Fatum uerò in rebus; diſtinctionem realem, inter Fatum & diuinam prouidentiam, ſignificauit. cum uerò eandem rerum diſtributionem bifariam ait poſſe conſiderari; ut adunatam in diuinæ mentis proſpectu, & ut per temporum ſucceſsionem explicatam in reb., & illo modo prouidentiam, iſto uerò Fatum appellari dixit. diſtinctionem inter eadem rationis innuiſſe uidetur. una nanque & eadem rerum diſtributio eſt; quæ & in diuina mente adunatur, & in rebus explicari intelligitur. Sed cum rurſus Fatalem ordinem, & multiplicem eius explicationem in prouidentiæ ſimplicitatem reducit, eam inter utrunque ſtatuit diſtinctionem. quam ſatis appoſitè per exemplum paulò poſt expoſuit dicens, Quod quemadmodum ſe habet id, quod gignitur, ad id, quod eſt; tempus ad æternitatem: ratio ad intellectum; circulus ad centrum; ſic fati multiplex explicatio ad prouidentiæ ſimplicitatem, atque unitatem. Secundum igitur B. Thomæ, & Boethii, & aliorum de fato rectè ſentientium opinionem; quam ſuperius in principio huius tertii libri ubi

opiniones

A opiniones de fato per diuisionem uenabamur, innuimus, fatum hoc modo poterit diffiniri. Fatum est secundarum causarum, tam inter se, quàm in ordine ad primam causam, nulla necessitate, sed liberè, & contingenter, mouentem, contingens nexus, & temporanea complexio quædam, per quam pro diuina prouidentia, quæ prima rerum omnium sine dubitatione causa est, cunctæ res liberè & contingenter quidem à prima causa, naturaliter uerò, & necessariò nonnullæ à secundis causis eueniunt. Sed diffinitio, & Boethii de fati diffinitione sententia, non nisi post tractationem de diuina prouidentia, nec non de diuina præscientia de quibus in sequentibus dicemus, ad plenum intelligi potest. Nempe post eam, quam paramus de diuina prouidentia perscrutationem; ubi de diuina præscientia, ad nostrorum Theologorum sententiam, erit sermo; Boethii de fato diffinitionem breuibus declarabimus; ostendemusque, & si illam ad Stoicorum potius (ut cap. VIII. superius dictum, & demonstratum fuit) & Academicorum opinionem exposuerit idem Boethius; ad sanam nihilominus catholicamque ueritatem exponi posse; quam etiam ibidem catholicè breuissimis exponemus. Differt nempè hæc nostra (quæ catholicorum est) diffinitio ab illa Mathematicorum; tum quia illi à fato diuinam abdicant uoluntatem; tum quia fatum ineuitabilem causam constituunt. B Ab illa uerò Stoicorum, tum quòd nexum causarum asserant, illi perpetuum, & necessarium; tum quòd Deum ex necessitate, non autem contingenter dicant agere, quidquid agit; ut ineuitabili necessitate euenire quæ eueniunt, fateri minimè uereantur. Ab illa tertiò, quæ est Aristotelis, & Peripateticorum; tũ quia Deum (ut Stoici) de necessitate, non autem contingenter agere dixerunt; tum quia in multis, quæ à natura fiunt, ineuitabilem necessitatem affirmauerunt. Hæc autem catholicorum fati diffinitio, quam nos apertam posuimus & facilem, Deum liberè & contingenter mouere asserit; causarum nexum temporaneum, & contingentem & euitabilem facit; cuncta (si ad Deum referantur) contingenter euenire permittit; ineuitabilem demum (ut ad Deum stat relatio) necessitatem à rebus; & rerum euentibus uniuersis procul abigit; & in eisdem nihilominus uniuersis, fatum, idest, uirtutem, & potestatem Dei, & eius prouidentiam, & ordinationem atque dispositionem constanter admittit. Quamobrem libro quinto de Ciuit. Dei, cap. primo, ad eos, qui hanc de fato haberent opinionem, dicebat Aug. ut sententiam quidem tenerent, linguam uerò cohercerent. Christiana enim (inquit) religio, fati nomen semper abhorruit: quoniam non in re uera consueuit intelligi. consueuit (inquit Augustinus) C in re minimè uera intelligi, quia in rebus omnibus per fatum ineuitabilis necessitas consueuit significari. Gregorius propterea (quòd in re non uera consueuerit uox fatum intelligi) in Homilia quadam super Matthæum. Absit (inquit) hoc à fidelium cordibus, ut esse aliquid fatum dicant. Quin etiam lib. secundo de Diuinatione idem abhorruit Cicero. Anile (inquiens) & plenum superstitionis est, Fati nomen ipsum. Anaxagoras similiter nomen fati uanum semper existimauit. At si rectè (ut par est) saneque fati nomen sumptum fuerit; atque intellectum, ut sumitur à nobis, & exponitur, nulla (puto) religiosis quibusdam & superstitiosis, cauillandi, atque obloquendi ratio derelinquitur.

Tollitur incidens dubitatio, & sermo de Fato completur.
CAP. LXIIII.



D VERVMENIMVERO hoc loco nobis quispiam fortassis obiiciet; quòd cum ad fatum tollendum, diu ipsi laborauerimus; acriterque aduersus Stoicos, & Mathematicos, & alios, qui fatum tueri conati fuerunt, prius dimicauerimus; nunc demum fatum ipsum admiserimus, & (quod plus est) ex sententia catholicorum Theologorum. Nec solùm aliqua (ut faciunt Peripatetici) sed (quod maius etiam absurdum uidetur) cuncta sicut ex diuina prouidentia disposita sunt; ita fato fieri, et pro temporum, successione explicari singula confessi fuerimus. quæ & si liberè, & contingenter eueniant, quantum uidelicet ad diuinam uoluntatem attinet; quantum tamen ad nos, & ad res ipsas pertinere uidetur; cuncta siue uelimus, siue nolimus, ut à Deo disposita sunt, euenire necessarium apparet; quod in collecta quadam canit etiam Ecclesia. Deus cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur &c. cuncta igitur, quantum ad nos, ineuitabili necessitate euenire dicemus.

AD istam obiectionem, quæ fuit Theologis multis, erroris maximi causa; propter quam decepti fuerunt Priscilianus, Manichæus, Abailardus, & alii (de quibus paulò ante dicebamus) innumeri, inferius respondebimus. non enim nisi post tractationem de diuina prouidentia, & de diuina præscientia, hæc dubitatio explicatè quidem & planè dissolui potest. In quibus si (ut speramus) rerum contingentiæ, & humanæ libertati; quinimmo & fortunæ, & temeritati diuinam prouidentiam non aduersari, ostenderimus: quanto magis, fatum eidem non refragari, ostensum esse putabimus? illhucusque igitur integra dubitationis solutio differatur. Interea duo sunt


à nobis notanda. Vnum in definitione Boethii, qui inhærentem rebus mobilibus dispositionem, fatum dixerit: quo uerbo omnis ab ipsis rebus, & rerum euentibus fati ineuitabilis necessitas adimi potest. Hæc autem dispositio quæ sit, & qualiter sit in rebus uniuersis intelligenda, inferius cap. XIIII. octaui libri declarabitur. uerbum illud [mobilibus] lib. tertio Contra gentes B. Thomas cap. XCIII, dicebat, Boethium ideo addidisse, ut ostenderet, quòd ordo prouidentiæ à rebus contingentiam, & mobilitatem nō auferat; de qua re inferius opportunius dicemus. Alterū. quòd ex ipsa fati diffinitione, quam nos prius ad catholicorum Theologorum opinionem tradidimus; in qua diximus pro diuinæ uoluntatis prouidentia, res cunctas liberè, & cōtingenter euenire; omnem ineuitabilem in rebus cunctis necessitatem similiter, si in Deum referantur abstulimus. quū uerò causarum nexum temporaneum & contingentem esse diximus, omnem fere ineuitabilis in rebus necessitatis suspicionem, ut etiam ad causas proximas referuntur abegimus. quæ omnia diffusè inferius declarabuntur. Verùm cum iam de fato satis disseruerimus: à quo enim fatum sit, inquirere est superfluum: quòd si de eo, quod asseruerunt Stoici, uel Academici, uel Mathematici, loquamur, nullum sit. Quamuis ad imaginationem loquentes, uel cœlesti uirtute, uel à necessaria causarum connexione illud deducant. si uerò de eo, quod admittunt Theologi: uel sit idē realiter quod diuina prouidentia: uel si diuersum, ab illa dependeat. Vt tempus dependet ab æuo: & id quod fit, ab eo quòd est. quamobrem unde fatum esse habeat; tum ex iis, quæ dicta fuerunt: tum ex illis, quæ de diuina prouidentia dicenda sunt: manifestissimum euadet. Iam igitur reliquum est: cùm id præsertim maximè ualeat, uel ad uim fati penitus declarandam, uel ad nostræ disputationis ordinem retinendum, ut, quæ ad diuinam prouidentiam pertinent, ea persequi incipiamus.

IVLII SIRENII CARRARII HIERONYMIANI, THEOLOGI, ET PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

De Fato liber quartus.

In quo de diuina prouidentia ad philosophantium opinionem agitur.

De diuina prouidentia, Epicuri opinio.
Caput primvm.



ATVM unum eorum est, quæ nostræ disputationis initio, consideranda nobis in primis proposueramus. (De Humano nanque libero arbitrio seorsum agere, iam pridem decreuimus) de quo quidem Fato fusè satis, & dilucidè dictum est, hactenus. Alterum est diuina prouidentia, quæ inter eas causas, & principia, locum maximè habet, quæ mouere cuncta, disponere, moderari, efficereque, existimantur à Stoicis, ab Academicis, à Peripateticis, ab omnibus denique, qui non absurdè philosophantur; quin etiam à nostris grauissimis, & sapientissimis Theologis; uimque inter omnes causas, ac momentum, habere præcipuum & Philosophi & Theologi confitentur; quæ ut potentissimè cuncta, ita sapientissimè administrare, ac temperare creduntur. De diuina igitur
C prouidentia, quoniam de Fato satis multa diximus, reliquum est, ut agamus. Et quanuis de illa, uel mediocriter dicere, arduum adeo, ac difficile est, ut ab instituto planè nos deterreat; atque (quod aiunt) è curru, quo, ut potuimus, hucusque fœliciter admodum properauimus, ferè deiiciat; diuino tamen freti auxilio, sine cuius prouidentia, ne hanc quidem opellam, atque ipsam de diuina prouidentia, quam scribimus, disputationem aggressi aliquando fuissemus; pro institutæ breuitatis ratione, de ipsamet diuina prouidentia, dicere experiemur; cũ eademq; casum, & fortunam, & totam breuiter integramq; contingentiæ naturam stare posse; nulliq; rerum euentui ineuitabilem necessitatẽ afferre; demonstrabimus. Cõsiderandum igitur est, an sit diuina prouidentia; aut etiã quid sit; unde nanque illa sit, nemo hominum, modò diuinam prouidentiam fateatur, dubitare fuit ausus. multis interea in dubium fuit, an diuinæ uoluntatis, uel an potius intellectus diuini prouidentia opus, ita dixerim, & actio esse dicatur. & præterea quibusdam'ne mediis, an per se Deus Mundum curet, & administret uniuersa. Quas difficultates, inter dicendum, obiter quidem, sed præclarè admodum dissoluemus. De iis autem omnibus, quæ ad diuinæ prouidentiæ intelligentiam (quantum proposito nostro sat est) spectare iudicabimus; secundum opinionem Physicorum prius, deinde iuxta catholicam nostrorum rite sentientium Theo-
D logorum ueritatem, considerabimus. Philosophantiũ igitur Epicurei (ut illos interea, qui Deos uel expresſè negarunt; uel an essent, dubitarunt, Non enim de diuina prouidentia, possunt hi meliora opinari; quàm de diis ipsis faciant, omittamus) Epicurei inquam inter eos Physicos qui Deos utcunque admiserunt, diuinam prouidentiam sustulerunt. Eorum etenim princeps Epicurus Neoclis filius, ut ex Posidonio retulit Cicero, nullos Deos esse existimauit; nonnulla licet depellendæ (dixit Firmianus) inuidiæ causa, de Diis aliquando dicere uisus fuerit. Fertur Epicurum quandoque beatæ Naturæ egisse gratias, & ipsi Deo; quòd quæ necessaria erant, fecerit parabilia; difficilia autem paratu, non necessaria. Sed (ut aliàs diximus) uerbo tenus Deos admisit. Cæterum Epicurus, ut lib. secundo de Natura in eorum retulit Cicero, Deos monogrãmos, & nihil agentes commentus est. Epicuros igitur & illi, qui eius placita sequuti sunt, futili admodum uanaque prorsus, ac commentitia persuasi ratione, diuinam prouidentiam penitus abstulerunt; eamque deridentes, anum Stoicorum fatidicam appellauerunt. Ratio à multis & inter alios à Iamblicho ex Epicuro, hæc affertur. Quemadmodum sine labore, & sine aliqua sollicitudine, non potest esse apud nos, qui corpulenta hac mole constamus, prouidentia; ita neque apud Deos, quos ad Epicureorum opinionem, si tamen ad eorum, opinionem, utcunque aliqui sint

sint corpore aliquo constare, credibile est, sine negotio, & molestia aliqua, eam posse esse illi exi- E
stimauerunt. negotium autem, & labor, & solicitudo impedimenta quædam uidentur esse fœlicitatis. Quamobrem ne Deorum beatitudinem aliqua molestia inficerent ac perturbarent; ab eis omnem de rebus quibuscunque siue æternis, siue non æternis prouidentiam relegauerunt. Rationem istam cap. XXVII, libri de Mysteriis Iamblichus tetigisse uisus est. Lactantius ad principium libri de Ira Dei, in hunc modum Epicuri rationem posuit, ac conformauit. « Quoniam caret Deus ira, caret propterea & gratia, & beneficentia. « Ne illi igitur uitium, idest iram concederet Epicurus, « uirtutis etiam eum fecit expertem. Ex hoc intulit Epicurus beatum, & incorruptum esse Deum; « quia nihil curat; nec habet ipse negotium; nec alteri exhibet. Hucusque, inquit Lactantius, « peruenit Epicuri ratio. cætera, quæ sequuntur obticuit scilicet, quia nec cura, nec « prouidentia in eo est; ergo nec cogitatio aliqua, nec sensus in eo est ullus. quo efficitur; ut nec sit quidem. Epicuros sequuntur Metrodorus, Xenophanes & alii quamplurimi philosophantium; quorum dogmata nonnulli sunt etiam Poetæ sequuti, ut Ennius; qui, inquit,

» *Ego, Deum genus esse semper dixi, & dicam cœlitum;*
» *Sed eos non curare, opinor, quid agat humanum genus.* F

Et Euripides, & Menander, qui, ut Nemesius refert, uniuscuiusque intellectum unicuique, Deos uerò nemini prouidere asseruerunt.

Epicuri opinio ex Firmiano, & Cicerone improbatur. Cap. II.



Verum enimuero aduersus Epicurum instat Firmianus, primò. Quoniam uno modo sentire, & alio modo scribere, deceptoris est, & bilinguis, & mali hominis, & stulti. Sentit autem Epicurus eos non esse, sed ad depellendam tantùm inuidiam eosdem esse confitetur. est igitur bilinguis, & deceptor, si eos Mundum non curare, persuadere conatur. Secundò. Quoniam etsi quo ad rationem modo posteriore, hoc est modo illo, quo à Firmiano superius deducta est, ex priori sequatur posterius; quia in rebus, ut idem ait, diuersis; aut in utranque partem moueri necesse est, aut in neutram. Idem nanque (ut in scholis Philosophorum frequens est) G utrique contrario ex eorum natura subiectum debetur, quia tamen id, quod prius positum fuit falsum est, scilicet non irasci Deum; ideo & quod postea illatum est, non esse illum benifium, falsum erit.

Tertiò, In alio etiam ratio Epicuri peccauit, quòd ex re minus nota processerit ad magis notam; cum ex principiis Dialecticorum contra sit procedendum. Deum nanque benefacere & gratia moueri, est quid magis notum; & ab omnibus mortalibus magis admissum; quàm eundem non irasci. Contrà propterea argumentandum erat. Deus gratia mouetur; ergo & irascitur. Aduersus etiam rationem modo priore deductam, idest modo illo quo eam Iamblichus deduxit, multa obiici possunt, ut quòd Dei corpore aliquo constent; inter diuinam & nostram prouidentiam sumpta similitudo; quod negotium, & solicitudo, idest diuina actio, sit fœlicitati impedimentum, & alia multa; ut undique erroribus scateat Epicuri ratio. quam siue ex Firmiano, siue ex Iamblicho erexeris, hæc carmina complectuntur.

» *Omnis enim per se diuum natura necesse est,*
» *Immortali æuo summa cum pace fruatur;*
» *Semota à nostris rebus seiunctaq; longe.* H
» *Iam priuata dolore omni, priuata periclis,*
» *Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri;*
» *Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur ira.*

Quòd autem Epicuri, & eorum, qui illum sequuti sunt, opinio, & falsa, & impia sit; & quòd Mundum Deus curet, & huius nunquam procurationem intermittat; facilè quiuis, contra ineptam ipsius Epicuri rationem sublatis tantùm in cœlum oculis perspiciet. Quin etiam diligens lector multa, aduersus istam planè impiam opinionem, tam ex illustrium Philosophorum monimentis (nam Theologorum rationes, ad quintum usque librum distulimus) quàm ex iis, quæ sensu percipi possunt; colligere poterit; idque cum ex hoc toto opere, tum præsertim ex aliquot, quæ deinceps consequentur capitibus. si quis autem plura cupiat, is adire poterit Alexandrum in libro de Fato, eundem in Quæstionibus naturalibus, Plotinum in tractatu de Prouidentia, Senecam in libello item de Diuina prouidentia, & alios quàm plurimos; ex nostris etiam Theologis Lactantium de Ira Dei, & de Opificio Dei, Theodoretum, Dionysium Areopagitam, Hieronymum, Augustinum, & alios innumerabiles. Nos autem præsenti capite, postquam Lactantii obiecta retulimus, tantùm quid Cicero lib. primo de Natura Deorum, contrà hanc ipsam opinionem scriptum reliquerit, referemus. Sunt (inquit) Philosophi, & fuerunt, qui omni- »

no

A no nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos. Quorum si uera sententia
» est; quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio? Hæc enim omnia purè, ac castè tribuen-
» da Deorum numini ita sunt, si animaduertuntur ab his, & si est aliquid à Diis immortalibus ho-
» minum generi tributum. Sin autem Dii neque possunt nos iuuare; nec uolunt; nec curant om-
» nino; nec (quid agamus) animaduertunt; nec est, quod ab his ad hominum uitam permanare
» possit: quid est, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie
» autem fictæ simulationis, sicut reliquæ uirtutes, ita pietas inesse non potest; cum qua simul & san
» ctitatem, & religionem tolli necesse est. quibus sublatis, perturbatio uitæ sequitur, & magna con-
» fusio. Atque haud scio, an pietate aduersus Deos sublata; fides etiam, & Societas humani gene-
» ris, & una excellentissima uirtus iustitia tollatur. Hæc Cicero. qui ergo Deorum prouidentiam tollunt; pietatem, sanctitatem, religionem, fidem, societatem, iustitiam, bonitatem denique omnem ab Orbe uniuerso auferunt; resque humanas (Nam sine religione, inquit Firmianus, uita hominum stultitia, scelere, immanitate completur) in perturbatione, ac confusione maxima constituunt; susque deque omnia miscent, confunduntque, atque cuncta tam diuina, quàm humana permiscent, simulatque perturbant.

B

Diuina prouidentia, non contra Epicureos solùm; sed aduersus eos omnes, qui uel eam de medio tollere sunt conati; uel eandem non esse, opinati fuerunt: physicis, & ad sensum ferè manifestis rationibus, comprobatur, & primo ex communi hominum existimatione. Cap. III.



Qvamvis sapienti uiro diuina prouidentia, & humanarum rerum apud Deum procuratione est nihil notius; quod impii tamen atque scelesti libentius impugnant: quodque magis tollere, euertereque conantur, quàm diuinam prouidentiam, est nihil. Etenim ut suis sceleribus improbi faueant; & sua peccata prophani homines defendant (quid enim, dicebat Atticus ille Platonicus, non audet ille, cui Deorum prouidentia non est persuasa?) & improbitatem suam scelesti tueantur: Deum uel non esse, uel si est, non posse, uel si potest non uel

C le ista curare; sed abiicere ea; atque negligere; & sibi ipsis, & aliis pro uirili persuadere conantur. Aduersus igitur uanam horum cuius cuius sectæ, & cuius cuius generis hi sint, hominum improbitatem, & improbam uanitatem nefariamque impietatem, instituta est huius capitis & aliquot sequentium disputatio. Neque uerò cum his auctoritatibus aut rationibus Theologicis, quas irridere impii homines facilè potuissent, & abiicere, sed physicis, idest uulgatis, & ad sensum ferè notis congredi uoluimus. Hoc enim pacto repræhensionem illam uitabimus, in quam, & Firmiano lib. quinto Aduersus gentes: & B. Hieronymo ad Magnum quendam oratorem romanum Cyprianus eloquentia, atque martyrio clarus, uisus est incurrisse. cum enim Demetrianum ueritati (utar uerbo illius) obstrepentem ac oblatrantem Cyprianus redarguere conaretur: scripturæ testimoniis, quam ille fictam, & commentitiam putabat, & floccipendebat, non argumentis, & rationibus usus est; & iis, quæ ille recipiebat, gentium monumentis. Hostes nanque diuinæ prouidentiæ iisdem, quibus utuntur, armis prosternendi sunt.

Prima igitur sit nobis illa ratio; qua, ea prorsus non esse falsa censent cum Arist. multi sapientissimi uiri; quæ omnium ore uulgantur. Vox Naturæ est, quidquid suapte natura in hominum

D animis residet: atque omnes gentes, & omnes nationes diuinam prouidentiam confitentur. Nempe in rebus aduersis, diuinum omnes auxilium implorasse; & secundos, ac prosperos euentus supplicationibus procurasse; ex monumentis historiarum satis constat. siquidem Romani, Athenienses, gentesque cæteræ, omnibus in rebus siue inchoandis, siue perficiendis, & oracula sciscitabantur; & iis, quos putabant Deos, sacrificabant; ut pote à quibus bona uel mala, hominibus prouenire existimarent. sed historias, & annales mittamus. Quis in subita spe, uel repentino metu, numen aliquod non inuocat: cuius auxilio se uoti compotem fieri posse, credat. Quis in quopiam uitæ suæ periculo constitutus, non manus (ut potest) moueat, & nocitura propellat? sed quid hoc facere aliud est, quàm diuinam prouidentiam confiteri; & in auxilium Deos uocarem? iuxta ueteris senarii sententiam.

» Τὴν χεῖρα προσφέροντα τὸν θεὸν καλεῖν. hoc est. Qui manum admouet, deum inuocat.

Sed ne tibi ratio, ex communi hominum existimatione petita, leuis uideatur: memineris, Aristotelem, multis in locis, communi hominum opinioni tantùm tribuisse; ut in lib. decimo Moralium, eos nihil dicere asseruerit, qui bonum id esse, quod omnia appetunt, negauere. Quòd communi de bono existimationi, & ab omnibus ferè approbatæ, eiusdem diffinitioni illi aduer-

aduersarentur. Verba Aristotelis in Libr. decimo Ethicorum cap. II. Hæc sunt. οἱ δ᾽ ἐνιστάμενοι ὡς οὐκ ἀγαθὸν οὗ πάντες ἐφίενται, μὴ οὐθὲν λέγουσιν, ὃ γὰρ πᾶσι δοκεῖ, τοῦτο εἶναι φαμέν, ὁ δ᾽ ἀναιρῶν ταύτην τὴν πίστιν, οὐ πάνυ πιστότερα ἐρεῖ. hoc est. qui negant bonum id esse, quod omnia appetunt, ii nihil penitus dicunt, id enim quod uniuersis uidetur, esse dicimus. qui autem fidem hanc tollit, non ualde credibiliora dicet; quanto igitur magis eos nihil dicere, & minus credibilia afferre, dicendum est; qui. Deorum prouidentiam negant? quam omnes, deliris quibusdam, & iis paucissimis exceptis, & uerbo, & re ipsa confitentur. E

Secunda ratio ad diuinam prouidentiam asserendam adducitur, & hæc ab actione, quæ est cuiusque rei naturæ propria, sumitur. Cap. IIII.



SECVNDA ratio sit illa, propter quam lib. secundo de natura Deorum, Philosophi (inquit Cicero) diuinam asseruere prouidentiam. Nam uel Deos esse, negandum est: aut, si illos esse confiteamur, fatendum est etiam, eos aliquid agere. Mihi enim (inquit rectè Cicero) siue ille Ciceronianus Balbus Lucilius, F qui nihil agit, esse omnino non uidetur. Sunt enim (inquiunt Peripatetici) ea, quæ sunt; ut pro ratione naturæ suæ singula aliquid agant. Si ergo aliquid Dii agunt: illud, quòd agunt, præclarissimum esse oportet. At nihil præclarius est Mundi administratione. Deorum igitur consilio administratur Mundus. Quid enim illud est, quod, non solùm secundum communem uulgi existimationem, sed etiam iuxta præstantium illustriumque Philosophorum, sententiam, Mundo, & mundi administratione, uel maius, uel excellentius excogitari potest? Quòd si Dii non torpent ignaui & segnes; sed aliquid semper agunt (Agere nanque non ociari agentis naturæ rationem, & præstantiam indicat) cum actio, ex rite Philosophantium disciplinis, formæ agentis naturam, & qualitatem, atque præstantiam consequatur; excellentissimæ Deorum naturæ, quæ operatio nisi excellentissima, & quis agendi modus, nisi excellentissimus ascribi poterit? at rursus quid Mundi est administratione excellentius? quid augustius?

Tertia ratio ad diuinam prouidentiam asserendam ex Mundi constitutione sumitur. Cap. V. G



TERTIA ratio sit ista. Mundus quàm optimè effici potuit, effectus est. Mundi igitur partes ita constitutæ sunt; ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores. Argumentum ex uulgatissima illa summulistarum, regula; facillimè cõprobari potest; qua dicitur. rationem illam ualere, cuius oppositum consequentis repugnat antecedẽti. Si nanq; Mundi partes & meliores, & pulchriores potuissent esse; non fuisset factus Mundus quàoptimè poterat effici: at meliori modo quo effici potuit, effectus est: nõ ergo casu & temere, sed diuina sic moderante prouidẽntia, sunt partes Mũdi constitutæ, & administratæ. Non est cur multũ laboremus, ad ostendendam assumpti rationis adductæ ueritatem, cum præsertim id uberius in Timæo declaratum sit à Platone. Cui sanè in plerisque Philosophiæ locis, ille naturæ interpres Arist. subscripsit. ut lib. VIII. Phisycarum auscultationum, parte LVI. lib. II de Cœlo & Mundo, H parte XXXIIII. lib. II. de. Generat. & Corrupt. parte LIX. lib. II. cap. XIIII. lib. III. cap. IIII. li. IIII. cap. X. de Partibus animaliũ. & sexcentis aliis locis, in quib. Naturã semper quo ad eius fieri potest, rei melioris, & nobilioris esse auctorem asseruit. Quamobrem illius interpres Auerr. lib. nono Metaphysicæ. com. XVI. ita ex interprete scriptum reliquit. Natura non cessat mouere "
rem: donec perueniat ad ultimam perfectionem. Eidem sententiæ Theophrastus Arist. discipu- "
lus libello Metaphysicæ, cap. VI. subscripsit. Quinimmo Ioannes Scotus maximus certè Theologus, & in lib. secundo Theologicarum sententiarum, distinct. II. quæst. XI. & in lib. quarto distinct. XLV. Quæst. II. ubi Naturam esse, quantum fieri potest, dignificandam asseruit, dictum Aristotelis confirmauit. Lactantius lib. de Opificio Dei, considerans, inquit, conditionem rerũ "
intelligo, nihil fieri aliter debuisse, quàm factum est; ut non dicam potuisse: quia Deus potest "
omnia; sed necesse est, quòd illa prouidentissima maiestas id effecerit; quod erat melius & re- "
ctius. Hæc Lactantius. desipit igitur penitus ille, atque iterum desipit, qui secus opinari audet: "
egetque (ut de eo, qui ignem negaret esse calidum, dicebat Arist.) pœna, uel sensu: nec Mundi particula, cuius curam Deus gerat, esse meretur. Reprehendebat aliquando, ut in fabellis cuiusdam docti uiri alias legimus, quod tum ioci, tum Mundi à Deo optimo Max. administrationis singula-

A singularumque eiusdem partium legitimæ distributionis confirmandæ gratia sit dictum, hunc rerum, quem in Mundo latè conspicimus, ordinem, singularumque in eo partium distributionis rationem nescio quis, qui in fruteto quodam recreandi animi causa deambulabat: quòd cucurbitæ, pepones, cucumeri, & id genus alii amplæ magnitudinis fructus humi reperent; pyra uerò & mala, castaneæ, & amygdalæ, & omnis generis & nuces, & fructus alii nullius ferè quantitatis, & molis, in excelsis arboribus ederentur: cum contrà rerum omnium parens Deus paruos fructus humiles, magnos uerò sublimes editosque, quòd ad Mundi ornamentum isti maximè facere uideantur, collocare debuisset: sed ecce interloquendum, perexiguum pyrum in huiusce caput decidit: quod sanè cùm liuoris aliquid ita obloquenti, & tumoris, & doloris induxisset; tunc ille demum benè cuncta Deum administrare confessus est. si nanque pyrum hoc, cucurbita uel pepo fuisset, me aiebat, dubio procul decollasset, atque interfecisset.

Adde, quòd si meliori modo effici mundus poterat, quàm sit effectus: uel impotentem, uel inuidum mundi auctorem Deum esse, necessariò sequeretur. Quod absurdum nemo, nisi absurdissimus pateretur.

B

Ad diuinam prouidentiam asserendam, quarta ratio, quæ ex naturæ supra artem præstantia sumitur. Cap. VI.



Quarta illa accedat ratio. Meliora sunt ea, quæ naturà constare uidemus: quàm illa, quæ arte perfecta sunt: cùm ars, ut sæpè monuit Arist. & constat experientia, sequatur tantùm, non etiam assequatur naturam. Sed ars quidquam non efficit sine ratione, & sine prudentia, atque (ita dixerim) prouidentissima prouidentia. Non est igitur rationis, & prouidentiæ expers habenda rerum natura. Qui nanque conuenit (inquit Cic.) signum, aut tabulam pictam cum asperxeris, scire adhibitam esse artem; cumque procul cursum nauigii uideris, quin » id ratione, atque arte moueatur, non dubitare; aut cùm solarium, uel descriptum, aut ex aqua » contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu; Mundum autem, qui & has ipsas artes, » & earum artifices, & cuncta denique complectitur; consilii & rationis esse expertem putare? At » si diuinam administrationem, & Deorum à rebus prouidentiam secluserimus: quæ in natura, uel » excogitari poterit ratio; per quam, ea quæ à natura fiunt, administrari dicantur?

C Hanc quidem rationem, quæ pulcherrima, & imperitorum hominum rudioribus ingeniis accommodatissima est, confirmamus exemplo. Nam si quispiam sphæram illam, quam uel Archimedem Syracusanum, uel Posidonium celebratissimos Mathematicos olim ex ære constituxisse, antiquiores tradiderunt: quæ & Solis, & Lunæ, & omnium tam errantium, quam inerrantium siderum conuersiones, & motus omnes cœlestes: quantum ars patitur, æmulabatur: qualem etiam fortasse lib. XL. Historiarum, apud Paulum Iouium, Ferdinandum, tunc Vngariæ Regem, nunc Christianæ Reipub. summum Imperatorem nostris temporibus, Budam Solymano Turcarum principi dono misisse legimus, intueretur, non'ne artem, artis rationem, rationis, prudentiam: prudentiæ opificium, & opificis in opificio prouidentiam etiam atque etiam suspiceret idem, atque admiraretur? Sed ars naturam tantùm (ut diximus) sequitur; assequitur uerò nunquam. Quomodo igitur non maiori, atque longè incomparabili artificio, prudentia, & prouidentia Mundum regi uniuersum, & circumferri, non affirmabimus? Num plus dicemus ualuisse, in imitandis sphæræ conuersionibus, Archimedem, uel Posidonium: quàm naturam in efficiendis? præsertim cùm multis partibus sint illa perfectiora, quàm hæc simulata solertius? An cum

D machinatione quadam moueri aliquid uidemus, ut sphæram, horologium, machinas illas prægrandes, quibus sericum tam commodè nent uiri egregii Bononienses, ut ex septem, & sæpè decem millibus perforatis cannis, fericia fila perbellè simul deuoluantur; uel etiam ligneam illam columbam, quam Architas Tarentinus fecit, librauit, inflauit spiritu, adeo ut uolaret. Deorum statuas, quas (ut tradit Mercurius) Aegyptii sic construebãt, ut loquerentur, & irent, & alia id genus permulta; non dubitamus, quin illa opera sint rationis & quidem non exiguæ: cum autem impetum cœli admirabili cum celeritate, certissima cum ratione, moueri, uertique uideamus; ac statis temporibus constantissimè conficere uicissitudines anniuersarias, uer. æstatem, autumnum, hyemen; cum summa salute, & conseruatione rerum omnium; dubitabimus; quin is, non solùm ratione fiat, sed etiam excellenti quadam diuinaque ratione?

Confirmari rursus potest hæc ratio, ex ratione illa Chrysippi, per quam atomorum Leucippi, Democriti, Epicuri, & sequacium uanitatem & temeritatem libro De Ira dei reprehændebat Lactantius. Ex qua etiam ratione, quid per naturam (quo nomine tum sæpè alibi, tum in iis rationibus, quas ad diuinam demonstrandam prouidentiam adhibuimus, non raro usi fuimus) intelligendum sit, doctissimè declarabitur. Est igitur eiusmodi ratio. si quid est quod efficiat ea,

quæ homo, licèt ratione sit præditus, facere non posit: id profectò est maius, & fortius, & sapientius homine. Homo autẽ non potest cœlestes res facere, & cœlestia corpora; ergo illud, quod E
hæc efficiet uel effecerit, superat hominem arte, consilio, prudentia, potestate. Quis igitur potest is esse nisi Deus? Natura uerò, quam ueluti matrem esse rerum putant, si mentem nõ habet: nihil efficiet unquam, nihil molietur. Vbi enim non est cogitatio, nec motus est ullus, nec efficacia. Si autem consilio utitur ad incipiendum aliquid, ratione ad disponendum, arte ad efficiendum, uirtute ad consummandum, potestate ad regendum, & continendum, cur natura potius quàm Deus nominetur? Vtique Deus cum inchoaret hoc opus mundi; quo nihil potest esse nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec maius ad molem; quæ fieri ab homine non poterant, fecit ipse; in quibus etiam hominem ipsum, cui particulam de sua sapientia dedit; & instruxit cum ratione; quantum fragilitas terrena capiebat; ut ipse sibi efficeret, quæ in usus suos essent necessaria. Si uerò in huius Mundi (ut ita dixerim) republica, nulla prouidentia est, quæ regat; nullus Deus, qui administret; unde igitur mens humana tam solers, tam intelligens orta esse credetur? hactenus Lactantius.

Ad diuinam prouidentiam astruendam ratio quinta; quæ ex singularum partium in plantis uel animalibus distributione sumitur. CAP. VII. F



VINTA ratio sit illa; quæ ex admirabili rerum singularum, plantarum præsertim, & animalium structura, ducitur. Plantæ etenim, & animalia summa ratione sunt fabricata; summa prouidentia, quod sensu patet, & experientia, sunt administrata. Hæc igitur ratio & hæc prouidentia, ut alicuius sit, necessarium est. Sed amabo cuius? nullius certè, nisi diuinæ naturæ ratio, & prouidentia esse potest. In arboribus quippe, & in animalibus, & in cæteris huiusmodi natura constantibus; nihil temerarium, nihil non ordinatum, nihil non sua ratione firmatum, nihil non affabre administratum conspicitur. Quis enim naturæ prouidentiam in singulis non admirabitur: modo ad eorum considerationem animum intendere paulisper uoluerit? Radix à natura plantis exhibita est, ut commodum illæ ex terra, ad sui nutritionem, attrahant alimentum: quibus, ut per singulas partes, aptè illud distribui posset, uenas aptauit. G
Radicis diffusione sedem arboribus immobilem, & constantem fecit; quo uentorum, & imbrium procellis resistere omnino possent. Corticem præterea eas superinduit, & eum quidem aliquando duplicem; ut ab æstibus uel rigoribus essent tutiores. Folia eisdem tribuit; quibus uel ab imbribus, uel à Solis ardoribus, teneri, ac molles fructus protegerentur. semina uerò, in quibus posteritatis, & perpetuitatis spes omnis collocata esse uidebatur, quali, ac quanto cuncta præsidio muniuit? mitto dicere quanto ingenio, sagacitate, & prouidentia flores, florum colores, colorum uarietatem, & elegantiam, cum incredibili sæpè odoris fragrantia conuinctam, natura produxerit. Vt hinc potissimum maximus Philosophus Plotinus, quod etiam libro decimo de Ciuitate B. Augustinus notauit, ad hæc usque terrena & ima pertingere diuinam prouidentiam comprobarit. Adde, quòd speciei sæpe deformitatem fructus utilitate pensauerit; quod cum in multis plantis, in uite præcipuè potest esse manifestissimum. Sed uenio ad partes animalis. Nempe qui libros de Vsu partium Galeni doctissimos legerit; non solùm in fabricandis animantibus, homine præsertim, naturæ diligentiam contemplabitur; sed diuinam in singulis partibus & producendis, & suo quibusque loco, & ordine constituendis, ex ipsis membrorum, & singularium partium officiis, & usibus, solertiam, ac prouidentiam, & suspiciet, & admirabitur. H
Cuiuslibet nanque partis sedem, tutelam, officium, rationem, nexum, complexionem, temperamentum, & alias conditiones, & qualitates, sine admiratione, & stupore considerare, qui sit mentis compos, profectò poterit nemo. Omnia ita disposita, ita nata, atque ita locata sunt; ut nihil eorum superuacaneum sit; nihil ad uitam retinendam non necessarium. Non'ne (ut interea prætereamus innumera) mirum est in omnibus nostri corporis partibus uenas, & arterias ita propinquas constitutas fuisse; ut se etiam attingerent; in cerebro autem, quòd huiusmodi uasorum continuata propinquitas maximo erat futura detrimento, tantùm fuisse seiunctas, quantum ex anatome conspicitur? Libro nono commentationum de Vsu partium cap. v, In omnibus (inquit ex interprete Galenus) partibus, ita sunt propinquæ uena, & arteria; ut etiam se inuicem attingant; in cerebro autem, quoniam melius erat ex diuersis regionibus, aut potius omnino contrariis, illas in ipsum cerebrum innasci, & applicari; non'ne mirabimur prouidentiam Creatoris? quippe qui à corde per thoracem, & totum collum, uenas cum arteriis usque ad ipsum caput simul cum eduxisset; inde arterias ad retiformem plexum, uenas autem ad extremam capitis summitatem deduxit. Hæc Galenus. Quid de admirabili neruorum illorum, qui à medicis reuersiui appellantur, constructione dicemus? referam tantùm, quæ idem Galenus

A nus libro decimosexto præfatarum de Vsu partium commentationum dicit. Verbis quidem (inquit rursus ex interprete Galenus) difficile est, tantam artem interpretari. Incredibilis enim est naturæ solertia in huius flexionis inuentione; ut nisi quis eam uiderit; fabulari potius, quàm uera dicere eum putet; qui hæc exponere aggredietur. hactenus Galenus. Rem ego Andrea Vesalio incisore præstantissimo demonstrante cognoui; quæ, si quando eam mente contemplor; ita mihi naturæ solertiam, atque de humanis rebus diuinam Physicè prouidentiam, & persuadet, & demonstrat, ut nihil magis. Sed quid in una uel altera humani corporis parte declaranda diuina prouidentia diutius moror? Circunspice, obsecro, inquit ex interprete D. Basilius, totius corporis opificium. Quis tam pulchræ imaginis conditor? Quis oculorum pictor? Quis nares, auresque tornauit? Quis labia distendit oris? Quis neruos tetendit, atque ligauit? Quis irrigauit uenas? Quis ossa congessit solida? Quis carnem pellicula tenui circuntexit? Quis digitos articulosque discreuit? Quis fundamenta pedum extendit? Quis perforauit poros, atque meatus aperuit? Quis splenem coegit, atque compressit? Quis Pyramidis impressit cordi figuram? Quis iecoris texit fibras? Quis pulmonum sculpsit fistulas? Quis aluo capacem amplitudinem tradidit? B Quis honoranda corporis membra in propatulò figurauit? Quis obscœna in obscuro prorsus abdidit? eaque aspectu cernentium uoluit secreta iacere? Vide quot diuinæ artis opera, in una materia, demonstrantur; singulaque pulchrè ac rectè dimensa, nec non propriis inuicem officiis differentia. Si igitur imaginem, si statuam, sine fabro, & pictore, sine arte, & ratione fieri nullus asserere audeat; humanæ huiusmodi quàm decentissimæ constitutionis, & tanti singularum partium ordinis auctorem. Deum Opt. Max. auctorisque prouidentia negabimus? Hanc eandem rationem uoluit nobis significare B. Aug. lib. secundo de Lib. arb. cap. XVII, cum ostendit primam formam esse incommutabilem; & per eam mutabilia cuncta subsistere; quoniam habent (inquit) ab illa formam; qua subtracta, nulla sunt. sed inde habent, ut formarum suarum numeris impleantur, & agantur. Et subdit, ipsa est eorum prouidentia. Non enim ista essent, si illa non esset. Hactenus Augustinus. Hanc rem euidentius in priore ad Corinth. cap. XII, Apostolus indicauit, inquiens. Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut uoluit. Vnde antiquiores sapientes totam hominis fabricationem considerantes, non temerè illam esse conclusere; sed eam admirantes καλὸν ποίκιλμα σοφοῦ τέκτονος iudicauere, hoc est, prudentis fabri pulchrum opus uarium. Si igitur uitis, abietis, aut etiam uilioris plantæ procreatio, nutritio, augumentatio, uel fœcunditas, & partium digestio, ingentem; si equi, uel C hominis constitutio, & tum singularum in eis partium, tum certæ in singulis partibus uirtutis distributio, & ornatus maiorem; si totius denique animantis miranda quædam administratio, maximam naturæ solertiam latissimè prædicat, ac demonstrat; quantam (quæso) ipsius Mundi atque Orbis uniuersi & constitutio & administratio (modo acrius rem perscrutari uoluerimus) artem, solertiam, & prouidentiam intelligenti demonstrabit? Aut igitur nihil esse, quod naturæ, & Deorum solertia eueniat, & regatur; aut Mundum maximè diuina regi administratione, & prouidentia erit confitendum. Etenim qui reliquas naturas omnes, earumque semina, tanta cura, ac prouidentia intra se teneat; quomodo potest ipse non aliqua solùm, sed maxima etiam prouidentia non administrari? Illum enim (dicebat Cicero) qui dentes & hominis pubertatem natura dicat existere; ipsum autem hominem, cui existant ea, non constare natura; quis non irrideat; adde. & ex omni philosophantium schola, ac peritorum simul hominum cœtu, non exsibilet? Quis adeo stupidus est; ut non intelligat ea, quæ efferunt aliquid ex se, perfectiorem habere naturam; quàm ea, quæ ex iis efferuntur? Omnium autem rerum, quæ in hac mundi machina, atque in Orbe ipso uniuerso sunt, seminator, & sator, & parens (ut ita dicam) atque e- D ducator, & altor est ipse Mundus; omniaque sicut membra, & partes suas intra se continet, & nutricat. Si igitur mundi partes singulas solerti consilio ac diligenti quadam naturæ industria, atque sagacitate administrari uidemus; Mundum ipsum uniuersum prouidentia destitui existimabimus? Qui sanè quanto consilio regatur, nullo consilio, nullaque ratione assequi possumus.

Ad diuinam prouidentiam confirmandam sexta & ultima ratio; quæ ex elementorum & simplicium corporum dispositione sumitur. Cap. VIII.



SEXTO, Ea non est prætermittenda ratio; quòd cùm corpora illa maxima, quibus Orbem uniuersum constare potissimùm philosophi asseruerunt, elementa quatuor, & cœlestia octo, uel plura; ita à natura constituta sint; ut eorum duo, quæ uel eiusdem quantitatis & amplitudinis; uel eiusdem naturæ penitus, & dignitatis, & excellentiæ sint, reperiri non possint; Eo ordine singula ab ipsa natura, atque ab ipso rerum omnium auctore Deo Opt. Max. disposita sunt; ut quod maius, & amplius est, & sua natura præstantius; reliqua, quæ mino-

 ra,

ra, ac minus præstantia sunt corpora contineat, & complectatur, ac ueluti foueat. Quamobrē firmamentum continet orbem Saturni, quod quia supremum orbem putauit Arist., illud propterea lib. octauo Physicarum auscultationum, totius uniuersi cor, idest partem præstantissimā esse affirmauit; quòd complecteretur, animaret, foueretq; intra se omnia. Saturnus Iouis, iste Martis, hic uerò Solis, hic Veneris hic Mercurii, hic tandem orbem Lunæ; Luna similiter ignis sphæram circumambit, ac fouet; ignis aerem, aer aquam complectitur; nec hucusque à suis ordinibus, hanc rerum administrandarum artem, & singularum partium distributionis rationem deflexam uidemus; aqua sola, quæ & quia maioris quàm terra magnitudinis, est (quanquam non desunt, qui secus opinantur, sed mihi quidem, ut uidetur, errant, ut inter recentiores Hieronymus Cardanus, uir alioqui doctus, & eruditus) & quia natutam sortita est præstantiorem. Est enim terra leuior, terræ molem erat undique complexura; illam tamen non complectitur, non ambit, non continet. Quid hunc in natura, & in tot reliquis amplissimis Mundi partibus omnibus, in corporibus inquā cœlestibus cunctis, atque elementis, constantissimum ordinem in solis aquis euariat? Quid prohibet, ne aquæ terram obruant? Quid aquis terras ipsas, repugnante earum natura, eminere, atque, ita dixerim, supernatare docuit? Nempe nil aliud quàm diuina prouidentia; de uita scilicet, & salute animalium omnium, in primisq; hominum solicita. In cuius etiam unius honestum commodum, ea tum inuenta, quæ in Orbe uninerso sunt, tum parata omnia esse creduntur. E F

ASSERERE profectò quod nonnulli alioqui peritissimi certè uiri fecerunt, Boreales stellas, & quia plures, & quia maiores sunt, quàm sint stellæ poli Austrini; ad se sua caliditate, hanc terræ partem, quæ aquis discooperta est, uel attrahere, uel ita exiccare, ut hæc terræ pars sua siccitate aquas obsorbeat, somnium est potius hominum, quàm ratio tantæ, tamque admirabilis rei. Qui enim norunt isti rem ita se habere; si stellas Austrini poli conspexerunt nunquam?

ADDE, quòd qui Oceanum ultra æquatorem nauigarunt, & stellas poli illius diligenter conspexerunt, eisdemque (ut nautarum est) usi fuerunt, illas & plures, & maiores, insignioresq; esse affirmarunt; quàm sint stellæ uerticis huius nobis semper conspicui; ut tantæ demum tamq; admirandæ rei sola, & uniuersa causa sit ipsa, quam diximus, diuina prouidentia. Quemadmodum enim (ut & exemplo, & uerbis Lactantii lib. de opificio Dei utar) si quis peritus architectus cum magnum aliquod ædificium facere constituit; primo omnium cogitat, quæ summa « perfecti ædificii futura sit; & ante emetitur, quem locum leue pondus expectet; ubi magni ope- « ris statura sit moles; quæ columnarum interualla; qui aut ubi aquarum cadentium decursus, & « exitus, & receptacula. Hæc inquam prius præuidet, ut quæcunque sunt perfecto operi iam ne- « cessaria, cum ipsis fundamentis, pariter ordiatur; ita cur Deum quisquam putet machinandis « animalibus, non ante prouidisse; quæ ad uiuendum necessaria essent, quàm ipsam uitam daret. « Quid autem pulmones habentibus spirantibus aere est magis necessarium; quem cum intra aquarum uiscera attrahere nequirent; terras ita aptauit; ut sicut uictum affatim illæ emitterent; ita pro attrahendo ad cordis refrigerium spiritu, terrestres animantes, illas potissimum, quæ pulmonibus præditæ essent, commodè sustentaret, ac eas, quarum uitæ aquarum copia erat obsutura; sine periculo tueretur. G

HAS lib. primo diuinarum aduersus Gentiles institutionum, cap. 11, fere omnes colligens rationes Lactantius ille Firmianus doctissimus ita scriptum reliquit. Nemo est tam rudis, tam feris moribus; quin oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat, cuius Dei prouidentia regatur hoc omne, quod cernitur; aliquam tamen esse intelligat, ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione, nec posse fieri quòd id, quòd mirabili ratione constat, non consilio maiori aliquo sit instructum. Hæc ibi. Et in lib. de ira Dei. H
Nec tanta rerum magnitudo, tanta dispositio, tanta in seruandis ordinibus temporibusq; constā- « tia, aut olim potuit sine prouido artifice oriri; aut constare tot sæculis, sine incola potenti, aut « in perpetuum gubernari sine perito rectore; quod ratio ipsa declarat. Quicquid est enim, quod « habet rationem, ratione sit ortum necesse est. Ratio autem sentientis, sapientisq; naturæ est. Sa- « piens uerò, sentiensq; natura, nihil aliud potest esse quàm Deus. Mundus autem quoniam ratio- « nem habet, qua & regitur, & constat; à Deo factus est. adde, & per Deum regitur & administra- « tur. Absurda, dicebat Philon libro de Opificio Mundi, opinio est, atque inutilis; Mundum tan- « quam rempublicam, sine magistratu, inducere; cui non præfectus: non præses, non iudex præ- « sit; quem omnia dispensare, gubernareque deceat. Ad principium libri de Prouidentia scriptum « reliquit Seneca. Superuacaneum est, inquit, in præsentia ostendere, non sine aliquo custode tan- « tum opus stare posse; nec hunc siderum certum cursum, & discursum fortuiti impetus esse; & « quæ casus incitat sæpè turbari, & cito arietare. Hanc inoffensam uelocitatem procedere æternæ « legis imperio; tantum rerum terræ, mariq; gestantem, tantum clarissimorum luminum ex di- « spositione lucentium, non esse materiæ errantis hunc ordinem, neque quæ temerè coierunt, tan- «

ta

A ta arte pendere, ut terrarum grauissimum pondus sedeat immotum; & circa se properantis cœli fugam spectet. Vt infusa uallibus maria molliant terras; nec ullum incrementum fluminum sentiant. Vt ex minimis seminibus nascantur ingentia. Hæc Seneca. Boethius quoque lib. tertio de Consol. Philos. prosa XII. Mundus hic, inquit, ex tam diuersis, contrariisq; partibus, in unam formam minimè conuenisset; nisi unus esset; qui tam diuersa coniungeret; coniuncta uerò naturarum ipsa diuersitas inuicem discors dissociaret; atque diuelleret; nisi esset unus, qui quod nexuit, contineret. Non tam uerò certus naturæ ordo procederet; nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret; nisi unus esset; qui has mutationum uarietates manens ipse disponeret. Hoc quicquid est, quo condita manent, atque agitantur, usitato cunctis uocabulo, Deum nomino. Et paucis interpositis. Hic est ueluti quidam elatius, & gubernaculum; quo mundana machina stabilis, atque incorrupta seruatur. Hactenus Boethius. Sed etsi tam Seneca, quàm Boethius & alii multi multa alia ad diuinã administrationẽ confirmandam copiosè prosequantur, nobis tamen ad diuinam ex physicis rationibus prouidentiam probandam, hæc, quæ hactenus adducta fuerunt, sufficiant; quæ & tot, & tanta sunt, atque tam conspicua; ut in meridie (quod est in prouerbio) eos cæcutire dicendum sit, qui diui-
B nam ab Orbe uniuerso administrationem & prouidentiam abiiciunt. Immo ne homines quidem esse, sed bruta; cum nequeant ad sidera tollere uultus; uel magis talpas; cùm oculorum imagines tantùm, non ipsos oculos habeant; fateamur, necessarium est.

De diuina prouidentia Poetarum opinio. Cap. IX.



QVAMOBREM longè rectius quàm faciant Epicurei, & qui Epicureos sectantur; qui diuinam prouidentiam à rebus abigere student; sentire; propiusque, sine dubio, & rationi, & naturæ, atque communi hominum existimationi accedere mihi uidentur Græci Poetæ ferè omnes, Homerus, Sophocles, Diphilus, Epicharmus, & alii multi; inter quos nonnulli doctissimi uiri, repugnante nihilominus docta Nemesii censura, & Menandrum, & Euripidem posuerunt; qui Deos rerum humanarum procurationem habere carminibus cecinerunt. Græcos nostri sunt imitati fermè uniuersi; qui & Elysios campos, & fortunatas quasdam beatorum insulas, atque tartarum, & phlegetontem, & (ut semel dicam) proborum præmia, & improborum pœnas uberrimè decantauerunt. De Homero, Plutarchus, ubi eiusdem uitam enar-
C rat, inquit, quòd Deos cum hominibus conuersantes introduxerit; non solùm oblectandi animi, aut admirationis gratia; sed magis ut hominibus Deorum prouidentiam persuaderet; ostenderetque Deos humana curare, non negligere. Hinc factum est, quòd Iouem, idest supremum Deorum ille sæpe appellauerit tum πατῆρα ἀνδρῶν τε θεῶν τε. hoc est, patrem, hominumque, Deumque, tum ἐὐρύοπα, quasi latissimos habentem oculos, & rebus omnibus etiam minimis prospecturum. Musonius Poeta Deum Mundi φρόνησιν appellauit. quoniam Mundum diuina administrari prouidentia rectè existimauit. Nonnulli Iouem ipsum tribus etiam oculis insignem faciunt; quòd triplicis generis rerum prouidentiam teneat, tum præteritarum, præsentium & futurarum, tum cœlestium, infernarum, & terrenarum. Vnde ab Homero & ab Orpheo non pluto tantùm, sed etiam ipse Iupiter Ζεὺς καταχθόνιος aliquando uocatus est. Orpheus perfectum oculum habere Iouem, & per uniuersum mundum uniuersa inspicere, asseruit: quem aliquando ἄπειρον ὄμμα. hoc est immensum oculum appellauit. Homerus nõnunquam singulis uitæ momentis talem asseruit, mittere Iouem mortalibus mentem, qualem illi habent; lib. secundo de Anima parte quinquagesima supra centesimam ab Aristotele Homeri uersus citantur.

D » Τοῖος γὰρ νοὸς ἐςὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων.
» Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. idest,

Mortalibus hominibus mens adest illa, quam in dies mittit pater hominumque Deumque. Hos uersus ita quidam uerterunt.

» *Mens etenim humana est talis, qualem ipse dietim*
» *Iuppiter attulerit hominum pater atque Deorum.*

PHOCYLIDES diuinum iudicium decantauit, inquiens. ἢν σὺ κακῶς δικάσῃς σὲ θεὸς μετέπειτα δικάσει. Si tu malè iudicaueris, te Deus postea iudicabit. Hesiodus, & si à Proclo illius opinio non probatur, quod Tyrius Maximus in sermone quodam confirmat, homines illos, qui Saturni temporibus, ætate aurea, extabant; quòd probi ferè omnes essent; Iouis decreto corpore isto ostreaceo exutos, in bonos dæmones conuersos credidit; quibus etiam humanarum rerum curam ab eodem creditam fuisse putauit. Virgilius noster diuinam eo usque prouidentiam duxit; ut alienis etiam meritis, ad Elysios campos peruenire posse putauerit. Ideo lib. sexto Aeneidos Sybillam fingit inter alia decantantem.

» *Quique sacerdotes casti, dum uitam anebat;* E
» *Quique pij uates, & Phœbo digna locuti;*
» *Inuentas aut qui uitam excoluere per artes:*
» *Quique sui memores alios fecere merendo.*
» *Omnibus ijs niuea cinguntur tempora uitta.*

Versum illum, Quique sui memores &c. B. Augustinus lib. uigesimo primo de Ciuit. Dei, cap. XXVII, finem uersus, ita exposuit. Mirari autem soleo, etiam apud Vergilium, istam Domini reperiri sententiam, ubi ait. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut & ipsi recipiant uos in tabernacula æterna. cui est & illa simillima; qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Nam cùm Elysios campos Poeta ille describeret; ubi putant habitare animas beatorum; non solùm ibi posuit eos, qui propriis meritis ad illas sedes peruenire potuerunt; sed adiecit, atque ait, Quique sui memores alios fecere merendo, idest, Qui promeruerunt alios, eosq; sui memores promerendo fecerunt. prorsus tanquam eis diceret, quod frequentatur ore Christiano; cùm se cuique sanctorum humilis quisque commendat, & dicit; Memor mei esto; atque ut id esse posit, promerendo efficit. Hæc Augustinus. Ex communi, quam Poetè ferè omnes de diuina prouidentia habuerunt, opinione, & consensu, factum est; ut uariis orbis partibus, uaria ab eisdem ascripta fuerint numina; tanquam eisdem partibus præsidentia, & earundem tutelam habentia. F Cœlo nanque Iouem ascripserunt; cui etiam Saturnum, Cybelem, Mercurium, Apollinem, Martem, Iunonem, Mineruam, Venerem, & alia quamplurima numina adiunxerunt. Mari Neptunum assignarunt; cui addiderunt Amphitritem, Leucotheam, Nereũ, & ingentes Naiadum, Nereidum, Crynetidum, & aliarum id genus nympharum cohortes. Terræ in uniuersum, Ephialtem, Castorem & Pollucem, Herculem, Dionysium, Nemesim & alios. Montibus & syluis Alsitides ascripserunt Nymphas, & Oreadas, & Dryadas, & Amadryadas, & Napeas, & Agapeas. Faunos æquoribus, campisq; latissimis, atque pratis, & Syluanos, & Panes, & Satyros assignarunt. Quin etiam concauis locis Echo: & intimis terræ cauernis ac recessibus Plutonem, Proserpinam, Iaccum, Harpocratem, Hecatem, & alios præfecerunt. Quamobrem Orpheus, ad Musæum.

» Δαίμονας οὐρανίους, καὶ ἀερίους, καὶ ἐνύδρους,
» Καὶ χθονίους, καὶ ὑποχθονίους, ἠδὲ πυριφοίτους.
» *Dæmones cœlestes, & aereos, & aqueos*
» *Et terrestres, & subterraneos, & igneos.*

Nisi forte ad dæmonum naturam, de qua inferius nonnulla dicemus, Orphei carmina referenda sint. G Sed ad tutelam earundem referri possunt, ut singulis Mundi, uel terræ partibus, & maris, uel naturæ corporibus (ut aliàs ostendemus) & animantium speciebus uniuersis peculiaria quædam adesse numina tutelaria, eisdem præsidentia, & prouidentia decantarunt Poetæ. Sed Poetas nunc missos faciamus.

ROMANI ingentem Deorum multitudinem habebant; quos rerum procuratores putabant: inter quos recensentur Dii maiorum gentium Iupiter, Saturnus, Mars, Apollo, Neptunus, Vulcanus. Habebant Deos penates, Iunonem & Mineruam: Deos geniales, Terram, Aquam, Aerem, Ignem, Solem, & Lunam: quibus natali die, quisque sacrum faciebat, quòd rerum gignendarum, producendarumque uim habere crederentur. Habebant Lares priuatarum rerum Deos. Quid plura? Varronem, qui Ethnica numina præcipua conquisiuit diligentia. supra triginta millia commentitiorum numinum reperiisse; qui rebus humanis præsidere, & prouidere credebantur; & annotasse, quidam tradiderunt, Sed Poetas, Romanorumque Deorum multitudinem relinquamus; philosophantium uerò de diuina prouidentia opiniones aggrediamur.

De diuina prouidentia Platonis ex eiusdem interpretibus recitatur opinio. Cap. x. H



POSTQVAM rerum humanarum multis, & illis euidentibus ac firmis rationibus curam, & procurationem Deos habere demonstrauimus, & Poetarum præterea raptim percurrimus opinionem, qui non solùm hæc nostratia Deos curare in uniuersum, sed præcipua quadam diligentia, alia ab aliis procurari dixerunt, & singulis ferè rebus Deos quosdam præsides fecerunt: redeamus iam ad Philosophos, qui rerum naturam longè diligentius quàm Poetæ perscrutati fuerunt; dimissaque nunc Aristotelis, & Peripateticorum opinione, de qua paulò post seorsum accuratius, & uberius dicturi sumus: Platonis, & Academicorum (iandudum autem per Academicos, eos tantùm intelligimus, qui Platonis sunt placita prosequuti.) atque Zenonis, & Stoicorum in hac causa quàm fieri poterit breuissimis, sententiam uideamus:

Plato

Plato igitur longè sanius, quàm faciat Epicurus, & doctius quàm Poetæ faciant; multaque rectius de diuina prouidentia, atque intelligentius sensisse uidetur; qui in lib. decimo de Legibus, in Phædro, in Phædone, in Gorgia, in Sophista, in Timæo, in Epinomide, & alibi sæpissimè diuinam prouidentiam asseruit; & multis eam tum exemplis, tum rationibus, confirmauit: Deosque rerum omnium etiam minimarum curam habere, nihilque illos in Orbe uniuerso negligere, doctissimè rectissimeque existimauit. Cum enim Dii sint; non conuenit (inquit Plato) eos esse otiosos. Ita sane & otium, & negligentiam, quemadmodum otiosos, & negligentes odio Dii habent; at hos habent quàm maximè. Adde quòd otium & pigritia ex duorum altero generari uidetur; uel ex uoluptate, uel ex formidine; siquidem aut uoluptate aliqua allecti, segnes pigrescimus: aut ex timore, ab opere formidantes desistimus; neutrum autem horum de Deo, uel cogitare fas est. Quòd si Dii otiosi non torpent: res ergo humanas, Mundumque uniuersum, cum nihil sit eo excellentius, atque præstantius, curare autem eos decet, quod præstantissimum est, atque omnem & cœlestem, & subcœlestem naturam illi curant, atque administrant. Cumque item omniscii sint (turpe nanque est dicere, Deos aliquid ignorare, quum rerum cunctarum ipsi sint causa) omnia quæcunque in Orbe uniuerso sunt; & non magnas res tantùm (ut qui dam existimauerunt) aut duntaxat paruas; sed maximas quasque, & minimas, & norunt, & uident, & procurant. Marsilius super Protagora, quasi in duas partes diuinam ad mentem Platonis, prouidentiam est partitus: ut summo quidem Ioui ac Deorum principi uniuersalem, idest (sic seipsum alibi, & præcipuè cap. VII, libri Plotini de Pulchritudine, interpretatus uidetur Ficinus) rerum omnium curam, & tutelam ascripserit: quoniam Deus summus omnibus tribuit omnia; in primisque illa, quæ ad bonitatem, & perfectionem, integritatemque maximè totius uniuersi faciant. Dæmonibus uerò particularem, idest rerum earum, quæ ad bonitatem, & perfectionem uerbi gratia hominis, aut bouis, aut uitis, aut abietis, aut etiam unius ciuitatis, uel prouinciæ, & regni, & id genus alicuius singularium rerum faciunt curam, prouidentiamque Plato ascripserit. Gregorius Nyssenus lib. de Prouidentia, cap. III. quem prima parte quæst. XXII. art. III. D. Thomas sequutus est: & Nemesius libro de Narura hominis, capitulo ultimo, Et Plutarchus libro de Fato: quin etiam Ficinus ipse in argumento Apologiæ Socratis: & in libro, quem edidit, de Theologia Platonica, & sæpe alibi; in tria, de mente Platonis, diuinam partiti sunt hi uiri doctissimi prouidentiam. Rerum quidem omnium, sed præcipuè spiritualium causarum, & uniuersalium rerum, & æternarum specierum, atque intellectualium mentium curam summo Ioui ac Deorum principi tribuerunt; harum uerò generabilium, & corruptibilium rerum, non quidem ut generabiles, & corruptibiles, & cum tempore fluentes sunt: sed ut modo quodam æternæ sunt; & in suis quidditatibus, uel ideis, æternitate, siue æuo metiuntur; & motu, ac successione quadam immortales, & perpetuæ sunt; & ut breuiter ad uniuersi incolumitatem quandam potissimùm, & integritatem pertinent; quatenus fœliciter progrediantur singulæ; & fœcundæ uirtutis sint; & motum seruent; curam & prouidentiam quidam Deorum principes habere dicantur; qui Dii secundi uocantur. Nam primo loco est Deus ille summus, qui aliorum Deorum opifex & pater à Timæo dicitur. Hi autem illi sunt, qui corpora cœlestia agitare, ac circulo mouere, & elementa uiuificare, atque (ut uno uerbo dicam) sphærarum duodecim mentes, & animæ dicuntur. Elementa nanque quatuor, diuina quadam anima uiuere sunt opinati, idcirco apud antiquos Deorum quorundam nominibus sunt appellata. Ignem nanque Vulcanum dixerunt, Aerem Iunonem, Aquam Neptunum, Terram Plutonem. At rerum singularium quæ interituræ sunt, ut singularis hominis, uel singularis etiam cuiuspiam naturæ & speciei, & earum similiter rerum, quæ ad unam aliquam singularem speciem, ut humanam, bouinam, ficulneam & huiusmodi aliam spectant; curam, & prouidentiam Dæmonibus, idest minoribus quibusdam Diis relegari Plato putauerit. Ficinus cum sæpe alibi, tum loco paulò ante cita

» to, idest cap. VII. libri Plotini, cui titulus de Pulchritudine, quid de Deorum prouidentia ad opi-
» nionem Platonis sentiendum sit, apertè admodum his uerbis declarauit. In ipso quidem Deorum
» Deo prouidentia est uniuersalis omnino. Nam & omnibus, & omnia prouidet, atque largitur.
» Vniuersalis etiam quodammodo in mente diuina, & anima Mundi; In Diis uerò sequentibus, si-
» ue inuisibiles sint, siue uisibiles; prouidentia quodammodo etiam uniuersalis est; sed conditione
» quadam particulari. Aut enim rebus omnibus munera dant, sed munera quædam; aut dant qui-
» dem omnia, sed quibusdam. In dæmonibus autem prouidentia & particularis est, & conditione
» rursus particulari. Nam & certa quædam munera tantùm, & certis quibusdam rerum generibus,
» regionibusque distribuunt. Neque, sicut Dii, sunt ab omni passione, uel solicitudine, uel affe-
» ctu penitus segregati. Nam ad hæc ipsa, quæ curant, quodammodo declinare uidentur. Adde
» prætera quòd unum quenque Deorum, siue cœlestium, siue subcœlestium dæmones multi sequū
» tur, ut ducem. Hæc ibi. Quid igitur de triplici diuina prouidentia, de qua disserebamus, dicen-
» dum sit; per hæc uerba satis declaratum esse arbitror. Hoc est, puto, quod libro secundo cap.

VIII.

VIII. de Theologia platonica. Proclus uberrimè declarauit: quod item ad Dionysium Tyrannum obscurè admodũ, & sub inuoclucro scripsit Plato ipse cum ait. περὶ τὸν παντῶν βασιλέα πάντ' ἐστὶ, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν, δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα. hoc est. Circa regem omnium omnia sunt, & ipsius gratia cuncta, & bonorum omnium ille est causa; circa secundum uerò, secunda: & circa tertium, tertia. Eadem uidetur Iamblichi cognomento diuini, lib. de Mysteriis, fuisse de Platone sententia, dum inquit. Opera quidem absoluta ducunt Dii: media Angeli: Tertia Dæmones. Et alibi idem Iamblichus inquit, Deorum prouidentia uniuersalis est; Dæmonum uerò particularis. Deus primus dat omnibus omnia; Dii sequentes omnibus aliqua largiuntur; Dæmones, atque animæ aliquibus solùm, & aliqua tantùm. Hæc Iamblichus. Non tamen negandum est, quin in sequentibus idem Iamblichus addiderit etiam prouidentiam heroum; quorum officium est uiuificare, ratiocinarique, & animas custodire; easque à corporibus soluere. Vt in quatuor diuinam prouidentiam partitus fuisse Iamblichus uideatur. Aliquando etiam in partes sex, uel septem uisus est idem partiri diuinam prouidentiam; sed in quot, & in quas, & quomodo, uide apud ipsum eodem lib. capit. XIX. Singulis præterea animalium generibus, & naturis, siue speciebus, quod in Apologia Socratis facit etiã Ficinus, cap. XXXV. eiusdem libri de Mysteriis, & alibi, distinctos sæpe dæmones custodes Iamblichus Platonem imitatus ascripsit. Sequenti item capite, F idest cap. XXXVI. per prouincias, & per diuersas Orbis terrarum partes, diuisos dæmones idem affirmauit, partes Mundi custodientes, eisdemque præsidentes. Et singuli commendatarum (inquit) sibi partium tantam, habent curam: ut ne uerbum quidem illius ordini, dispensationique contrarium ualeant tolerare: perpetuam uidelicet immutabilemque mundanarum rerum perseuerantiam obnixè custodientes. Idem Porphyrius lib. secundo de Abstinentia ab esu carnium, ex Platone, asseruisse uidetur. Plotinus in partes quatuor diuinam prouidentiam partitus uidetur: ut primas partes dederit tribus primis rerum principiis; quæ sunt bonum siue Deus, mens, & anima. quæ aliis nominibus à quibusdam appellantur Oromasis, Mitris, & Arimanis; Dei proprium est unire; mentis ordinare; animæ mouere. quælibet naturalis species à Deo habet, ut sit, & una sit, à Deo per mentem habet ordinem, ab utroque perpetuitatem: sed ab anima cœloque habet, ut multiplex per singula sit; atque mutabilis. Secundas stellis, & cœlestibus corporibus, cœlestiumque corporum animabus, & mentibus: Tertias Dæmonibus, qui quidem non habent (inquit) ut putauit Porphyrius, ortum à stellis, sed à Deo. Extremas humanis animabus, quæ animæ ita se habent (ut in Timeo tradidit Plato) quòd singulæ singulis astris sunt distributæ. Sed de diuina prouidentia ad Platonis, ex illius interpretibus, opinionem, hactenus. G

De diuina Prouidentia Platonis opinionem ex eiusdem interpretibus rursus auctor, sed diffusius exponit; & in primis tripartitam prius positam diuinam prouidentiam ex Proclo interpretatur.

CAP. XI.



PLATONIS hactenus ex eiusdem interpretibus, de diuina prouidentia, breuissimis uidimus opinionem. Liceat nobis, quid de eadem, ad Platonis decreta, ex eiusdem iterum interpretibus, sentiamus, sine inuidia aliqua fusius copiosiusq; in medium proferre. Res ista certè, quoniam pulcherrima, & difficillima est: inter eas ritè annumerari poterit; de quibus Horatius.

Decies repetita placebunt.

In multis itaque locis triplici Deorum generi, ut cap. superiore dictum fuit, rerum humanarum curam impartiri uisus est Plato; quid autem potissimum unumquodque procuret, lib. sexto Platonicæ Theologiæ cap. item VI. breuissimimis exposuit Proculus, ubi cùm H multa de tribus opificibus dixisset; ex interprete subdit. Si placet tres hos opifices singulos, & quid'nam ex ratione contingat, perspice. Primùm mundanis effectis substantiæ essendi'ue causam; secundum motus, ac uitæ, ut generationis sensilium conditorem; tertium disiectæ formationis, partitæque circunscriptionis, ac orbicularis uniuersorum unum ad principium conuersionis, auctorem asserimus. Et paulò post, de eisdem edisserens inquit. Alium essentiæ, alium motus, aliũ conuersionis causam affirmamus. ut Mundus uniuersus quà est entis particeps à primo parente: quà motus, à secundo: & quà diuisus omnifariamque post sectionem proprium ad principium regreditur, à tertio prodeat. & post pauca. primum appellat patrem, secundum potestatem, tertium mentem. Et ait, quòd primus est utriusque pater: secundus utriusque potestas: tertius utriusque mens. Et circa finem illius cap. sub horum trium prouidentia sortiri animas, quicquid sortiuntur asseuerauit. ut ante generationem sub primo, in generatione sub secundo, post

A post generationem sub tertio, defæcationis uidelicet indigas. Hos, puto, in Gorgia Plato appellat Iouem, Neptunum, Plutonem. De quibus longè abundantius in eodem sexto lib. cap. x. idem Proclus edisserens, inquit. Si audire molestum non sit. Primò, secundum totum uniuersum consiat, quum alius substantias producat, alius uitas, ac generationes reddat, alius formalibus diuisionibus studeat. Itemque alius uno in opificè omnia inde progredientia stabiliat; alius ad progressum uocet; alius ad primum conuertat. Secundò, secundum uniuersi partes alius primus uidelicet, fixarum orbem, identitatisque circunuectionem disponat; alius medius errabundum regat, multiformesque eius motus efficaces, ac fœcundos efficiat; Postremus sublunarem locum curet, & terrestrem mundum intellectualiter perficiat. Tertiò', ex Timæo. Iupiter generabilium uerticem regit, igneum orbem ac aerem purissimum moderatur. Neptunus elementa media agitat, uniuersæque humidæ substantiæ, quæ in aere, & aqua consideratur, dux est. Pluto terre & iis quæ in terra sunt omnibus consulit; quocirca terrenus Iupiter nuncupatur. Item Iupiter orientale centrum occupat, Pluto occidentale, Neptunus medium. Et alia multa ibidem prosequitur Proculus, quibus sine difficultate, ad quem modum diuina prouidentia multifariam tripartiatur, intelligi potest.

B

Diuinam prouidentiam in partes quinque secari. CAP. XII.



VERV'M enimuero ex dialogo cui titulus est Epinomis; qui aliàs à Platonicis legum appendix, & Philosophus appellatur; quintuplici animalium generi, liceat nunc, animalis nomine fusius uti, rerum omnium mihi curam, ac prouidentiã, Platonem ascripsisse uisus est; quorum quidem duo uisibilia sunt; tria uerò inuisibilia. uisibilia rursus duo sunt, immortale & æternum unum, cœlum, intelligimus autem nunc per cœlum, non solùm corpus illud, quod igne & æthere potissimùm constare opinantur Platonici; sed quatuor etiam elementorum sphæras, & earum animas. Duodecim nanque sphærarum animæ, octo cœlestium & quatuor subcœlestium, & ipsarum animarum mentes. duodecim Mundi principes à Platonicis appellantur. Has igitur animas cum suis sphæris animalia ego appellauerim. Necesse est enim, inquit Plato, ut his sphæris animæ uel insint, uel adsint. Hoc inquam animal suo complexu, illuminatione,
C circungiratione, & aliis multis modis hæc inferiora ita curare uidetur, ut rebus omnibus, non quidem omnia, sed pro rei ratione, aliqua elargiri dicatur. Mortale & corruptibile alterum, quod terreno maximè elemento constat & aqueo; ut sunt animalia omnia, quæ elementis quidem omnibus, sed terra potissimùm & aqua constare, certissimum est. Hoc autem in infinitum ferè pro custodientium numero augeri, ac plurificari censendum est. Nam inferiora cuncta animalia, quæ successione quadam, perpetua sunt; & numero quasi infinita; generationi, corruptioni, omnifariamq; transmutationi obnoxia, natis suis; homo uerò non natis suis tantùm sed toti etiam uni gentium nationi, & prouinciæ; quin etiam pluribus simul, pro humanæ infirmitatis ratione, prouinciis, & amplissimis terrarum partibus & regnis pro uidere; & multarum gentium maximarumq; simul rerum curam ita habere conspicitur, ut tam en aliquibus tantùm, & aliqua tantùm; & ratione tantùm particulari, conferat, & elargiatur. Inuisibiliumuerò genus unum sit Anima Mundi, prouidentia cuius, orbis uniuersus administratur, & regitur, à qua omnibus omnia elargiuntur, non quidem tanquam à summo rerum omnium principe, & Mundi domino, sed ueluti à primi, & summi principis & domini Vicario. cuius quidem etsi in Epinomide
D non satis expressè Plato meminit, eius prouidentiam tamen alibi non reticuit. Alterum uerò ex elementis duobus igne scilicet, & aere, aereisq; corporibus constituitur; Et illis quidem tenuissimis adeo, ut sensum e fugiant. & hoc est genus dæmonum, quod pro ratione stellarum, multifariam à nobis diuidi posset. Hoc autem rerum ita procurarionem gerit; ut aliquibus tantùm, & aliqua tantùm attribuat, sed in quadam uniuersitate. Aer duplex est. Quidam nanque purior est; quidam uerò crassior, & corpulentior; qui etiam aquæ nomine à Platone appellatur. illud Deorum siue diuinum, hoc uerò dæmonum siue dæmonicum genus dicitur. Præter hanc quatuor animalium prouidentiam, qui sunt, animal terrenum, animal cœleste, hoc est Dii maximi, & Mundi principes, Anima Mundi, & dæmones; est Deorum summus; qui tanquam rerũ omnium princeps & dominus, omnibus omnia germana, atque innata sua bonitate elargitur; de quo paulò post nonnulla dicemus.

De Dæmonum prouidentia paulò uberius agitur, sed in hoc capite de Dæmonum natura potissimùm. CAP. XIII.



QVONIAM humanarum rerum curam Dæmonibus platonicos demandasse, sæpe diximus; non ab re forsitan fuerit; de illis accuratius dicere; ut, quæ & qualis sit diuina prouidentia; percipi tandem à nobis facillimè possit. Dæmonum igitur quidam sunt, apud Platonicos, immortales; quidam uerò mortales quidem, sed longæui; omnes autem, siue quòd sint saltem longæui, si non immortales; siue quod igneo, & aereo, hoc est subtili corpore eos constare putauerit; prouidentiæ admirabilis participes Plato in Epinomide existimauit. Quos acuto suo ingenio, ac tenaci quadam memoria, & longa rerum obseruatione, intimas etiam nostri pectoris cogitationes; ut pote quid agere, quid omittere intendimus, & quando, & cum quibus, aliquo modo penetrare posse, crediderit. Et de illis, & circa illa, & similia, quæ oportuna illi nobis existimant; quotidie eos curam habere, putauit. Dæmones illos, quos ex aqua, siue aqueo, & crassiusculo illo aereo corpore, de quo paulò ante dicebamus, constare Plato asseruit; quandoque, inquit idem Plato, cernimus; sed à conspectu citissimè illi subtrahuntur; & cum uidentur; non nisi tenui uisu percipiuntur; perceptiq; admirationem afferunt. Dæmones autem in uniuersum, ut in Apologiam, & in Phœdrum notauit Ficinus, in totidem platonici distribuūt ordines, quot in cœlo sunt stellæ; immo quot in sphæris stellæ sunt; tot ordines statuunt, & dæmonum, & animarum: ut alii dæmonum Saturnii sunt, alii Iouiales, alii Martiales alii iuxta aliarum stellarum nomina, denominationem suscipiant. quod idem de animabus intelligendum est. Aliæ nanque Martiales, aliæ Iouiales, aliæ Saturniæ, aliæ Soliares, alia aliis stellarum nomenclaturis denominantur. Nonnulli platonicorum sunt, qui dæmonicos ordines cunctos in duobus elementis collocant, igne scilicet, & aere; & eorum, quos in aere, quosdam quidem in aere puro, ratione scilicet aerea; quosdam uerò in aere crasso, ratione magis aquea, quam aerea, collocant. Conueniunt illi inuicem, qui in igne, uel puro aere locantur; tum quòd immortales, sed affectu erga corpora patibiles sunt; tum etiam, quòd rationali uitæ utrique maximè faueant. Differunt uerò, tum inter se, quoniam ignei rationis discursum ad sublimiora contemplanda conuertunt. ignis enim, quia corporum leuissimum est, in sacris etiam literis, contemplationem significat. Ideo Psal. XXXVIII. legitur, In meditatione mea exardescet ignis. Et Psal. CXIX, Ignitum eloquium tuum uehementer. Et Boethius libro quarto de Consolat. prosa sexta, uiuacissimum mentis ignem dixit. Aerei uerò actiuæ uitæ magis inseruiunt. Et ignei affectus quidem habent erga corpora; sed secundum quendam tranquillæ prouidentiæ morem; aerei uerò humanos quidem & illi habent affectus sed moderatos. Conueniunt hi tam ignei quàm aerei cùm aqueis, quòd res particulares simul omnes administrant; & quibusdam (ut dicebat Iamblichus) largiuntur quædam. Differunt uerò ab illis, tum quia ignei, & aerei rationali; aquei uerò sensuali, ac uegetali naturæ potissimùm fauere dicuntur. Tum etiam quia in affectibus aquei ad perturbationes nostras declinant; uoluptuosæque uitæ potissimùm fauent; Tum tertiò, quoniam aquei, & si longæui sint, diutissimeque uiuant; corruptibiles tamen, atque mortales sunt. Suadent Platonici, ut Proclus, & Maximus Tyrius, hanc Deorum mortalium multitudinem. Maximus quidem, in sermone quodam de Dæmone Socratis, hac ratione. Quoniam magno interuallo mortale ab immortali, & aspectu, & consuetudine seiungitur; ac propterea dæmonibus est opus; qui utranque naturam, diuinam scilicet, & humanam, affinitate attingentes, harmonicis uinculis alterius imbecillitatem, cùm alterius pulchritudine connectant. Nam perinde atque inter Græcos & barbaros; inter quos est magna uocis & linguæ differentia; interpretes sunt; qui alterutrorum uoces suscipiendo, significationemque uicissim deferendo, diuersitatem illam nonnihilum conciliant, commerciaque inuicem inducunt. Ita intelligi potest dæmonum genus cùm Diis, cumque hominibus uersari. Hactenus ex interprete Maximus. Proclus hanc ipsam dæmonum multitudinem suadere conatus est ratione: quæ quorundam Aegyptiorum antea fuit. Hæc autem est. quoniam ad perfectam mundi consonantiam oportet, non solùm animalia quædam rationalia, immortaliaque, atque contrà animalia irrationalia, & mortalia simul; uerùm etiam multa inter hæc media rationalia quidem, sed mortalia; non in terra solùm, sed etiam in cæteris elementis, uelut dæmones partim propinquos nobis, partim longè sublimiores; quorum corpora gignantur, atque intereant; quàmuis diutius, quàm nostra, certis suis periodis uiuant. Non enim decere existimant; ut à cœlestibus animalibus rationalibus, sempiternis, fœlicissimisque, ad animalia terrena rationalia quidem, sed infœlicissima, uitaque breuissima, subitò & nullo medio descendatur. immo per gradus quosdam animalium rationalium, quæ fœliciora quidem sint, & diuturniora quàm homines, & omnino beatiora; non tamen sempiterna. Et fœlicissima. Hæc ratio Plutarcho, & eius familiari Demetrio Philosopho, atque Aemiliano Rhetori mirificè placuit; quam ex multis prodigiis, quæ suis temporibus euenerunt, confirmare conati sunt. Huius fortasse generis dæmones quosdam, ex patre suo Facio lib. de Subtilitatibus decimonono, in quo de dæmonibus tractat Hier. Cardanus, recensere uidetur;

quos

A quos idibus Augusti MCCCCXCI, patri suo apparuisse, eorumque uitam ad annos CCC, plus minus extendi, inter multa alia, dixisse eos, & tandem obire, scriptum ille reliquit. Apud Plutarchum, & apud Eusebium, de morte Panis, qui primum eiulauerit, deinde obierit, legitur. quod retulit etiam D. Io. Franciscus Picus prima parte libri de Prouidentia Dei, cap. VI. Ioannes item cognomento Grammaticus libro cui titulus Posteriorum, parte secunda, cap. XV, retulit ex Platone, inuentum Nereidis cadaue aliquando fuisse. Proclus etiam lib. sexto Platonicæ Theologiæ, cap. III, nonnulla esse Deorum caduca genera asseruit. Nonnulli & inter moderniores Nicolaus Leonicus, uir apprime eruditus, in dialogo quodam, cui titulus, Aluerotus, uisus est ad opinionem Platonis, homines triplicis generis posuisse; quosdam, qui æthereo quodam simplicissimo, tenuissimoque corpusculo immortales uiuant; Alios, qui hoc nostratio, caduco ac terrestri, &, ut utar uerbo Platonis, ostreaceo corpore constant: Medios; qui medio quodam corpore, hoc est non æthereo, aut cænoso; sed ex purioribus, ac simplicioribus elementorum portiunculis composito: quod à prædominio trifariam euariari potest: quoniam uel aquerum, uel aereum, uel igneum esse potest. Huiuscemodi corpus animis ita à diis secundis accom-
B modatur; sicut primum & æthereum à primo, & summo Deo. De his fortasis hominibus Plutarchum, Io. Gramm. Picum, & uniuersam Platonicorum, & Aegyptiorum scholam exponere possumus. Vt hos, dæmones terrarum incolas esse censeamus; qui corpora sua aliquando exuant; tunc scilicet, cum à nobis mori existimantur. Fuerunt etiam alii; qui non ex Plutone tantùm, & eius sectatoribus; sed ex Aristotele etiam, mortalia quædam numina asseruerunt. Sed redeo ad Platonicos. Dictum est hominibus dæmones nonnunquam apparere, & ab eis uideri. Videri autem quorundam dæmonum corpora, contingit maximè, inquit Zoroastes, in Perside, & in Aphrica. Ficinus lib. quarto de Animarum immortalitate cap. primo, dixit credidisse Porphyrium; eos uideri, in quorum corporibus ignis abundaret; idque præsertim in Oriente accidere, & Meridie; tangi uerò illos; in quorum, terra; quales apud Tuscos suis temporibus fuisse asseruit. Sed de natura dæmonum, dicta in præsentiarum sufficiant.

De dæmonum prouidentia in uniuersum. CAP. XIIII.



PRo ratione quatuor illorum, quæ ante diximus, animalium, & pro natura similiter eorundem, & dignitate, atque præstantia, inconuenit, meo iudicio,
C nihil; ut, secundum Platonem, in partes (ita dixerim) quatuor, Orbis uniuersi, Mundique totius curam, atque administrationem, & Deorum prouidentiam partiamur. Et immortale sed uisibile animal rerum omnium subcœlestium curam, suo motu, lumine, & temporum distinctione, ac saluberrima quadam anniuersione, habere dicatur. Visibile sed mortale certis animalibus, aut etiam rebus prouideat, pro cuiusque natura, ingenio, atque ratione. Turtur nempe prouidet turturi, elephas elephanti, homo homini. Inuisibile & immortale, hoc est dii ætherei rerum omnium curam gerunt: rebusque omnibus de quibusdam prouident, curantque. Inprimis ut Mundi totius forma, & ordo persistat; eaque, quæ ad eius integritatem faciunt, & perfectionem, suo modo, & pro eorum naturæ ratione permaneant uniuersa. ne à generationibus, & corruptionibus successiuis, desistant; aut rerum species aliquæ deficiant; sed cuncta in uniuersum, & in suo genere singula, omnibus numeris, quoad fieri potest, absoluta sint, & perfecta. Dii ignei, aerei, & aquei, hoc est dæmones (si de cunctis simul loquamur) res subcœlestes, & humanas in uniuersum curant; atque tuentur. Sed horum quidam quercus, alii abietis, non-
D nulli bouis alii asini curam gerunt. eisque præsident. Nulla nempe est in toto terrarum Orbe natura, & plantæ, uel animantis species, quæ, secundum Platonicorum decreta, aliquo dæmonum genere non custodiatur. Homo similiter proprios custodes dæmones habet. An autem ad turpitudinem, & ad uitia dæmonum aliqui nos alliciant; uel contrà potius ad honestatem omnes & uirtutem, Platonicis disputandum relinquatur. Aegyptii, ut lib. decimo de Animorum immortalitate cap. II, inquit Ficinus, quos Origenes, & Numenius, & Porphyrius sequuntur; multos aiunt esse dæmones, qui ad superiora animum eleuant; multos, qui ad inferiora detorquent. Bonos dæmones in meridionali plaga, optimos in orientali, malos in septentrionali, pessimos in occidente esse, Aegyptii affirmauerunt. Dæmones secundum Platonicos, in plura partiti sunt munera; quod copiosè satis declarauit Proclus in Alcibiadem dum inquit. Præterea dæmonum alii purgatoriam & incontaminabilem posident potestatem; alii uerò genitricem, alii
» perfectoriam, alii opificem, atque omnino secundum Deorum proprietates, uiresque, sub qui-
» bus ordinati sunt, dæmones diuiduntur. hæc Proclus. Dæmones nanque, ut in Phœdrum cap.
» XI, notauit Ficinus, à Platonicis, ut à Iamblicho, Syriano, Proclo, in quosdam ordines digeruntur, scilicet in Deos, archangelos, angelos, dæmones, principatus, heroes. Et alii dæmones

aliis Diis subministrant; uel si Deo eidem multi seruiunt, uarii tamen ad uaria Dei eiusmodi officia conferunt. Inter dæmones autem non est Saturnus aut Iupiter, aut Neptunus aut Pluto unus; sed multi in qualibet sphæra Saturni, multi Ioues. Saturni uidelicet uel Iouis officiis administrantes; cæterique cæteris similiter seruientes multi sunt, & non unus. Hinc Proclus cap. IIII lib. sexti de Theolog. Plat. post multa de Deorum prouidentia, & inferiorum progressu à superioribus, hæc ex interprete subiecit. Hac de causa, quæcunque solarem influxum uendicant; dico autem non modo præstantiora nobis genera, sed etiam animarum, animaliumque, & plantarum, ac lapidum numerum, à Solis circuitione dependent; Et quæ à Mercurio proprietatem hauriunt, mercuriali adiudicantur; & eodem modo in Diis cæteris. Omnes enim ductores sunt, ac principes in uniuerso; quos multi angelorum ordines, plures dæmonum numeri, non pauciores herorum turmæ, quamplurimæ particulares animæ, uariæ denique plantarum, & lapidum uires, circunstant, quæ omnia ductores, ac principes suos exoptant. hæc Proclus. Non me interea præterit, Platonicos, Proclum lib. sexto Platonicæ Theolog. cap. XVIII. Ficinum lib. quarto cap. I, de Immortalitate animorum, & alios duodecim principes Orbi uniuerso præposuisse; qui sunt anima orbis primi & stellati, animæ septem Planetarum, & animæ elementorum quatuor. Et unicuique ex Orpheo uim geminam tribuisse; unam in cognoscendo positam, alteram in sphæræ corpore uiuificando, atque regendo. Vt in elemento terræ illam uim Plutonem Orpheus nominauit, hanc Proserpinam. In aqua Oceanum illam, hanc Thetim, in aere Iouem & Iunonem, & ita in reliquis corporibus, ut apud Ficinum loco citato uidere potes. Animam uniuersæ machinæ, & Orbis uniuersi, Iouem, Plato nuncupat; animas uerò duodecim sphærarum uocat, Deos Iouis pedissequos. De iis puto intelligendus est Iamblichus; quando cap. VII lib. de Mysteriis, inquit, quòd quælibet Mundi pars accipit aliquid à quolibet Deo. Quilibet nanque Deus cuilibet parti Mundi totus adest; sed partes aliæ aliter hinc accipiunt. Aether quidem ætheria, aer autem aeria suscipit ratione. Addunt insuper Platonici, quòd ea quæ, uerbi causa, Iouialia sunt; siue illa sint angeli, siue archangeli, siue dæmones, siue heroes, siue animæ, siue animalia, siue plantæ, uel lapides, non possunt mercurialia, aut solaria fieri. Quamobrem anima, ut in Phædro declaratum est, & si permutare potest custodem dæmonem; non tamen dæmonum genus, aut Deum. Sed anima quæ, uerbi causa, Iouialis fuerit; dæmones Iouios custodes semper habebit, cum etiam custodem permutauerit. Circa nanque eiusdem stellæ, ut Iouis proprietates, multi sunt Iouii dæmones; qui in uniuersum Iouiales animas custodiant. Idem de Martialibus animabus, uel Solaribus, uel Saturniis dicendum est. Sed de dæmonibus & de dæmonum prouidentia in uniuersum, hactenus.

De dæmonum prouidentia in particulari. Cap. XV.



IXIMVS de dæmonibus, & de dæmonũ prouidentia in cõmuni, & in quadã uniuersitate. Nunc de eadem rursus à nobis distinctius dicendum est: sed non exactè adeo, ut nullo fructu, multo autem tædio, sermo prolixius deducatur. Ea nempe tantùm afferenda censemus, quæ ad diuinæ prouidentiæ intelligentiam magis facere uidebuntur. Singulares igitur dæmones res singulares curant & eis opportuna administrant. Quidam unam Orbis partem custodiunt, quos in Phedro Deos locales appellauit Plato, alii aliam. & quidam ciuitatem unam, alii aliam; sicut inquit in Critia Plato; quòd Athenas cust odiebant Vulcanus, & Minerua. Ita nanque loco citato ex interprete scriptum ille reliquit. Dii quondam uniuersum terræ Orbem sigillatim sortiti sunt, in regiones singulas distributum. Et post pauca. cæterum iudicii, iurisque sortibus, sua quique ad uotum suscipientes, curantesque amicorum singula: regiones habitandas disposuerunt. Hosque ueluti greges ipsorum, possessionesque, & armenta nutriuerunt: hoc tamen excepto, quòd corporibus corpora cogere noluerunt; quemadmdmodum plagis pecora, iumentaque pastores. At uerò tanquam docile, & obediens animal, quasi ex puppe, ratem agi dem dirigentes, persuasione, pro gubernaculis, utebantur; eaque animam attingebant; & ad mentem ipsorum ita ducentes, mortale genus omne gubernabant. Et alii quidem Dii aliorum locorum gubernationem sortiti, ea instituebant. Vulcanus autem, Mineruaque naturam habentes cõmunem; tum quia eodem ex patre sunt; tum quia per sapientiæ studium, perque artiũ diligentiam ad eadem tendunt; ita per communem sortem hãc nacti sunt regionem: ut pote uirtuti prudentiæque natura propriam, atque congruã: procreantesque in ea uiros indigenas admodum generosos, eorum mentibus reipublicæ ordinem infuderunt. & post multa. Ex Solone (inquit) partiti sunt Dii uniuersam terram, partim in ampliores portiones, partim angustiores, templaque & sacra sibi instituerunt. Tunc sanè Neptunus insulam sortitus est Atlanticam. Hæc Plato. Macrobius in urbium obsidionibus, apud antiquos, hunc morem, atque hanc religionem

A nem fuisse, testatus est. Vrbem nempe oppugnaturi, à uatibus cui Genio, & dæmoni esset urbs commissa, & credita, in primis intelligere conabantur; ut illum aliquot sacrificiis allicerent: quo à cura urbis desisteret: ita enim uictoria potiri facilius opinabantur. Rursus sunt quidam, ut paulo ante dictum fuit, qui certas rerum naturas custodiunt: quorum alii uitem, alii abietem: item alii bouem, alii equum, alii hominem. Et eorum qui hominem custodiunt; alii eas animas, quæ Iouiales esse dicuntur, alii eas quæ solares; alii alias, pro ratione stellarum, & animarum. An uerò singuli, uel bini, uel terni, uel in alio numero huius, uel illius hominis particularem, distinctamque curam habere dicendum sit, aliorum iudicio derelinquimus. Certè quòd hominum angeli, siue demones custodes sint, antiqua opinio fuit; & inde causam attulerunt nonnulli, cur ab Homero hominibus quibusdam, & præsertim Heroum principibus, ut Vlysi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certi Dii discriminum, & periculorum suorum comites adiungerentur. Socrates multa sæpe de sui erga se, dæmonis cura, & prouidentia recenset. Aegyptius quidam (inquit Proclus) admiratus est Plotinum, tanquam diuino quodam proprio dæmone gubernatum; quem dæmonem, si Porphyrio credamus, ipsi Plotino Aegyptius ille demonstrauit: quæ

B res, ad quem modum effici potuerit, in argumento lib. Plot. de Dæmone proprio, Ficinus declarare est conatus. Proclus in lib. cui titulus de Dæmone proprio, ex interprete inquit; Iā uerò secundum eorū substantiam singuli clientibus suis, ad beatam uitā patrocinantur; alii quidē ad deteriorum curā nos mouentes. alii uerò ab actionibus retrahentes externis. Hæc ille. Apul. lib. de Deo Socratis, loquens de proprio cuiusq; dæmone, inquit. Ex hac sublimiore dæmonū copia, Plato autumat, singulis hominibus, in uita agenda, testes, & custodes singulos additos; qui nemini conspicui semper adsint; omnium non modò, actorum testes, uerùm etiam cogitatorum. Ac ubi uita edita, remeandum est; eundem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico, & trahere ueluti custodiam suam, ad iudicium; atque illic in causa dicenda assistere; si qua commentiatur, redarguere; si qua uera dicat, asseuerare prorsus; illius testimonio ferri sententiam. Et post pauca. Hic quem dico proprius custos, singularis præfectus, domesticus speculator, indiuiduus arbiter, inseparabilis testis, malorum reprobator, bonorum probator, si rite animaduertatur; sedulò cognoscatur; religiosè colatur; ita ut à Socrate iustitia, & innocentia cultus est; in rebus incertis prospectator, Dubiis præmonitor, periculosis niator, egenis opitulator: qui tibi queat, tum somniis, tum signis, tum etiam fortasse corām cùm usus postulat, mala auertere; bona prospera-

C re; humilia sublimare; nutantia fulcire; obscura clarare; sidera aduersa corrigere. Hactenus Apuleius. De his igitur dæmonibus, & de certis singulorum hominum custodibus, inquit in Epinomide Plato, quòd res humanas curant; & quòd eorum nonnulli aut somniis, aut uaticinio, aut uoce, uel à sanis, & corpore uegetis, uel ab ægrotantibus & ualetudinariis audita, nobis multa prænuntiant; & in ipso etiam è uita excessu nobis sese offerunt; & nostros animos mouent. Hinc sæpe ii, qui è uita mox demigraturi sunt, diuini nonnihil demonstrare uidentur; ut Socr. sicut scribit Xenophon, morti propinquus prædixit Anyto; filium eius, qui tunc modestus uidebatur, fore flagitiosissimum; quod etiam euenit. Idem tractus à falsis accusatoribus in iudicium, prædixit primò iudicibus futuram pœnitentiam; accusatoribus ruinam, ciuitati seditionem; & tandem in carcere diem mortis suæ prædixit. Theramenes in carcere uenenum bibiturus, Critiæ aduersario suo proximam mortem prædixit. Scribit Possidonius Stoicus, Rhodium quendam morientem, sex æquales nominasse, prædixisseque, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset. Calanus Indus iam moriturus, citam Alexandro Regi mortem prænunciauit. Vi-

D ctoriam aduersus Magnesios Pherecides Syrus moriens uaticinatur. Hæc (inquiunt Platonici) & alia id genus multa suis clientibus, & uasallis dæmones aliqua uia & ratione prænunciant. Non hoc loco præteribo silentio Galeottum Martium, & alios nonnullos, hæc ex abecedariis elementis, & literis illis, quibus, cuiusque nomen coalescit, posse dignosci credidisse: ut uel hinc nomina etiam hominum, nedum cætera euenta, ab astris deriuari, persuaderent. Literas nempe planetis isti subiiciunt, ascribuntque, A B C, Saturno. D E F, Ioui. G H I, Marti. K L M, Soli. N O P, Lunæ. Q R S, Veneri. T V X, Mercurio. Capiti draconis Y. caudæ uerò Z: & pro situ & positura harum literarum in ipsis nominibus, cùm alia multa, tùm quis prius, quis posterius moriturus sit, iudicari posse isti crediderunt. qui quidem quàm turpiter errent, sapientes norunt, qui & literas & literarum iugationes, & nomina ipsa ab humano arbitrio, non autem ab astris pendere per quàm euidentissimè intelligunt. Sed de dæmonibus, & dæmonum prouidentia hactenus.

De rimi & summi Dei prouidentia. CAP. XVI.



ARTITI hactenus diuinam prouidentiam in partes quatuor fuimus: quarum unam cœlesti corpori; alteram duodecim mundi principibus, & animabus; tertiam dæmonibus; extremam terrenis animalibus, ad Platonis opinionem distribuimus. Sed non est hoc loco prætereundum, Ficinum egregium certè Platonicum, in libro decimosexto de Animorum immortalitate, cap. VI, ad finem, in partes quatuor animarum prouidentiam partitum fuisse; muneraque singularum posuisse; ad quem locum, & si lectorem mittere poteramus; ut temporis nihilominus dispendio, & perquirendi loci eum tædio leuaremus; Ficini uerba subscripsimus. Animas rationales diuinam prouidentiam modis quatuor imitari, Platonici disputant. In primò quidem gradu animam mundi collocant; in qua uniuersalis circa Mundum sub Deo sit prouidentia; per quam omnibus omnia largiatur. In secundo uerò duodecim sphærarum animas; in quibus uniuersalis particularis prouidentia sit; per quam uidelicet mundanis omnibus nonnulla distribuant. In tertio animas tum stellarum, tum numinum quorumlibet, in quauis sphæra mundi regnantium: apud quas esse censent prouidentiam particularem uniuersalem: qua scilicet nonnullis Mundi membris, quæ ipsis congruunt, singula tribuant. In quarto nideque particulares animas, illas uidelicet, quæ ab intelligibili ad sensibile, uicissimque recurrunt; quarum esse prouidentiam particularem adeo putant; ut aliqua iam tantùm aliquibus impartiant; præterea multis uitarum cursibus impleant; quæ, & superiores paucioribus periodis agunt, & prima unico circuitu complent. Hactenus Ficinus.

Præter has quatuor animas, quæ illa sunt, de quibus ante diximus, quatuor animalia; atque præterea, quæ diximus, Deorum, uel dæmonum, uel animarum genera; quibus diuinam prouidentiam, ad Platonis, & Platonicorum opinionem, semel atque iterum distribuimus (nam mortale animal & uisibile, etsi Deus minimè esse dicatur; diuinæ tamen prouidentiæ subseruit) Deus summus omnium opifex, atque pater est; quem in Philebo Socrates constitutricem omnium; & in Timæo Deum Deorum; & ad Dionysium, regem omnium & bonorum omnium causam, appellauit Plato. Hunc autem per ea, quæ capite decimo dicta fuere; ociosum esse minimè omniũ opinandum est; sed rerum omnium mortalium, & immortalium, corporum, & animarum, hominum & dæmonum, igneorumque, & aereorum, ac aqueorum Deorum curam suo modo, nec non æternæ suæ legis imperio, habere; cunctaque, & singula, ineuitabili quadam prouidentiæ diuinæ lege, quam platonici Adrestiam uocant; administrare, atque de uniuersis rebus tum per Deos inferiores & dæmones, & animas, & ideas; tum per seipsum, tanquam per rerum omnium causam; in quo omnes ideæ una idea sunt; tum alio præstantiori, modo si tamen modus alius præstantior excogitari potest, suæq; maiestati congruentiori notitiam, & procurationem, ac prouidentiam habere, censendum est. Quamobrem hunc Orpheus, ἄπειρον ὄμμα idest infinitum oculum; & Plato in Repub., Mundi superioris Solem uocauit. Vtpote qui non tantùm rebus uniuersis prospiciat; sed ut Sol in se lucendo illuminat omnia; sic Deus ipse seipsum intelligendo, atque uolendo, & sciat, & efficiat omnia. Et ideo à nonnullis aliis Mundi φρόνησις est dictus. Et in epistola ad Dionysium, circa ipsum, ait, esse omnia, & eius gratia omnia, & ipsum bonorum omnium esse causam. Dum enim, ut Proculi uerbis utar, se animaduertendo, seipsum gignit; in se simul generat omnia; de quo Proculus cap. XXI, libri quinti de Theolog. plat. ex interprete inquit. Ecquid non'ne is est opifex, qui bonorum horum omnium nobis est causa? qui Mundum totum regit; qui eundem optimis proportionibus colligat; qui omnem in sese rempublicam firmat? qui fati leges habet, & continet? qui ineuitabilis numinis statuta, uel usque ad ima diffundit? qui omnia æqua lance cum cœlestia, tum sublunaria gubernat? Et post pauca. Is est etiam, qui fatales leges uocat; iuriq; mensuram præscribit; & statutis cuncta disponit, ut ait Timæus. Et cap. III, libri sexti idem inquit. Cuncta in opifice etiam posteriorum Deorum genera resident; & æque ac anteriorum est plenitudo omnium; ita etiam congestas posteriorum causas complectitur. Quas ob res etiam uniuersum perficit; assimilando operatur; uniuersa pariendo uiuificat; animarum est parens; corporum fabricator; concinnitatis subministrator; indissolubilium uinculorum molitor; insectilium, & sectilium generum causa, figurarum denique effector est omnium. Quæ ipsæ quidem unitæ, sed Dii posteriores disiectim constituunt. cap. VIII. Et eiusdem libri, Principium, medium, & finem rerum omnium Deus habet; & rectè omnia terminat; & secundum causam unam, æquato examine, posterioribus omnibus imperat. Huius assecla est iustitia; quæ uniuersorum existimationem terminat; & limitibus præscribit propriis. Quod etiam Orphei auctoritate confirmat, qui ait,

Iustitia hunc sequitur cunctis subsidia præstans; Et iterum,

Principium, mediumque est Iupiter, ex Ioue cuncta,

Hactenus Proclus. Et in hymno Apollinis idem Orpheus

Ἔχεις δέ τε πέρατα κόσμου

παντὸς,

A » *Παντὸς, σοὶ δ᾽ ἀρχὴ, τελευτή τε ἐςὶ μέλλουσα*
» *Παντοθαλὴς σὺ δὲ πάντα πόλον κιθάρῃ πολυκρέκτῳ.*
» *Ἁρμόζεις.* Hoc eſt.
» *Tu habes Mundi terminos uniuerſi.*
» *Tibi curæ eſt principium, atque finis, per te,*
» *Vireſcunt omnia.*
» *Tu ſphæram totam cithara reſonante contemperas.*

Et in hymno Nemeſis idem inquit.

» *Πάντ᾽ ἐσορᾷς, καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις καὶ πάντα βραβεύεις.* id eſt.
» *Omnia uides, & omnia audis, & omnia diſpenſas.*

Sed de ſummi Deorum principis prouidentia hactenus.

Deos rerum omnium procurationem habere, ex Platone breuibus oſtenditur; & Stoicorum quorundam de diuina prouidentia opinio tangi- B tur, & reprobatur. CAP. XVII.



QVAE nobis uiſa fuit, de diuina prouidentia, Platonis opinio, enarrata iam eſt; & quot Deorum in uniuerſum genera ſunt, qui rerum humanarum procurationem habeant; & quomodo, declaratum eſt hactenus. His quæ dicta fuerunt, quo tenacius Platonis in hac materia ſententiam teneamus, illud, quod ſuperius dictum & tum exemplis, tum rationibus, breuiſsimè probatum fuit, aliquanto fuſius repetemus; uidelicet, quòd ii ſimul Dii omnes, non maximas ſolùm, ut quidam ſunt opinati, ac ingentes & graues res: ſed quaſcunque etiam minimas, quod probat loco citato, id eſt libro decimo de Legibus Plato, partita inter ſe opera, pro ratione, & dignitate procurant, & adminiſtrant. Nam ſi non omnia curarent, ſed maxima tantùm, minima autem poſthaberent, & negligerent; uel hoc ideo eſſet, quia non poſſent illa curare; uel quia ſi etiam poſſent, nihil intereſſe totius putarent; ſi parua negligantur; uel quia licet intereſſe opinarentur; pigritia tamen, mollitieque detenti, ea procurare, negligerent. Non primum, quòd parua facilius, quàm magna gubernari, & adminiſtrari queant. Deus res magnas curabit; paruas autem, quæ facilius moderari poſſunt, curare, eiſdemque prouidere non pote- C rit? Non ſecundum, non enim magna ſolùm, ſed minima etiam in Deorum poſſeſsione eſſe, ſunt exiſtimanda. Qui cùm prouidentiſsimi, & optimi ſint; negligendam ſibi non eſſe ſuam poſſeſsionem agnoſcunt. Tertium minus eſt confitendum; abſit ut Deos otioſos, timidos, pigros, molleſque faciamus; cùm homines etiam iis uitioſis, crimino ſiſque affectos qualitatibus, odio Dii habeant, & pœnis proſequantur. Adde quòd ſi (ut pridem probatum fuit) ocioſi non ſunt; ut aliquid, quod præclariſsimum ſit, agant, oportet. Cum rurſus, ut ſuperius dictum fuit, ſint omniſcii, ut rebus cunctis aliquid conferant, niſi fruſtra quarundam rerum ſcientiam habeant, neceſſum eſt (eſt enim Deorum ſcientia, rerum quæ ſunt, aut fiunt, prima ac potiſsima cauſa). Non magnarum igitur ſolùm, ſed minimarum etiam rerum illos procurationem habere, opinioni platonicæ maximè conſentaneum erit. Quamobrem Proclus lib. primò de Theologia Platonica, ſi non omnium, inquit, mundanorum curatores Dii eſſent, ſed aliquorum: utrum maioribus proſpicerent, minoribus neglectis? an contrà maiorum ſolicitudine uexari renuerent; minoribus autem incumberent? ſi ſecundum aſſeris: quàm compoſita erit hæc prouiſionis ſeries? quum id, quod cuique propinquius eſt, & ſimilius, ut bonorum etiam ab eo proficiſcentium ma- D gis ſit particeps, maximè conueniat. Si primum, Deos imbecilles facis. poteſtatis nanque eſt maiora cuſtodientis, etiam minora protegere. Adde ſi ad ima uſque, ſuo proſpectu, progredi Dii nequeunt; quo obice Deorum aduentui reſiſtitur? maiorum compotes, quomodo minorum erunt impotes? aut quo pacto minorum ſubſtantiam producentes: eorundem etiam perfectionis, ceu perturbatis, effectis, fractiſque uiribus, non erunt domini? Hæc Proclus. Hoc idẽ, quod pulcherrima, accommodatiſsimaque ratione Proclus probauit, hoc eſt quòd quum maioribus proſpiciant; minora Dii nequaquam contemnant: lib. decimo de Legibus appoſitiſsimo » exemplo declarauit diuinus Plato, tum à ſapientibus medicis ſumpto; qui minimas etiam ægritu- » dines, & non maximas tantùm curare nituntur; tum rurſus à peritis architectis, qui magnos, & pergrandes lapides ſine paruis lapillis aptiſsimè ſtrui poſſe, denegant. Proclus in Alcibiadem inquit. quòd qui diligentiores ſunt in rerum rationibus aſsignandis: duo hæc elementa potiſsima diuinæ, dæmonicæque prouidentiæ tradunt. Primùm, per omnia deſuper prouidentiam ad ultimum uſque procedere; ac ne minimum quidem ſui expers alicubi prætermittere. Secundùm, nihil omnino eam ex gubernatis accipere; nec eorum natura repleri; nec eis alicubi commi-

commiſceri. Hæc Proclus. in quibus uerbis (ut patet) res uniuerſas, ex Platonis ſententia, Deos curare tradidit. quod ſæpiſsimè in libro, quem de Theologia Platonis, idem inſcripſit, inculcauit. Et præterea tanquam ex puppi, hominibus actus ſingulos Deos diſtribuere; & omnia dirigere, aſſeruit. Plotinus cap. VI lib. ſecundi de Prouidentia, Prouidentiam (ait) ſe per cuncta porrigere; idque eius officium eſſe; ut nihil prorſus alicubi negligat. Apuleius propterea de dogmate Platonis inquit, quòd hæc de Deo Plato ſentit; quòd ſit incorporeus, quod unus ſit, aperimetros, genitor, rerumque omnium extortor, beatus, beatificus, & optimus, nihil indigens, ipſe conferens cuncta. Hæc ille. Nec uero ſimile illud eſſe uidetur; quod egregii quidam alioquin uiri, de Platonis ſententia ſunt arbitrati. ut uidelicet, ſicut nihil niſi per ideas Deus cognoſcat, ita ea, quorum non ſunt ideæ propriæ, à Deo Opt. Max. cognoſci, negandum ſit. quod etiam ſi uerùm eſſet, obiectiuè loquendo (liceat nobis ſummuliſtarum uocibus aliquando uti) id eſt ita, ut non mouerent, tanquàm obiectum, illa diuinum intellectum; non tamen illud uerum eſſe poteſt; terminatiuè; hoc eſt ita, ut non terminarent etiam, & finirent actum diuinæ intellectionis; cùm ſingula ſuo modo intra entium multitudinem, comprehendantur; Et per ideam aliquam ſiue propriam, ſiue non propriam diuino intellectui (ut poſſunt) adſint, atque appreſententur; ut tandem illum latere poſsit nihil; Sed comprehendat omnia; & curam prouidentiamque gerat omnium. quod denuo ratione illa Procli, aduerſus Peripateticos, quam cap. XXXII, Commentariorum in Parmenidem adduxit Ficinus, probari poteſt. Ea autem eſt. Intellectus primus diſtinctè, & perfectè intelligit ſe ipſum, ut omnium effectorem, & ut quid omnibus appetibile, omnibus inquam etiam materiæ primæ, & his quæ tantùm per reductionem, inter entia, numerantur. cùm autem & effector ad effectum, & appetibile ad appetentia relatiuè dicatur, neceſſariò & diſtinctè, & perfectè cognoſcit, & ſuos effectus omnes, & quæcunque ipſum appetunt. Et cùm cognitio, & prouidentia ſecundum Platonicos, &, ut dicit Proclus, ſecundum etiam Peripateticos, per cuncta æquè procedant; quemadmodum res uniuerſas quocunque modo eſſe habeant, ut probatum fuit, Deus cognoſcit, etiam minimas, & infimas; ita illarum curam & procurationem eum habere; per ſequelam manifeſtè conuincitur. Adde quòd cum idearum ſuarum naturam & uirtutem proculdubio perfectiſsimè Deus cognoſcat; ſcit quot modis, quot gradibus, quouſque procedere, & participari, uel non participari poſsit; ut omnino res etiam infimas, & minimas, & quæ inter non entia aliquando computantur & noſcat, & in curam habeat. Quamobrem nunquàm à Diis iri contemptum quippiam, etiam ſi uel tam eminens, ac grande ſit, ut naturæ ſuæ præſtantia, cœleſtem, diuinamq; naturam attingat; uel etiam ſuperet; uel tam paruum, ac humile ſit, ut uel ad non entis naturam proximè accedat; uel ad terram ſerpat; uel etiam intra Marpeſiæ cautem, & infra terræ imam profunditatem ſecedat; ſapiens ille hoſpes rectiſsimè fatebatur. Et Proclus in Timæum, Omnia, inquit, ex Deo ita ſunt, ut nuſquam uel minima quæque deſerantur à Deo. Hæc eſt de diuina prouidentia Platonis opinio; quæ licet erroribus multis referta ſit, longè tamen melior, ſanior, doctiorque eſt; & magis Philoſopho ac naturæ perſcrutatore digna; quàm ſit uel Epicureorum omnium, quam prius uidimus, omnem à Diis rerum humanarum curam, & prouidentiam amouentium; uel Poetarum multis incommodis, ne dicam obſcœnis actionibus Deorum beatitudinem perturbantium; uel quàm ſit Stoicorum quorundam opinio; qui cùm hoc, quod omnia fato; quod nihil eſt aliud, quàm Deorum conſilium & prouidentia; quæ cauſarum, unde cunctæ res originem ducunt, ſeriem & liberè, & ex neceſsitate connectit; ex qua connexione, quæ eueniunt, ineuitabili neceſſitate proueniant; & per quam Orbis uniuerſus à Diis adminiſtratur. cùm hoc inquam, quod Fato omnia fieri, & à Deorum prouidentia per cauſarum ſeriem ordinatamque concathenationem cuncta emanare, pendereque exiſtimauerunt; crediderunt nihilominus eorum plerique, ſicut lib. ſecundo de Diuina natura, ad finem tradidit Cicero, non niſi magnos uiros, ut, cùm ex multis aliis, tum ex hoc ipſo, quàm ſibi ipſis parum illi conſtent, immo quàm apertè ſibi inuicem pugnent, uidere nulli non liceat: magnos inquam non niſi uiros, magnaſque tantùm res Deos curare; parua uerò negligere. Nemo, inquiunt, uir magnus ſine aliquo afflatu diuino fuit. Et paulò poſt, ex horum ſententia ſubdit Cicero. Magna Dii curant, parua negligunt; Et Euripides, ut in Politica refert Plutarchus, magnas res Deos attingere, paruas uerò fortunæ committere, atque negligere aſſeruit. Iſtorum Cæſar opinionem apud Lucanum ſequutus uidetur; cùm ad milites tumultuantes ita alloquitur.

» *Nunquam ſe cura Deorum*
» *Sic præmit; ut ueſtræ uitæ, ueſtræque ſaluti,*
» *Fata uacent; procerum motus hæc cuncta ſequuntur.*

& Plutarchus in uita Romuli, Fortuna (fortunam autem fatum & Deorum auſpicium appellat) magnarum tantùm rerum artifex, atque architecta eſt; nihilque magnum euadit, niſi ex diuina origine primordium accipiat. quaſi ea, quæ magna non ſunt, originis ſuæ primordia à Diis

non

A non accipiant.

VERUM enimuerò opinio illa, quòd rerum omnium non magnarum tantùm, sed minimarum etiam prouidentiam Dii habeant; fuit ante Platonem Parmenidis, Pythagoræ, Anaxagoræ, Heracliti, qui ab orationis obscuritate (cuius quidem obscuritatis Virgilius meminit in Aetna, cum inquit

» *Quod si quis lapidis miretur fusile robur,*
» *Cogitet obscuri uerissima dicta libelli)*

cognominatus est σκοτινὸς, idest Scotinus, siue obscurus, & aliorum nobilium Philosophantium, de quibus puto locutus fuerat Cicero lib. primo de Deorum natura, cum inquit. Sunt » aliqui philosophi, & ii quidem magni, atque nobiles; qui Deorum mente, atque ratione omnẽ » Mundum administrari, & regi censeant. Neque uerò id solùm, sed etiam ab iisdem uitæ hominũ » consuli, & prouideri. Nam & fruges, & reliqua, quæ terra pariat, & tempestates, ac temporum » uarietates, cœlique mutationes, quibus omnia, quæ terra gignat, maturata pubescunt; à Diis » immortalibus tribui generi humano putant. Hæc Cic. Hæc fuisse uidetur Zenonis principis Stoicorum opinio; qui ipsius Mundi omnia complexu suo coercentis, & continentis naturam, non B artificiosam solùm, sed planè artificem appellauit, consultricem, & prouidam utilitatum, opportunitatumq; omnium. Platonici, & Stoici, quin etiam Peripatetici, de quibus paulò post dicturi sumus, Deorum prouidentiam in his potissimùm occupatam tradiderunt. primùm, ut Mundus quàm aptissimus sit ad permanendum; deinde, ut nulla re egeat; maximè autem ut in eo eximia sit pulchritudo, atque omnis ornatus. Κόσμον propterea illum appellauerunt. Sed de diuina prouidentia an sit, & amplius quorum sit, & quomodo, ad mentem præsertim Platonis, sed & ad Stoicorum placita, dicta sufficiant.

Quid sit diuina prouidentia ad opinionem Platonis. & primò ponitur Apuleii diffinitio, quæ item breuibus declaratur. CAP. XVIII.



POST hæc, ad mentem Platonis primùm, deinde ad opinionem Stoicorum, quid diuina prouidentia sit, considerandum sequitur. Sed reminiscamur in primis eorum oportet; quæ a nobis in principio præsentis disputationis dicta fuere, quoniam res de qua considerationem suscepimus, difficillima est, & eius essentia nos procul fugit; Idcircò quid ad mentem Platonis uox ipsa diuina pro- C uidentia significet; per quandam uerborum circumloquutionem declarabimus magis; quàm quid ipsa sit diuinæ prouidentiæ natura. Apuleius in dogmate Platonis, prouidentiam diuinam hoc modo diffiniuit. Diuina prouidentia est diuina sententia conseruatrix prosperitatis eius, cuius causa tale suscipit officium. Definitionem hanc breuibus exponamus. Cum inquit [diuina sententia] legis diuinæ immobilitatem indicat; à qua cuncta ex necessitate illo modo eueniunt, quo eueniunt. De qua quidem lege diuina, deque diuinæ legis immobilitate, lib. quarto de Theolog. Plat. cap. XVII edisserens Proclus, ex interprete, inquit.
» Eo igitur, ut dicebam, in loco residet, scilicet Deus, & à summis usque ad ima diuinis cunctis u- » niformiter dominatur legibus; statuta quoque uniuersa intellectualia supermundana'ue, ac mun- » dana, in unum suimet decretum coaceruauit. Siue igitur Saturniæ sint leges quædam, ut ait in » Gorgia Socrates, quæ apud Deos nunc etiam extent; siue Iouiales, (ut inquit Atheniensis ho- » spes) hunc sequitur iustitia diuinam legem deferentium ultrix, siue fatales. Timæus enim leges » ipsis fatales dicere edocuit. Ex quibus omnibus unica in intellectili simplicitate, ineuitabilis nu- » minis statutum continet; iisq; omnibus, & essendi rationem, & uirium mensuras suggerit. Hæc D Proclus. Sed pro maiore eius, quod de lege Saturnia, aut Iouia ille dixit, intelligentia; operæ fortasse precium fuerit; ea hoc loco afferre; quæ lib. quarto quartæ Enneadis Plotini cap. XXXVIII » Marsilius scripsit. Dispositio, inquit, rerum latior est in mente, quàm in ipsa natura; in mente inquam non solùm prima, sed etiam mundanæ, cœlestisq, animæ; dispositionem uerò rerum in mente prima, legem Saturni Plato nominat in Politico; eandem in intellectu animali, legem appellat Iouis in Politico, atque Legibus; eandem in natura legem fatalem uocat in Politico, & Timæo. Quoniam uero ubique firma est, ineuitabiliterq; procedit; in Phædro nominat Adrastiæ legem. Tum uerò quoniam simul cum lege, liberam conseruat efficaciam animorum; in Legibus ait; in animis quidem existere principium actionum; in lege uerò terminum. Hactenus Ficinus. Cuius uerba ultima, & ad quem modum cum diuinis legibus, stet ad mentem Platonis in nobis libertas; & quomodo sit in nobis actionum nostrarum principium liberum; quarum finis & terminus sit fatalis; in libro de Humano libero arbitrio abundè ex Platonicis declaratum à nobis fuit. Sed redeo ad diffinitionis expositionem. Cum ait [conseruatrix] ad rerum tutelam, & perfectionem, non autem ad perniciem, prouidentiam diuinam facere potissimum significauit.

quòd ſi mala, & detrimenta multa in Orbe terrarum uniuerſo contingant; ad Mundi ſalutem illa etiam, & ad eius integritatem, & ad aliarum rerum utilitatem, & commodum facere, ſecundum Platonem, exiſtimare debemus; quod in libro ſequenti qui erit quintus in ordine, fuſius declarabitur. Cum ſubdit [proſperitatis] exponas integritatis, & perfectionis eius; [cuius cauſa tale ſuſcipit officium] prouidentiæ ſcilicet. Et cùm rerum cunctarum cauſa, prouidentiæ officium Deus ſuſcipiat; relinquitur, ut ſuæ legis imperio, proſperitatis rerum omnium conſeruatrix ſit ipſa diuina prouidentia, æterna, ut quæ nullo modo peruerti poteſt. E

Alia definitio ponitur; & illa breuibus exponitur; & in eius expoſitione, de rerum finibus, nonnulla obiter declarantur. Cap. XIX.



LONGE' præclariorem Platonici quidam, illam nobis, ad mentem Platonis, de diuina prouidentia, diffinitionem, ſiue deſcriptionem attulerunt. Prouidentia Dei eſt ſua propria bonitas, ut in inſtitutum ordinem, in ſuumq; finem rem unamquanque dirigit, atque ordinat. In qua definitione notandum eſt, quod F inquit [eſt ſua propria bonitas] quoniam, quemadmodum naturale eſt Deo bonum eſſe, eſt autem Deo ita illud naturale, ut igni eſſe calidum, homini rationis participem, & alia, quæ rei, cuius naturam, & eſſentiam indicant, naturalia eſſe dicuntur, uel etiam longè magis. ita eidem naturale eſt, quod Proclus ad calcem primi libri de Theologia Plat. copioſè diſſeruit, rebus cunctis prouidere. ex quo illud ſequitur; quòd ſicut nullo labore, ignis calidus eſt; & homo particeps rationis; & Deus ipſæ bonus eſt; ita nulla difficultate (quod Epicurus intelligere noluit) terrarum orbi, marium amplitudini, cœleſtium corporum immenſitati, Mundoque demum uniuerſo ille prouidet; ac cuncta ſine moleſtia aliqua, & perturbatione, iugiter curat, atque adminiſtrat. Nempe, ſi, inquit Proclus loco citato, prouidere rebus uniuerſis non eſſet Diis naturale; nec illi naturà boni eſſent. Nam quemadmodum uita uitæ, & mens intellectricis illuminationis eſt conditrix; ac omne primò ens, in quauis natura ſecundò entis gignitiuum eſt; ſic etiam bonum boni erogatiuum eſt. Hæc Proclus. Plotinus lib. ſecundo de Prouidentia, diuinæ prouidentiæ facilitatem per quàm bellè declarauit. Ne quis certè difficilẽ opinetur eſſe Deo, Mundi totius curam: propterea quòd innumerabilia in hoc ſunt, atque contraria, omnia quantumcunque diuerſa in unam coire formam rectiſsimè tradidit Plotinus: qua facillimè uni ſubdantur auctori. Verba Plotini ex interprete hæc ſunt. Si in mixtis, elementa contraria in unam formam conueniunt: ſi in plantis, & animalibus membrorum contrariæ diſpoſitiones, & qualitates uni uiuentis animæ obediunt, unamque formam admittunt, idque naturæ particularis officio; cui mirum uideri debeat, ſi partes quoque Mundi contrariæ in unam formam deſinant? Idque offiicio & opera naturæ uniuerſalis, quam naturæ particulares ubique ſequuntur. Hæc Plotinus. G Quia uerò hæc ipſa diuina bonitas trifariam conſiderari poterat; tum qua ea (ſic dixerim) Deus bonus eſt: tum qua per eã res cunctæ bonæ ſunt; tum tertiò qua per eam res uniuerſæ, quæ bonæ ſunt, in fines ſuos, qui ſimiliter boni ſunt, deſtinantur, ac ueluti diriguntur: ſub hac tertia ratione diuina bonitas prouidentia nuncupatur. Idcirco ſubditur in diffinitione [ut in inſtitutum ordinem, in ſuumque finem rem unamquanque dirigit, ac ordinat] in eo autem, ordine, in quo res unaquæque in finem ſuum dirigitur: quemadmodum ſingulæ ubique in bonum proprium diriguntur: ita cunctæ ſimul, ad bonum commune, conducunt. In duplicem nanque finem rem unamquanque dirigi, ac deſtinari, exiſtimare debemus, proprium uidelicet & communem. Sed ad communem, per proprium quælibet deſtinatur. Ad finem nanque communem contendit, quod ad finem proprium aſsiduè properat. proprius quidem uniuſcuiusque rei finis eſt ille, in quem res ipſa, ut talis eſt, H & quatenus à rebus aliis ſecreta atque diſtincta eſt, deſtinatur. ut uerbi gratia, equi ſit finis proprius hinnire, ſeſſorem ferre, & huiuſmodi. Bouis mugire, arare, plauſtrum trahere, & id genus alia. Communis uerò eſt ille, in quem res ipſa, non quà talis eſt, & ab aliis diſtinguitur; ſed contrà quatenus eſt pars mundi, & cum aliis rebus communicat, inclinatur, atque dirigitur. ut equo & boui cõmunis finis, cæteriſque animalibus cunctis ſit, uerbi cauſa, ſibi ſimile, generare: prole perpetuitatem intendere: ſe ab aduerſis tueri, & huiuſcemodi alia. Vniuerſis autem quæ in mundo ſunt rebus communis finis ſit, ad perfectionem, & integritatem uniuerſi facere; bonum quod appetunt, adipiſci. & id genus plurima alia; ad quæ per finem proprium, ut pote per proprias operationes ſingula contendere, & deſtinari uidentur. Sed cum cætera ſublunaria unius tantùm generis finem proprium, & peculiarem, ſingula habeant; illum ſcilicet, qui cuiuſque naturæ magis congruus eſt; qui & ſi plures gradus habeat, qui plurium quaſi finium rationem ſubire uideantur; unus tamen re uera eſt. Homo ſolus duos de ſententia Platonis fines proprios habere uidetur: unum (ſic dixerim) naturæ, in quo omnes homines pro naturæ ſuæ ratione communicant:

A municant; alterum uoluntatis. finem uoluntatis nunc illum uoco, qui cuique pro ratione bonarum, uel malarum suarum operationum (hæ nanque à uoluntate, siue ab intellectu uolente, iuxta Platonicorum decreta, libere procedunt) ex diuina sententia, & prouidentia, pro iustitia, & Deorum iudicio debetur. Et ideo lib. duodecimo de Legibus, cum dixisset, unumquenque nostrum esse ipsam animam, quæ immortalis est: subdit; quòd illa ad alios Deos proficiscitur, rationem suorum operum reddit ura, quemadmodum lex, inquit, patria continet. In Dialogo etiam cui titulus Axiochus, ex Gobria quodam mago, retulit Plato, uel Platonicus quispiam: in Delo insula fuisse quasdam æneas tabulas: quas ab Hyperboreis Opis & Hecaergus attulerant: in quibus animas esse immortales declarabatur: & animam à corpore absolutam, in ignotum quendam locum, subterraneo discedere recessu: in quo Plutonis sit regia, nihilo minor quàm aula Iouis; uestibula autem, quibus ad Plutonis regnum est aditus, ferreis esse claustris, atque clauibus ofsirmata. Aperientem illam fluuius excipit Acheron: post quem Cocytus est. Eos ubi quis traiecerit, ad Minoem, & Rhadamantum accedere necessum est, in agro, quem campum ueritatis uocant, in quo Iudices sedent, recognoscentes eorum, qui aduenerint, singulorum uitam: Eos, qui pii, ac probi fuerint, innumeris bonis afficiunt; illi uerò, qui improbi, ac scelerati uixerunt,

B per Tartarum à Furiis ad Erebum, Chaosque rapiuntur; ubi impiorum est locus, inexplebilesque Danai filiarum urnæ; ubi Tantali sitis; præcordia Titii; Sisiphi inexplicitum saxum, cuius finis ab alio incipit rursus labore, ubi circumlambentibus eos feris, indesinenter lampadibus adusti, & omnium pœnarum afflicti cruciatu, tormentis laniantur immensis. In Phædone similiter & terram descripsit, in cœlo stellato, pulchritudine inenarrabili, bonis omnibus refertissimam: ad quam emigraturas dicit animas eorum; qui piè, ac sanctè uitam transegerint; & Acherontem, Phlegetontem, Stygem, Cocytum, Tartarum denique apud inferos constituit: in quibus pro ratione transactæ uitæ improborum animæ miserè torqueantur. Item in Apologia, animarum Iudices Minoem, Rhadamantum, Aeacum, Triptolemum, & alios semideos, qui rectè uixerunt, expressit. Idem ferè in Dialogo, cui titulus Gorgias, pluribus uerbis Plato nobis exposuit. Et in libro siue Dialogo decimo de Repub. Erum Armenicum genere Pamphylium, uirum præstantissimum in prælio occisum, ac domum delatum, ut sepeliretur, post duodecimum ab obitu diem, ex mortuis dum pyræ mox cremandus esset impositus, suscitatum affirmauit. Et multa, quæ apud inferos gererentur, enarrasse ait; sed præsertim de diuino iudicio, de mortuorum resurrectione, de impiorum suppliciis, ac piorum fœlicitate, & de hiatibus quibusdam, duobus uidelicet terræ proximis, duobus item aliis è conspectu supernè, in cœli regione, sibi conspectis disse-

C rentem multaque iis similia narrantem descripsit. In quo loco, ex Iustino Platonico, & Martyre Christiano, Ficinus inquit: quòd hoc, quod Plato de Ero narrat, non est fabula, sed historia. Plutarchus in lib. cui titulus, de Sera numinis uindicta, similia narrat, de quodam Soleo Cilico, post triduum ex mortuis suscitato. Apuleius, quem locum prius etiam citauimus, lib. de Deo Socra
» tis. Plato, inquit, autumat singulis hominibus, in uita agenda, ex sublimiore quadam dæmonum
» copia testes & custodes additos; qui nemini conspicui semper adsint: omnium non modò acto-
» rum testes, uerùm etiam cogitatorum. Ac ubi uita edita remeandum est; eundem illum, qui no-
» bis præditus fuit, raptare illico, & trahere, ueluti custodiam suam ad iudicium: atque illhic in causa dicenda assistere: si quid commentiatur, redarguere: si qua uera dicat, asseuerare prorsus, illius testimonio ferri sententiam. Quæ omnia & Deorum de humanis rebus curam, & prouidentiam comprobant; & cunctos homines in finem non tantùm ex natura, sed ex operibus etiam sibi debitum, dirigi tandem euidenter declarant. Sed de illa diffinitione & de rerum finibus hactenus.

D

Tertia de diuina prouidentia ex Platonicis ponitur diffinitio; & eadem exponitur. Cap. XX.



A Nonnullis non ignobilibus Platonicis, hæc etiam ad sui principis dogmata, adducitur de diuina prouidentia pulcherrima diffinitio. Prouidentia diuina est summa, in eo, qui materiam mouet, rerum omnium ratio. Quæ diffinitio, quia cæteris breuior, & obscurior est, debet à nobis aliquanto fusius declarari. Quod dicitur [est summa rerũ omnium ratio] ita interpretatus est Boethius. Est ratio in summo rerum omnium principe constituta, per quam res in suo ordine cunctæ sunt dispositæ. Quod uerò dicitur [qui materiam mouet] obscurissimum ac difficillimum est: id propterea diligentius exponere cogimur. Cum enim propter finem, unumquodque, quod agit, agat: quòd unamquanque causam finis moueat. finis nanque mouet agentem: agens formam: forma materiam. Vt omnes igitur aliquo modo causas finis ipse antecedat, necessarium est. quòd in iis, quæ arte, uel consilio aguntur; manifestum fieri facillimè

mè poteſt. Qui enim terram effodit, lapides, & calcem parat, ligna pro ratione incidit, quæ o- E
mnia materies ſunt; domum fabricare, eſt autem domus forma, & ſe ab æſtu, & frigore protege-
re, quod harum omnium operationum, & ipſius denique domus finis eſt, intendit. At finis iſte,
uel etiam domus ipſa, quam nuper formam appellauimus (formam autem cum fine incidere af-
firmant Plato, Ariſt. & uniuerſa Academicorum ſchola) priuſquàm inciſa ſint ligna; erecti parie-
tes; & ſuperimpoſitum ſit tectum: propter quam parantur hæc omnia: & quæ, hæc cuncta mo-
do quodam mouere, diſponere, & neceſsitare, uidetur; ubi eſt, quæſo? Alicubi nempe ut ſit: ne
ceſſarium eſt. Quod enim nullo modo eſt; ne mouet, quidem. igitur & calcem, & ligna, & la-
pides finis iſte (ut dictum fuit) & domus ipſa præcedit. Sed ipſa domus nullibi profectò eſt, niſi
in artifice, & in ipſo domus fabricatore, & architecto. Simili modo ſi quæras, ubi'nam ſit finis il-
le de quo præcedente capite ſatis diſſeruimus, in quem res natura conſtantes deſtinantur? (nunc
autem naturæ nomine fuſius utimur; ut contra figmenta, & entia rationis diſtinguitur) non enim
exiſtimandum eſt, nullo eas fine præſtituto à natura conſtitutas fuiſſe uel temere & nullo dirigen
te res ad generationem moueri & in lucem produci; cum tanto tamque admirabili ordine, ſingu
læ uel ad generationem diſponantur, & moueantur; uel locum certum in Mundo, & gradum F
tueantur. Natura enim (ut libro ſecundo Phyſicarum auſcultationum copioſè declaratur ab A-
riſtotele) eſt de numero eorum agentium, quæ agunt propter finem. ubi eſt igitur naturalium re-
rum finis, qui res ipſas, antequàm etiam effectæ intelligantur, ut præcedat, quemadmodum di-
ctum fuit, neceſſum eſt? Vbi inquam rerum naturalium & generabilium finis, antequam na-
turales res productæ, & in lucem editæ, & genitæ ſunt; & in finem ſuum peruenerunt? dum
ſcilicet ad generationem, & ad finem ſuum mouentur; habet & eſſe, & permanentiam? Non
enim, ut patet, eſt in materia; cum ſit materia ex ſe ſine forma aliqua, & ſine aliquo a-
ctu; finis uerò & forma & actus ſit. Non in ipſa forma; non enim rem antecederet, ſed
contra rationem finis, eſſet ſimul cum ipſa re. Forma nanque, ut forma eſt ſimul eſt cum
re, non antecedit rem, non poſt rem permanet, ſed ſimul cum illa re eſt, cuius eſt forma. Nec,
præceptore Ariſtotele lib. duodecimo, Primæ Philoſophiæ parte XVII, uocandum eſt nunc
in dubium; an res ita prorſus ſe habeat, in humana forma; uel an potius illa remaneat diſ-
ſoluto compoſito. Satis ſit ad doctrinam Platonis, in omnibus ſaltem aliis naturalibus for- G
mis, ea ratione qua formæ ſunt hoc (quod diximus) formam ſimul eſſe ſemper cum ea re, cuius
eſt forma & rem non antecedere, ueritatem habere. At præcedit ſemper finis rem illam, cuius
eſt finis. inquirimus igitur ubi, uel in quo habeat finis eſſe; dum rem antecedit. non in re ipſa,
nondum enim res eſt; non in forma, non in materia, non ſtat per ſe. Ergo eſt in agente; atque in
eo, qui materiam ad formam mouet. in eo nanque qui certam materiam mouet; certus quidam
finis eſt. in eo uerò, qui omnium materiam mouet (eſt autem materia communis omnium, ma-
teria prima) eſt rei cuiuſque finis, & forma; non ſecus quàm finis, & forma domus eſt in illius
mente; qui calcem, lapides, ligna, & uniuerſam breuiter domus materiam præparat ad formam.
Finem autem præponere iis, quæ nondum ſunt; & ea, cum uel ad generationem, uel ad perfe-
ctionem mouentur; ad finem dirigere, ordinemque ad deſtinatum, rebus ſingulis, finem uſque
ſeruare perpetuum, prouidentis, non cuiuſque, ſed eius, qui rerum omnium curam, & proui-
dentiam habeat, hoc eſt Dei Opt. Max. munus eſt proprium. Erit igitur prouidentia diuina, ra-
tio ſumma rerum in primo motore, qui primæ materiæ nunc motor eſt dictus, qui Deus eſt, con-
ſtituta. Diximus in tertio libro, quod modo ratione oſtendimus, materiam primam non niſi à
Deo optimo, ex Platone, moueri poſſe; à quo Stoici non diſſentiunt. At ne uel in uerbis error
tibi contingere poſsit; notabis, materiam moueri, duobus modis ſecundum Platonicos intelli- H
gi poſſe, uidelicet uel ad eſſe, uel ad bene eſſe. Ad eſſe ut in Parmenide copioſè probatum fuit à
Platone, à Deo ſolo poteſt moueri. Ab anima uerò ad bene eſſe, moueri poteſt. A non habet
tunc rationem materiæ, ſed ſubiecti potius. Nec amplius dicitur eſſe materia prima. Hæc nem-
pe tantùm ad eſſe mouetur. Ab hoc ergo primò materiæ motore, per ipſummet primæ materiæ
motorem, qui cuncta (ſuis æternis legibus) adminiſtrat; & per inferiorum Deorum, & Dæmo-
num miniſteria, qui ad diuinas illas primi motoris leges, & regulas, ſemper collimant: tanquam
per pædagogorum operam, ad fines ſuos ſingula, & ad unum denique cuncta, lento, ac ſuaui gra-
du, & certo ordine, iugiter, ut deſtinata ſunt; deducuntur. A' quo quidem ordine, non ſolùm
non diſcedit res ulla; ſed nec poteſt diſcedere. quòd ſi quando res aliqua ab illo recedere uideatur;
non recedit (inquiunt Platonici) ſed ad ſibi deſtinatum ordinem, & finem, alia uia delabitur.
Nihil ſanè ita præuaricatur; ut uel ordinem uniuerſi perturbet; uel ordinatoris effugiat prouiden
tiam. Sed de iſta diffinitione hucuſque. Nonnulli ex Platone prouidentiam diuinam dixerunt
eſſe diuinam ſententiam, conſeruatricem, effectricemque uniuerſi. cuius diffinitionis ex his,
quæ prius cap. XVIII, dicta fuerunt; iam ſenſus manifeſtus eſt. Sed de diuina prouidentia an ſit,
& quid ſit ad Platonis & Platonicorum decreta. Hactenus.

A Quid sit diuina prouidentia, ad mentem Stoicorum, ponitur; & de diuina prouidentia, Synesii opinio breuissimis tangitur, & improbatur. CAP. XXI.



PROVIDENTIAM diuinam non ad eundem modum Stoici omnes diffinierunt. Zeno, ut superius diximus, diuinam prouidentiam Mundi naturam artificem, consultricem, & prouidam utilitatum, & opportunitatum omnium existimauit; eamque ipsam, & Mundi mentem, & prouidentiam appellauit; ut illam, ex Zenone, ita deffinire possimus. Prouidentia diuina, est ipsa Mundi natura, qua est artifex, consultrix, & prouida utilitatum omnium. Nonnulli ex ipso Zenone Citiæo, ut Picus ille Io. Franciscus doctiss. qui librum de Diuina edidit prouidentia, & alii, eam ita diffinierunt. Prouid. diuina est materiæ motrix potentia. de qua quidem diffinitione capite superiore, fusè satis à nobis dictum fuit. Chrysippus πρόνοιαν dixit, quæ
B πρὸς τὸ χρήσιμον οἰκονομεῖ ἕκαστα. idest. Prouidentia est, quæ ad id, quod est utile unumquodque disponit. Potest etiam ex iis, quæ de Fato, ab illis, tradita fuerunt; huiuscemodi de diuina Prouidentia colligi descriptio. Diuina Prouidentia est æterna rerum uel omnium, uel magnarum saltem, in suos fines; à Diis præordinatio; quæ per seriem & ordinem causarum, ineuitabili necessitate, exprimitur; atque perficitur. Erat enim fatum ex Chrysippi sententia, motio perpetua, ineuitabilis, continua, & ordinata. Ab Epicuro propterea ab Stoicis posita diuina prouidentia, dicebatur anus fatidica; anus propter æternitatem, fatidica propter ineuitabilem necessitatem. Heraclitus diuinam prouidentiam rationem putauit esse per uniuersum euntem, quæ definitio, ut cæteris breuior, ita obscurior est, & paulò addito, tam ad Zenonis, quàm ad Platonis sententiam conuerti, atque exponi potest. Ficinus in Parmenidem cap. XXVIII. Stoici (inquit) diuinitatem eminentia sinceritateque priuauerunt. prouidere enim illam, & agere, putauerunt, per Mundum usque quaque diffusam, & instar spiritus ignei discurrentem. Sed quia de Prouidentia ad Stoicorum opinionem, nihil ferè legimus, quod ad tractatum etiam de Fato, non pertinere uideatur; cùm autem iam de Fato, ad eorum dogmata, satis diffusè dixerimus; super uacaneum sine dubitatione nunc est; in opinione Stoicorum, de diuina Prouidentia, & in inquisitione quid
C eadem sit, ad eorum sententiam, diutius immorari. De Prouidentia igitur ad Academicorum, & Stoicorum dogmata, quæ dicta sunt sufficiant. Velle pluribus has diffinitiones & has opiniones, improbare; superfluum profectò cunctis uideri potuisset; quoniam de his à nobis non est suscepta ratio, nisi ut disputationi & inquisitioni nostræ, qua res ineuitabili ne necessitate, an non eueniant, inquirimus, sat est. per ea autem quæ præcedente libro multis & iis firmissimis rationibus demonstrauimus, hæ quoque de diuina Prouidentia opiniones, & diffinitiones, qua in rebus temeritatem, & contingentiam tollunt; reiectæ sunt. Vt pluribus aduersus easdem agere, nugari esset potius, quam differere. Ex industria prætermisimus eorum opinionem; qui Deorum Prouidentiam, per temporum interualla, statuerunt. Vt non nisi, cum in maximo periculo res mortalium sunt; aut etiam cum funditus corruerunt; tunc demum, inquiunt isti, curam Dii suscipiant; in pristinam uel etiam perfectiorem conditionem omnia reuocaturi. fuit huius opinionis Synesius maximus alioqui Philosophus in libro de Prouidentia; qui prouidentiam non instar matris, quæ modò in lucem ediderit infantem; in abigendis scilicet quibuscunque aduolantibus occupandæ; cum à se nuper natus, omni præsidio, careat; sed ad similitudinem potius matris illius se habere, est arbitratus; quæ & uires iam soboli, & arma suppeditauerit; quibus uti,
D ea filio præcipiat; ut per se ipse sibi nocitura propulset. Hæc nempe opinio inter alia absurda mutationem maximam, quod absurdissimum est, in Deorum natura ponere uidetur; cùm eos non semper prouidere demonstret, sed aliquando. At tempus iam est; ut quid de diuina prouidentia Peripatetici sentiant; uideamus.

Diuina prouidentia an sit ad mentem Aristot. inquiritur: & multorum eiusdem interpretum opiniones recitantur: & primò eorum, qui rerum tantùm æternarum curam & prouidentiam Deum habere putarunt; & illorum opinio reiicitur. CAP. XXII.



POSTQVAM Platonis, & Stoicorum de diuina prouidentia opinionem, iam copiosè satis explicauimus superest: ut missis nunc aliorum Philosophantium opinionibus, paulolum circa Aristotelis tantùm opinionem immoremur: & quæ de prouidentia diuina fuerit eiusdem, summi alioquin, ut neque Platonem repugnante Cicerone excipiamus, ac prestantissimi Philosophi, philosophorumque omnium principis, & Coryphæi sententia breuissimis inuestigemus: eamque, quod certe multis; ne dicam omnibus Peripateticis, hactenus

nus difficillimum fuit, quod fieri poterit sincerius, ac candidius, demonstremus. Verùm ut in hac tam graui & tam ardua difficultate maturè, & ordine certo procedatur: aliorum prius Aristotelis interpretum, non omnium quidem, sed magis in Peripatetica familia nobilium, & probatorum opiniones recitabimus: deinde quid de eadem, nos sentiamus, paucissimis aperiemus. de diuina igitur prouidentia ad mentem Aristotelis uarii uaria senserunt. E

CHALCIDIVS super Timæo Platonis (quod lib. secundo de Fato, capite primo, aduertit etiam Pomponacius) opinatus est de sententia Aristotelis, æternarum duntaxat rerum, non autem harum caducarum curam & prouidentiam Deum habere. Idẽ de Aristotele sensit Theodoretus uir doctissimus, in libello, cui titulus, Diuinorum dogmatum epitome, cap. de Prouidentia. Eadem fuit de Aristotele Tatiani Syrii, Iustini Martyris discipuli, in omni literarum genere doctissimi, & aliorum multorum Aristotelis interpretum sententia. Persuadetur aliquot rationibus opinio.

Primò. quia, fragilia hæc, & fluxibilia ex lib. duodecimo. Diuinæ Aristotelis philosophiæ, parte prima supra quinquagesimam, non cognoscit Deus. non igitur iisdem prouidet. sequela eo constare uidetur, quòd prouidentia rei, cui prouidetur, in prouisore cognitionem de necessitate requirere uideatur, æquè nanque procedere dixerunt diuinam cognitionem, & prouidentiam. Assumptum probatur. F

Primò. quia harum rerum cognitio instabilis est: cum esse omnino infirmum, multiplicibusque transmutationibus obnoxium, & instabile cunctæ res sublunares obtineant: cognitio autem rei illi cuius est, quadrare, ac respondere teneatur. ab illa ergo rerum harum notitia abigenda est penitus cognitione, quæ non nisi stabilissima, constantissimaque esse potest: ad quem modum diuina, sine dubitatione, ita se habet, ut aliter se habere non possit.

Secundò. adderent aliqui incommodorum nexum: ut quod sequeretur primo Dei intellectionem esse uilem.

Secundò. non idem illam esse cum diuino intellectu.

Tertiò. quòd aliquo modo diuinus intellectus pateretur.

Quartò. quòd diuina intellectio non esset una & simplicissima, sed multiplex, pro multitudine & numerositate rerum intellectarum.

Quintò. quòd de potentia ad actum educeretur diuina intellectio, pro eductione rerum ad actum ex potentia primæ materiæ.

Sextò. quòd intellectus diuinus esset uirtus, quæ mutari, lassari, & fatigari posset; & alia id genus multa deducere isti nituntur incommoda. G

Tertiò. quia iam tolli uideretur omnis libertatis nostræ, omnis temeritatis, & omnis denique contingentiæ natura. cum enim sicut neminem fallere, ita in sui prouidentia ab aliquo falli non possit Deus; si res uniuersas intelligeret, eisdemque prouideret: cuncta appositè & definitè pro ratione diuinæ cognitionis, & prouidentiæ euenirent. Quamobrem Boethius lib. quinto de Consolat. philosophica, prosa III, & prius lib. quarto pro. VI dicebat. Humani arbitrii libertatem diuinæ repugnare prouidentiæ, uisum semper fuisse philosophis. Cicero propterea ut humanam libertatem tueretur, diuinationem, nec non diuinam prouidentiam in commentariis suis de diuinatione, & de Deorum natura, uisus est abstulisse. Et ideo de illo lib. quinto de Ciuitate Dei cap. IX, dicebat rectè B. Augustinus; quòd hominem reddidisset sacrilegum: dum eundẽ tueri liberum niteretur.

VERVM Chalcidio, & Tatiano, & iis, qui Chalcidii uel Tatiani de Aristotele opinionem sequuntur: uerbum Aristotelis in proœmio Diuinæ philosophiæ manifestissimè aduersari ac repugnare uidetur: ubi sapientis est (inquit) ordinare, quod est dictu, res in finem suum dirigere. Sed hoc loco notandum est: quòd sapiens bifariam sumi apud Aristotelem potest. Vno modo in re aliqua καὶ κατά τι hoc est secundum quid. ad quem modum lib. sexto Ethicorum cap. VII, Phidiam sapientem sculptorem, & Polycletum sapientem statuarium appellauit Aristoteles. altero modo absolutè & simpliciter, ad quem modum sapientem Metaphysicum loco citato, idem nobis deliniabat: cùm sapientis dicebat esse ordinare, quasi diceret, cuncta ordinare, atque in finem suum res uniuersas dirigere, eius, qui simpliciter sapiens esse dicitur, munus est. Deus autem citra dubium de sententia Aristotelis sapientissimus est: tractatum propterea, quem de diuinis ipse edidit: & eam cognititionem, que de rebus per Dei diuinarumque, & altissimarum causarum cognitionem atque contemplationem haberi potuit, sapientiam nuncupari censuit. omnia igitur in finem suum Deus dirigit, hoc autem prouidere est, rebus igitur uniuersis, non æternis tantùm sed etiam generalibus & corruptibilibus Deum prouidere dicemus. H

ITEM in lib. de Mundo ad Alexandrum (si liber est Aristotelis, ut multis eruditis uiris placuisse certum est: quamuis aliquibus uideatur esse Nicolai Peripatetici; non nullis etiam Theophrasti, nec desint qui dicant esse Philonis Iudæi; Sed cuiuscuius sit; satis sit nobis, uel ab Aristotele,

uel

A uel ad dogmata saltem Aristotelis, librum fuisse conscriptum, ita ad uerbum ex interprete legi-
» tur. Mundus uniuersorum est ordo, & exornatio a Deo, & per Deum custodita. cui dubium,
inter uniuersa illa, quorum Mundus & ordo, & exornatio est, habere locum caduca hæc gene-
rationi, & corruptioni obnoxia? Primo etiam libro, cui titulus de Sublimibus, ad principium.
» Necesse est, dicebat Arist. hunc Mundum inferiorem, continuari superiori, ut omnis eius uirtus
inde gubernetur. Mundus inferior, certè mundus est generabilium & corruptibilium; non im-
mortalium & æternorum. Et ne continuationē istam Mundi inferioris cū superiore, atque hunc
nexū, penes tantùm uniuersitates quasdam & species intelligeres, quæ tantùm successione qua
dam æternæ sunt, apposuit signum uniuersitatis [omnis] inquiens [ut omnis eius uirtus inde
gubernetur] si omnis inferior uirtus inde gubernanda est, quo modo non inde etiam generabi-
lium, & corruptibilium, & breuiter indiuiduorum omnium uirtus omnis gubernanda non erit?
sed quid aliud gubernare est, quàm curare, regere, & prouidere?

Item in prooemio Metaphysicæ inquit, ὅτε γὰρ θεὸς δοκεῖ τῶν αἰτίων πᾶσιν εἶναι ἀρχή τις, idest. Vi-
detur omnibus Deum, causarum. esse principium quoddam. Non'ne indiuidua generabilia, &
B corruptibilia causæ sunt? immo quàm maximè sunt; quum ex prooemio Metaph. actiones sint
indiuiduorum. horum ergo erit Deus principium. sed quomodo, si ab eis diuinam prouidentiam
abstulerimus? Illud etiam quod lib. secundo Physicarum auscultationum declaratur, Naturam
agere propter finem, rebus cunctis Deum prospicere, intimius propositionem consideranti ma-
nifestat. quum Natura ipsa aut Deus sit, aut à Deo in finem suum dirigatur. Natura autem, quæ
agit, certè indiuiduum est. non species & uniuersitas quædam. actiones, ut sæpius dictum est,
indiuiduorum sunt, & rerum singularium, non autem uniuersalium & specierum. Auerroes pro-
» pterea in eodem loco, hoc est parte quinta supra septuagesimam dicebat, Si diuinus non concesse-
» rit eam propositionem; eorum, quæ sunt hic, Deum habere sollicitudinem, probare non po-
terit. quasi diceret de rebus uniuersis, non autem de æternis tantùm Deum habere sollicitudi-
nem, tenetur probare Metaphysicus. quod hac propositione, Natura agit propter finem, uel pro
bare uel saltem confirmare poterit. uidentur igitur ex istis tum Aristotelis, tum eius interpretum
dictis, & citatis locis, cuncta diuinæ administrationis, & diuinæ prouidentiæ legibus administra-
ri & gubernari; non autem æterna tantùm.

C Ponitur opinio eorum; qui ex Aristotele rerum quidem omnium prouidentiam posuerunt in Deo glorioso; sed rerum sublunarium in uniuersali tantùm, & illa reiicitur. Cap. XXIII.



Qvamobrem fuerunt aliorum nonnulli, qui rerum omnium tam sublunarium,
quàm cœlestium, tam caducarum, quàm æternarum prouidentiam, ad Ari-
stotelis sententiam, & curam Deum habere asseruerunt, sed modis diuersis.
Harum enim caducarum & fragilium rerum, in uniuersali tantùm & secundum
speciem: illarum uerò cœlestium, incorruptibilium corporum, atque æterna-
rum illarum mentium, quæ corpora illa sempiterna, sine cessatione, transmu-
tant, & cient, etiam in particulari, prouidentiam Deum habere existimaue-
runt. Videtur hæc opinio Auer., Themistii, & aliorum non ignobilium Aristotelis interpretum.
Huius in diuina prouidentia diuersitatis, duæ rationes istis esse uidentur. Vna quòd prouidentia
contingentiam, & temeritatem tollere; & ineuitabilem necessitatem inducere uideatur. In iis
autem generabilibus, & corruptibilibus rebus, ineuitabilis necessitas tantùm est, quo ad ea, quæ
ad suam speciem, & ad suam uniuersitatem attinent; & quæ earum naturam & formam conse-
D quuntur. in illis uerò sempiternis rebus, nulli temeritati, nulli corrumpenti alterationi, aut
transmutationi obnoxiis, non ea solùm, quæ ad speciem pertinent, & earum essentiam & uniuer-
sitatem: sed quæ etiam ad singula spectant indiuidua; & æterna, omnia prorsus et necessaria sunt;
& necessitate impermutabili eueniunt. Quamobrem in plerisque philosophiæ locis, casum &
Fortunam negauit in Cœlo Aristoteles. Nam lib. secundo de Cœlo, parte tertia supra trigesimam.
» In æternis inquit, non est fortuna aut casus. Et lib. secundo, de Principiis, tex. XLVI, antiquos
repræhendit, qui in Cœlo casum asserebant. In iis similiter, quæ ad alicuius naturæ uniuersitatem
pertinent, casum abstulit Aristoteles. Nam lib. secundo de Cœlo, commento XLIIII, & XLV,
» Impossibile esse, aiebat Auerroes, ut casus sit in uniuerso alicuius speciei, in cuius genere cadit
casus, nedum in specie, in qua est impossibilis. Sed de priori ratione hactenus.

Altera & posterior ratio est, quòd cum intellectus noster non nisi per accidens, quòd sit sen
sui coniunctus, singularia hæc singillatim materiata intelligat; si tamen, ut Ioanni Grammatico, &
aliis quibusdam placuit, ea intelligit; sequitur, ut ista minimè singillatim cognoscat intellectus il-
le, qui à sensibus, & à materia prorsus seiunctus fuerit: qualis est diuinus. Sicut igitur hæc sin-
gillatim

gillatim non cognoſcere Deum crediderunt; Ita nec eiſdem in ſingulari ipſum prouidere poſſe iſti excellentisſimi alioquin uiri putauerunt. quoniam cognitio forſan, & prouidentia pari paſſu in Deo procedere exiſtimauerunt. E

SED opinioni iſti obiici poteſt; tum quòd dubium pro conceſſo ſibi opinio ſumat. Diuinum ſcilicet intellectum hæc materiata, & ſingularia non intelligere, nec ratio ab illis producta ſatis cogit. Vel enim intelligenti naturæ, qua intelligens eſt, repugnat hæc materiata ſingula intelligere, uel non: ſi primùm, neque per ſe, neque per accidens eadem poterit intellectus quiſpiam intelligere. quod enim alicui repugnat; nulla eidem ratione conuenire poterit. Si ſecundum, ſequitur quòd eadem diuinus etiam intellectus intelligere poſſit. Ex quo ſequitur iam illa actu intelligere; quod poſſe & eſſe ad dogmata Ariſtotelis in æternis non differant. Adde, quòd Deus per eſſe ſuum agit. Eſſe autem, & intelligere in Deo, propter ſummam eius ſimplicitatem, idem ſunt. oportet igitur, ut operetur intelligendo. At eius operatio per omnia, tam uniuerſalia, quàm ſingularia, & ad minima uſque extenditur. conſequens eſt igitur, ut res ſingulares, & minimas quaſcunque deus intelligat. Verumtamē de hac re poterit uberius alibi diſputari. Nunc autem de rebus omnibus etiam ſingularibus non in uniuerſali tantùm, ſed in particulari etiam (quicquid ſit de diuina cognitione) apud Deum ex Ariſtotelis ſententia prouidentiam eſſe, oſtendere nobis ſufficiat. Ad hanc nempe rem aſtruendam ea faciunt; quæ Chalcidio capite ſuperiore, & Tatiano, ex Ariſtotele obiecimus. quibus minimè contemnendam rationem nunc addimus. Si ſingulares iſtæ cauſæ ſublunares & caducæ ſuis, quos ipſæ producunt, effectibus ſingularibus (quod multiplici in animantibus experientia patere poteſt; proprium nanque filium mater curat) in ſingulari, & determinatè natiua quadam propenſione prouident; & hoc ſit (quod nemo hominum ibit inficias) in cauſa generante, ſiue efficiente, & producente alicuius perfectionis; quanto magis primam cauſam, à qua de ſententia Ariſtotelis, ſicut omnis eſt abigenda imperfectio; ita per eminentiam quandam omnis ei perfectio tribuenda eſt, ſuis effectibus cunctis prouidere cenſendum erit? Libro enim duodecimo Diuinæ Philoſophiæ, parte XXXIX aſſerit Deum eſſe cæteris rebus omnibus quid mirabilius. Et Theophraſtus in ſua Metaphyſica cap. primo, Deum ait omnia excedere. Si igitur eſt quid rebus omnibus mirabilius; ſi omnia excedit, perfectione ſcilicet, & excellentia. omnem igitur eminenter perfectionem obtinet. quicquid igitur in rebus perfectionis erit; totum in Deo, & longè cumulatius ponendum eſt. Ergo cunctis effectibus ſuis prouidet, atque illorum omnium curam habet: alioquin non omnem contineret eminenter perfectionem; cùm effectus ſui curam habere, ſit (ex ſuppoſito) in cauſa alicuius perfectionis. F

DICES fortaſſe hos ſingulares effectus, primæ cauſæ effectus non eſſe, ſed ſecundarum. G

AT qui ſunt (quæſo) effectus primæ cauſæ? non'ne illi omnes, qui non ſolùm ab ipſamet prima cauſa ſola, & immediatè; Sed qui ab omnibus etiam ſecundis cauſis, producuntur? In primo nanque libro, propoſitionem illam Procli, Plus agit prima cauſa in effectum quemlibet, quàm cauſa ſecunda. multis ex Ariſtotele collectis locis confirmauimus. Cuncta nanque à Deo Opt. Max. produci dicuntur; quamuis non eodem modo omnia; ſed aliqua immediatè, ut motum primi corporis, alia uerò iſto motu mediante. Et paulò ante ex Ariſtotele dictum eſt, primam cauſam eſſe principium cauſarum omnium; ut omnis effectus ſecundæ cauſæ, ſit etiam ſine dubio effectus primæ. Omnibus igitur, qui in uniuerſo orbe producuntur effectibus, tanquam ſuis, Deum prouidere dicendum eſt. Nam inter ſupremæ cauſæ effectus, illi etiam comprehendendi adnumerandiq; ſunt omnes; qui à quibuſcunque ſecundis cauſis effici, ac produci contingunt; ut nullus effectus ſit, qui ab aliqua ſecunda cauſa producatur, quem etiam à prima, & longè magis à prima, quàm à ſecunda cauſa, produci, ritè & phyſicè fateri, non teneamur. Præterimus interea multa & ab Ariſtotele, & ab illiſmet etiam Philoſophis, aduerſus quos arguimus, dicta atque aſſerta; quæ omnino uera eſſe non poterunt; ſi iſtorum ſingularium curam; ſingularemq; de eiſdem prouidentiam à Deo penitus negare uoluerimus; quemadmodum illud eſt, quod in lib. duodecimo Metaphyſicæ, parte XXXVIII legitur. Deus eſt tale bonum; à quo pendet cœlum, & tota natura. Si tota natura, quomodo non etiam ſingularia? Non'ne ſingulare quodlibet eſt pars aliqua, quocunque modo pars eſſe dicatur, ſuæ ſpeciei, & naturæ? Quid enim (quæſo) aliud eſt tota natura hominis; quàm indiuidua omnia humanæ ſpeciei? tota natura equi; quàm cuncta ſingularia equinæ ſpeciei? Et illud lib. ſecundi de Cœlo parte LVI, ubi Deum laudat; quòd non eo ingenio ſtellas conſtituerit; ut per ſe mouerentur; quoniam hoc in rerum ſublunarium perniciem factum fuiſſet; ueluti, inquit Ariſtoteles, his quæ futura ſunt prouidente natura. In textu græco legitur προνοούσης τῆς φύσεως. quæ nam ſunt illa; quæ ibidem ab Ariſtotele futura dicta ſunt? rerum'ne ſpecies, an res ipſæ & ipſa indiuidua in ſingulari? ſi ſpecies æternæ ſunt, quomodo inter res futuras locum habere poſſunt? ſed ea appellauit futura; quæ erant producenda, & ædenda in lucem, hæc autem (quæſo) quæ ſunt, niſi indiuidua? quòd ſi primo lib. de Cœlo parte XX Naturam dixit, rectè feciſſe, quòd à contrariis exemerit corpus ingenerabile H

& incor-

A & incorruptibile futurum, ubi futurum dixit corpus, quod æternum est, & immortale. Vtitur suo modo loquendi; corporibus omnibus per intelligentiam Deum, & naturam etiam quo ad eorum existentiam præferendo. In eo loco libri secundi Auerr. ait. Sed creator optimè fecit, cum posuit substantiam conuenientem saluti eorum, quæ sunt hic. at ea, quæ sunt hic; quorum saluti prospiciendum erat à Creatore, & Deo Opt. Max. non'ne sunt singularia & indiuidua ipsa? cùm species æternæ sint; quarum incolumitati uel uanum fuisset prouidere, uel saltem non modo alio, quàm, suorum singularium procuratione, eisdem prouideri poterat? Adde, quòd eodem libro, in cœlesti corpore, contingentes difficultates, ut, cum cætera corpora unico, cur multis & innumeris sideribus firmamentum insignitum sit? cur cœlestium corporum quoddam uno tantùm, quoddam pluribus, & diuersis motibus moueatur; & aliàs id genus, plurimas per quandam diuinæ prouidentiæ ad hæc ipsa indiuidua, & singularia relationem, dissoluit. Item lib. duodecimo Metaphysicæ, commento LII inquit, idem Auerroes. Si aliqua sine prouidentia proueniunt, istud est ex necessitate materiæ, non autem ex diminutione agentis. Ergo si non omnia, quæ determinatè & in particulari eueniunt, multa saltem, & quasi omnia abs diuina prouidentia secundum Auerroem proficisci dicemus. quod pronomen [istud] singulare demonstratum, & (ut in scholis dicitur) signatum indicet. Quid de illa Aristotelis auctoritate primi Rhet. B cap. VI dicemus? in quo loco, inter multas diffinitiones ipsius boni, hanc attulit. Bonum est, quod unicuique dat intellectus (suppleas tu) diuinus. Nec enim locus ille aliter intelligi potest. Sed ad hanc dici potest, quòd non Philosophum ibi, sed Rethorem agat Aristoteles. Auerr. in lib. Destruct. disputat. XI dubio primo, sic inquit. Et ideo ait Princeps philosophorum, uidelicet Aristoteles, quod satis patet; quòd intellectus naturaliter omnium dominatur. At quis est iste intellectus, qui omnium dominatur, nisi diuinus? aut quomodo omnium dominari ille dicitur; nisi rebus singulis prouidendo, & pro ratione, singulis aliquid bonitatis impartiendo? Lib. primo Ethicorum si hominibus quicquam confertur à Diis, rationi consonum est, fœlicitatem illis diuinitus conferri; eamque maximè, quæ humanorum bonorum est optimum. non de hominibus in uniuersali, intelligi locus iste potest; cùm non omnes, sed aliqui tantùm fœlicitatem consequantur. Lib. item decimo Ethicorum. Nam si qua Diis rerum humanarum cura est, (quemadmodum uidetur) & consonum utique est, gaudere illos optimo, sibique maximè cognato. ubi Auerr. Et siquidem sit cura Deo de hominibus (ut creditur) & ut debitum est, gaudet de eo; qui est melior, & qui ei nititur assimilari. & paucis interpositis. Est ergo ut bene faciat eis; qui C amant ipsum plus; & ut honorificet eos; & uisitet ipsos; sicut est dispositio amici cum amico suo. Nunquid etiam hoc loco de humana natura in uniuersum, non autem de hominibus in singulari, & Auerroem, & Aristotelem interpretabimur? Auerr. & lib. quarto Metaphysicorum, & ad calcem libri Elenchorum dicit, se uelle aliquot de animalibus, & Elenchis rationibus, fusius perscrutari; si Deus uoluerit; & si creator sibi uitam prorogauerit. interpretemur si libet, uerba Auerrois, non de Auerroe, sed de humana natura in uniuersum. Quid, quod librum duodecimum Diuinæ suæ Philosophiæ illa Homeri sententia Arist. terminauit, Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεὺς quæ multorum Mundi dominatum & principatum damnauit; unum uerò Orbis uniuersi esse principem sanciuit; quòd ea, quæ sunt, nolint prauè gubernari. quo quid (quæso) aliud nobis significari uoluit Arist., quàm Deum unum res uniuersas gubernare; atque eisdem prospicere? ut dux & princeps toti exercitui: Hæc (quæso) quomodo uera esse poterunt; si singularium rerum curam & prouidentiam à Deo Opt. Max. negauerimus? Adde, quòd libello de Virtutibus, iuxta Theodori Gazæ interpretationem, inter iniustitiæ genera, impietatem numerat; quam errorem esse ait in Deum, & genios, aut etiam uita functos, aut parentes, aut patriam; at genius certæ signatæque rei Deus præses est. quin etiam Deos regnis, & urbibus, & cer- D tis regionibus præsides, & tutelares cum Antisthene Aristoteles (si Firmiano lib. de Ira Dei, & Isidoro antiquiori, & Clementi in stromatis, credamus) ascripsit. Laertius etiam in uita Aristotelis tradidit, iussisse illum matris nostræ Cereris imaginem sculpendam esse; & locandam, aut in Nemæa, aut ubicunque uideretur; quæ mentem aliquam seminibus præsidem asseruisse deprehenditur; alioquin matrem nostram Cererem non appellauisset. sed plura quàm statueramus, ad duximus; inferius autem suo loco rationes pro aduersa opinione deductas dissoluemus.

Ponitur opinio illorum; qui rerum cunctarum, etiam caducarum & in particulari prouidentiam ponunt in Deo: sed modus dicendi eorum improbatur; & obiter, monstra, & casuales effectus ut etiam ad Deum referuntur, esse effectus casuales, & monstra asseritur.

Cap. XXIIII.




QVAMOBREM Simplicius, & ante Simplicium, Ioannes Gram. lib. secundo Physicarum auscultationum; & ante utrunque, Ammonius de Philosophiæ diffinitione, in commentariis super Porphyrium edisserens; omnium harum caducarum rerum non in uniuersum tantùm, sed in particulari etiam de sententia Arist. apud Deum, & scientiam esse, & prouidentiam putauerunt. quod etiam lib. secundo de cœlo tex. LVI repetit Simpl. ubi monstra, inquit, & si relata ad aliquam proximiorem causam, casu, & præter intentionem, fiant; nequaquã tamen casu, aut præter intentionem fieri dicuntur: si ad primam, supremamq; causam referantur. Ex quibus uerbis, colligitur euidentissimè; quòd non de monstris tantùm in uniuersali, sed in particulari etiam loquatur, immo in particulari maximè; cùm monstra in uniuersum, monstra non sint; sed magis species quædam; quam rem in superioribus accuratius declarauimus. Adde quòd illa, quæ ad aliquam proximam causam referuntur; non uniuersalia, sed particularia, & singularia sunt; quæ ad Deum relata, non temeraria; sed præuisa & ueluti præordinata ab iis doctissimis uiris existimantur. E

VERV̀M quamuis hanc opinionem multis ex Arist. hinc inde collectis auctoritatibus capite superiori confirmauerimus, Deumq; singularia etiam, & in singulari curare, ostenderimus. ei tamen illud obstare uidetur; quòd non satis Arist. sententiam rectè illa explicauerit; immo contradictionibus & repugnantiis ipsum Aristotelem magis inuoluerit. Nam lib. secundo de Interpretatione, probare nititur Arist. in his, quæ futura contingenter sunt; nullam, apud quemcunque intellectum etiam Diuinum, esse determinatam, & certam ueritatem; sed quælibet, in huiuscemodi, contradictionis pars uera, uel falsa indifferenter esse potest; indeterminataq; perstat. At in contingentibus, quomodo quælibet pars indifferenter uera, uel falsa esse poterit; si iam intellectus diuinus alterius partis ueritatem certè & definitè cognosceret? (cognosceret nanque, si rebus omnibus tam in uniuersali, quàm in singulari prouideret) & æternis ac generabilibus speciebus, & indiuiduis determinatè prospiceret? tolleretur enim statim, ut superius arguebatur, ex principiis suis fortuna, & temeritas, & omnis breuiter contingentiæ natura; quam in plerisque suæ philosophiæ locis, multis & rationibus, & experientiis confirmare semper conatus ille fuit. Vbi nanque locum in Mundo habebit temeritas, si cuncta sunt apud Deum prospecta & præcognita, & præordinata?. F G

SECVNDÒ non multum tuta est cautela Simplicii, Ioannis Gram. & multorum Arist. interpretum, ut dicamus; quòd temeritates, & casus sint in effectis, ad secundas causas, non autem ad primam, & ad Deum, comparatis. Monstrum enim, ut monstrum est, ad quamuis causam relatum fuerit siue proximam, siue remotam, monstrum est. Error nanque pictoris, ad quamcunque causam illum referas, semper est error, & casus.

SI obiicias, quòd casum & fortunam diffinierit Arist., per relationes non ad primam, sed ad secundas causas, ut fortuna id sit, quod præter uoluntatem agenti cum ratione, casus uerò id, quod agenti sine ratione, præter naturæ intentionem contigerit; agentia nanque ista, sunt agentia proxima, & singularia, obiectionem facillimè dissoluemus; quoniam necessitatem similiter ad finem lib. secundo Physicarum auscultationum; contingentiam etiam & possibilitatem, tam in lib. de Interpretatione, quàm in primo libro Priorum, definiuit per habitudinem ad secundas causas. Et ratio cur hæc omnia ita diffinierit est; quoniam illæ quæ in diffinitione ponuntur causæ, proximæ sunt; & longè magis quàm prima causa notiores; quibus constare debet quælibet diffinitio, nec tamen propterea dubitandum est, ad doctrinam Arist.; ea, quæ ad secundas causas relata necessaria sunt, uel contingentia, uel temeraria, quin ad primam etiam causam relata sint similiter necessaria, uel contingentia uel temeraria; æque igitur ea, quæ ratione causarum secundarum fortuita, & casualia sunt; ad primam etiam causam relata, & fortuita, & casualia erunt. Claudus enim, monoculus, trimanus, & huiusmodi omnes, præter naturam, dispositi, monstra quædam ut sic, & fortuita quædam, siue casualia sunt ad dogmata Arist. si etiã ad mille Deos illos retuleris. H

Probatur monstra, ut monstra sunt, ad Deum etiam physicè loquendo, & primam causam relata, monstra esse, & ad quem modum aliorum Aristotelis interpretum opinionem de diuina prouidentia improbet auctor, exponitur. CAP. XXV.

A IXIMVS superiori capite, monstra ea ratione, qua monstra sunt, ad Deum etiam relata, monstra esse; huius rei, quæ multis admirationis plena uidetur, causam physicam, & planè facilem nunc reddituri sumus, ne sine ratione loqui erubescamus. causa igitur est; quoniam Deus in hæc subcœlestia, uel nullo alio instrumento agit, quàm cœlesti corpore; uel si alio quopiam, illud est agentium sublunarium uniuersa multitudo; in qua unum per aliud agit, ut per hunc ignem illum ignem, & per hunc hominem illum hominem generat. Diximus enim in superioribus, uniuersalem causam sine particulari non posse in his sublunaribus generare quidpiam, aut modo aliquo producere. Sed cœlestia corpora nihil agunt, nisi naturaliter; & hec quidquid agunt; ad tutelam, & conseruationem Orbis uniuersi & eius perfectionem agunt. Idem autem intendunt agentia simul cuncta naturalia. Vt in intentione & scopo hæc & illa non differunt, differunt autem tantùm in exequenda intentione, quia illa in uniuersali, hæc uerò in particulari intentionis suæ finem attingunt. Intendunt igitur hæc & illa per se nihil; nisi quod ad integritatem & perfectionem faciat Orbis uniuersi. Ad huius igitur integritatem effectus agentium

B naturalium, & naturaliter, idest pro cuiusque naturæ ratione perfectè operantium faciunt maximè; effectus autem qui præter naturam adueniunt, ut monstra, aut non faciunt, ad uniuersi Orbis integritatem, aut per accidens. quòd si obstinatè asseras quòd per se faciant: respondebo, quòd non ea ratione qua monstra sunt; sed bene qua species, & naturæ quædam sunt, quæ etiam hoc modo causam per se habent. Igitur effectus & monstra ipsa, ut monstra sunt, aut non intenduntur; aut per accidens solùm intenduntur à Deo; aut si per se intenduntur, non saltem ut monstra sunt, sed ut subeunt speciei rationem. exemplum, error, qui dicitur esse pictoris; aut ab ipso pictore non intenditur; aut si intendi dixeris; per accidens tantùm intenditur, ut error est; quoniam nisi ille pinxisset, non errasset pingendo; at pingere non potest, nisi aliquid, idest ipsam picturam intendat. quod si per se etiam à pictore errorem intentum fuisse clamaueris; iam non erit error. Non enim errauit, si illud depinxit; quod intendebat depingere. De errore, autem & de monstris loquimur ut sunt monstra, & errores. quà nanque errores sunt, per se intentos esse est impossibile. Non enim credendum est in doctrina Aristotelis, si homo ex suo semine intendat naturaliter hominem generare; quòd cœlum, uel superior uirtus, & intelligentia, ex eodem, intendat capram, aut serpentem, uel quid aliud huiusmodi monstrum, tametsi huiuscemodi monstra, quandoque generari contingat, quòd non cognitione, & arbitrio, sed

C natura tantùm in hæc subcœlestia cœlum, & cœlestes mentes agant, quicquid agunt: aut si mentes cognitione & intelligentia agere dixerimus, recta ratione & eadem semper & secundum Arist. lib. duodecimo Metaph. & secundum Platonem in Epinomide agere dicemus, ut ex eodem humano semine modò hominem modò capram uelle eas generare sit impossibile. nil aliud autem cœlum intendat, quàm quæ & Deus ipse, cuius cœlum instrumentum est; & particulares naturæ intendunt; quæ similiter Dei instrumenta dici possunt; ut quod ab his causis particularibus non intenditur, nec à cœlesti corpore, nec à deo ipso, in hac inferiore machina, intenditur. At hæ nihil plus intendunt: quàm quæ sua cuiusque indiuidua naturaliter agere intendunt; quæ nihil intendunt aliud; quàm effectum suum perfectissimè, quantum natura sua patitur, edere, quicquid igitur contra, uel præter naturam agentis particularis, & eius intentionem, quatenus agens naturalis est, euenerit; illud idem contra, uel præter diuinam intentionem euenisse, putandum erit; ita ut siue ad hanc particularem causam, siue ad Deum illud referas; casu euenisse existimandum sit. Verùm est tamen quòd multa (ut bene dixerunt Platonici, quod & Peripatetici affirmant) in effectibus à primo longè distantibus eueniunt, ex uirtute, actione, atque intentione superiorum; ad quæ mediarum quarundam causarum intentio non extenditur. Talia cum e-

D ueniunt, præter intentionem inferarum quarundam causarum fiunt prorsus: non ita superiorum. Hæc nimirum ad inferiores causas relata fortuita ac prodigiosa dicuntur, tanquam præter naturam harum particularium causarum & intentionem, & ordinem contingentia. cum interea superiorum ordinem, modo aliquo, propositumq; sequantur. Nempe unus quispiam effectus ut uerbi causa canis, ex humano semine ortus, qui ad hanc inferiorem particularem, & certam causam relatus non potest esse, nisi casualis; aut si intentus, intentus tantùm per accidens; ad causas superiores & præcipuè ad Deum comparatus potest esse & casualis, idest non intentus; nisi per accidens; & non casualis, sed intentus; intentus inquam non per accidens, sed etiam per se. Quam rem amice lector ut intelligas, aduerte. Iste effectus referri potest, tum ad hominem, à quo semen decisum est, tum ad seminis uitium. canis certè ex humano semine generari non potuit nisi uitiato, & corrupto, quod semen corruptum, ut erat ad hominem generandum ineptum, ita ad canis generationem aptum fuit. si ad hominem, unde decidit semen, canem referas, nullum est dubium, quin monstrum sit & casuale: si uerò ad uitium seminis retuleris, canis per se genitus est; quoniam à causa illa particulari seminis; quæ ut naturaliter nisi canem facere, ita na-

 turaliter

turaliter nisi canem intendere, non poterat. quum autem omnis particularis causa à causa uniuersali & cœlesti in sua actione dependeat: & agat illa cœlestis id omne, quod certa & singularis agere dicitur, Sequitur ut iste effectus siue ut est ab homine, siue ut est à semine uitiato, sit effectus cœli & causæ uniuersalis. quia autem non est à cœlo nisi causa particulari & certa mediante, ideo ad cœlnm tanquam ad causam referri iure non potest, nisi mediante causa particulari & indiuidua. Si igitur mediante homine effectum ad cœlum referas, casualis est, monstrum est, si mediante uitio seminis, intentus per se est, & speciei cuiuspiam indiuiduum est: ut omnino id uerum sit, quod superius diximus, eãdem rationem habere effectus ad cœlum, quam ad suas particulares causas habent: & monstra, ut monstra sunt, monstra esse si ad mille cœlos, & ad mille deos retuleris. Hoc ipsum, quo melius intelligatur, altero exemplo declarare non grauabimur. Lupo sit uerbi causa ouis præda, præda hæc sicut per se, intenta à lupo est, ab oue autem non; sed illi inopinatus & horribilis casus est. ita à Deo hæc eadem præda & per se intenditur, & non intenditur per se, sed per accidens; ita ut casu (etiam si ad Deum fiat relatio) quadam ratione hoc accidisse dici posit, intenditur quidem præda illa à Deo per se; quia lupum intendit Deus esse in natura, & in lupo lupinæ speciei conseruationem; quæ non seruatur nisi per indiuiduorum suorum conseruationem; at non seruantur indiuidua, nisi cum per alia, tum per cibum sibi congruum. est autem inter alia ouis cibus congruus lupo. at præda eadem rursus non per se adeo intenditur; quia intendit etiam Deus, ouem esse in natura, & in oue ouilis naturæ tutelam, & conseruationem; non autem à lupo eiusdem direptionem. Iste igitur raptus sicut præter intentionem sed casu oui contigit; quæ suam salutem & uitam intendebat; Ita si effectum ad ouem referamus, & oue mediante ad Deum, præter Dei intentionem præda euenit; quia ouinæ speciei tutelam, & incolumitatem per se in oue ipsa intendebat; cuius rei illud maximum indicium est; quod hæc propriæ salutis intentio quæ in oue præerat, ipsi oui à Deo & ab ipsa natura indita fuerat. Si igitur quid contra hanc intentionem euenerit; contra etiam diuinam intentionem, ut sic, euenisse putandum erit. At si effectus ad lupum, aut mediante lupo ad Deum referatur, præda non casu euenit, sed per se & ex intentione. De cæteris monstris simile fiat iudicium, mutant nanque casuales euentus, & monstra ipsa naturam & speciem si ad alias & alias causas particulares & proximas referantur ex humano semine capra nascatur: si effectus ad hominem referatur, casualis est; & ut sic, apud Deũ etiam casualis erit; at si idem ad causam suam proximam referatur: non erit casualis, nec monstri rationem habebit, sed indiuidui alterius speciei, à natura suæ causæ intenti. Quoniam autem utraque particularis causa, ut uerbi causa, lupus & ouis, aut homo, & causa, quæ ex humano semine sed uitiato capram eduxit, subordinata est primæ causæ; & ambæ ueluti instrumenta sunt diuinæ uirtutis. Ideo si effectum ad hominem, & (ut dictum fuit) mediante homine ad Deum referas, effectus causualis est: si uerò effectum ad seminis uitium tanquàm ad causam proximam, & ad Deũ mediante proxima causa retuleris, effectus casualis non erit, sed per se intentus. Hinc forte Simplicii, & aliorum multorum Aristotelis interpretum opinio ortum deduxit; putantium monstra ad Deum relata, non esse monstra; quòd ad suam naturalem causam quæ Deo & primæ causæ subordinata, relata monstra non sint; sed si sumantur, ut monstra sunt; & ut ad causam accidentariam referuntur; etiam si, ut sic, ad mille Deos referas, monstra semper erunt. Quoniam causa accidentaria, ut accidentaria est, non est subordinata primæ causæ, nec cadit intra causarum ordinem, nisi per accidens. Si nanque inter causas per se numeranda esset: non esset per accidens causa, sed per se. Sed de his hactenus. Verùm hoc loco non esse silentio prætereundum duximns quòd & si illorum doctissimorum Aristotelis interpretum sententiæ, qui Deum, aut perpetuarum rerum duntaxat, aut si etiam harum, singularium in uniuersali tantùm, prouidentiam habere dixerunt; & illi modo dicendi quo alii Deum rerum etiam singularium prouidentiam habere putauerũt, non subscripserimus; non negamus tamẽ absolutè, & simpliciter, immo probamus utcunq; horum omnium sententiam; modum autem tantùm eorum opinionis improbamus, ad quem igitur modum rerum uniuersarum, tam in singulari, quàm in uniuersali, ex Arist. curam, & prouidentiam Deus habeat, capite sequenti exponemus. De diuina autem prouidentia, an sit, & quorum sit ad aliorum Aristotelis interpretum sententiam, hucusque.

E F G H

De diuina prouidentia ad mentem Aristotelis, quantum attinet ad quæstiones illas, An sit, & quorum sit, quid sentiendum uideatur, propria opinio. CAP. XXV.

A VID igitur aliorum interpretum reiectis, uel melius non plene receptis, & approbatis expositionibus, de sententia Aristotelis, ad quæstiones illas, An sit diuina prouidentia, & quorũ sit, nobis dicendum uideatur; cum alii multi eiusdem interpretes aut minus rectè attigisse, aut non accuratè satis tanti Philosophi opinionem declarauisse uisi fuerint; paucissimis aperiemus. Deum ista singularia & materiata aut ullo modo, aut tantùm in uniuersali cognoscere concedendum putamus: quòd horum alterum, posterius præsertim, Aristotelis dogmatibus magis consonum esse uideatur & proposito nostro, idest diuinæ de rebus omnibus et singularibus, & in singulari, prouidentiæ officiat nihil. In uniuersali inquam non per speciem uniuersalem, & á singularibus rebus abstractam, ad quem modum homo in uniuersali dicitur, intelligere: alioquin diuina cognitio imperfecta (quod absurdissimum est) & cum potentia esse censeretur. Sed per propriam sui ipsius essentiam. Ita ut hæc omnia quocũq; modo Deus agnoscat, cognoscere dicatur: ea ratione se ipsum cognoscit. ita enim lib. duodecimo Metaphysicæ commento LI dicebat Auerr. Deus scit omnia: secundum quod scit seipsum. In eius nanque essentia non
B formaliter, sed ut superius dicebamus modo eminenti, res omnes continentur; modo inquam eminenti, idest modo, quo, uerbi causa, obolum in scurato, & uegetatiuum in intellectiuo, & trigonum in tetragono contineri dicimus. Nec tamen interea me fugit, quosdam ad sententiam Aristotelis, Deum putasse, per essentiam suam alia cuncta ea ratione intelligere, qua aliarum rerum omnium Deus est causa. Seipsum nanque exactè intelligendo, rerum cunctarum exactè causam intelligit: exacta autem causæ cognitio, sine effectus cognitione haberi non potest. ex quo sequitur, ut res cunctas intelligat etiam. uniuersæ nanque res eius effectus sine dubitatione sunt. Secundæ similiter intelligentiæ per essentiam suam se exactissimè intelligunt; quòd ipsæ sint suæ essentiæ. intelligunt superiora: quòd superiorum effectus sint. intelligunt inferiora, quòd inferiorum sint causæ. Cæterùm quia apud nos scientia rei particularis, dicitur scientia in actu, uniuersalis uerò scientia in potentia: ideo in Destruc. dispu. VI dub. III scientiam Dei assimilari magis scientiæ particulari, quàm uniuersali, Auerr. rectè est arbitratus. Sed quo quo modo res se habeat, Intellectum diuinum nihil extra seipsum tanquam obiectum mouens intelligere, opinatus est Aristoteles. Non enim diuinam intelligentiam mouere aliud potest: quàm diuina essen
C tia. sed hæc si hoc modo extra se intelligat nihil, istud tamen nihil obstare fatemur, quominus & res omnes aliquo eorum (quos prius diximus) & precipuè priore modo, hoc est per eminentiam cognoscat: & rebus omnibus tam æternis, quàm caducis, tam uniuersalibus quàm singularibus, tam in uniuersali, quàm in singulari prouideat. Si obiicias, cognitio (ut semel atque iterum dictum fuit) & prouidentia in Deo, æquè procedunt: cognoscit autem (ut diximus) hæc singularia per eminentiam tantùm, eisdem igitur in singulari prospicere non poterit. Obiectionem facillimè diluemus. quoniam eminet Deus rebus cunctis: quo quo modo siue in uniuersali, siue in singulari illæ sumantur. eisdem ergo tam in singulari, quàm in uniuersali prouidet. Adde quòd Aristoteles cognitionem & prouidentiam in diuinis æquè procedere nunquam asseruit. Nec ista de rebus cunctis apud Deum prouidentia, contingentiæ & temeritatis naturam tollit. Nec certam, de futuris contingenter euentibus, apud diuinum intellectum, cognitionem decernit. Nec monstra (non esse monstra) etiam ut ad Deum relata sunt, facit. quæ omnia quomodo ueritatem habeant, longius declarabimus, eo interea animaduerso, quòd hæc prouidentia & uoluntaria est, & libera: ueruntamen etsi uoluntaria sit, & libera: necessaria tamen est. Non enim liber-
D tati diuinæ uoluntatis, secundum etiam Theologos nostros doctissimos, repugnat necessitas. Nam Spiritus sanctus, cuius productiuum principium est diuina uoluntas, & liberè & necessariò à patre, & à filio, à catholicis Theologis, produci dicitur. Sed mittamus nunc quæso Theologos nostros. in Timæo Plato, & in compendio super Timæum Ficinus cap. XIIII idem asseruerunt & ad quem modum libertati necessitas cohæreat, declararunt. Nos quoque cùm librũ aliàs duodecimum Diuinæ Arist. philosophiæ exponeremus: ostendimus motum cœli, de Aristotelis sententia, liberè quidem à diuina uoluntate procedere, necessariò tamen: quod nunc breuitatis studio ostendere prætermittimus. Plato in Epinomide inquit, id quod intellectui non erranti uidetur, maximè esse necessarium, ut hanc necessitatem nulla necessitas superare possit. sed redeo unde discesseram: & hanc nostram de Aristotele, idest de diuina prouidentia ad Aristotelis sententiam expositionem, ne uel temerè tanto Philosopho aliquid imposuisse, uel sine causa ab aliorum eiusdem interpretum expositione recessisse, uideamur: ex ipsomet Aristotele, rum rationibus probare, tum auctoritatibus confirmare, non erit superuacaneum. Ratio grauissima certè & multum euidens illa est. Quoniam Deus est rerum omnium causa, nec utcunque causa, sed à causa prima, hoc est; quæ in quemlibet effectum magis agit, quàm posteriores causæ, à qua causæ cæteræ ex disciplina tam Aristotelis, quàm Platonis proprietatem habent; per quam & causæ sint quarundam; & res eas, quarum sunt causæ; pro ratione naturæ suæ singulæ tueantur, &

pro

protegant: quotquot (inquit Proclus lib.v. de Theolog. Plat. cap.xvi) ab illis pluribus generantur; longè præclarius singulari illa ex efficientia prodeunt; quæ occidua æternè, agitata immobiliter, diuidua insectiliter regit. meritò igitur uim hanc habet. Deus potissimùm, ut omnia curet, & singula; quatenus maximè causa est; & causa singulorum; quæ quidem nisi singillatim custodiantur; non custodientur unquam cõmunia; quæ & conseruantur in singulis, & ad Orbis uniuersi integritatem de necessitate faciunt. Adde quòd sicut fœcunditas atq; procliuitas ad agẽdum, agentibus omnib. ab agentis primi fœcunditate ingenita est; sic diligentia in custodiendis operib. inserta est singulis, à diligentia prima agentis primi, omnium tanquam filiorum procuratoris. In quo quanto maior fœcunditas est quàm in cæteris, tanto & maior diligentia & diligentior prouidentia in eodem esse uidetur: istud, quod hactenus ratione graui admodum ex doctrina Arist., & efficaci probatum est; cunctis uidelicet rebus tam in uniuersali, quàm in particulari Deos prouidere, rursus auctoritatibus ab eodem Philosopho hinc inde petitis ostendamus. Lib. secundo de Cœlo, Firmamentum pluribus stellis, alios orbes unica insigniri, inquit Arist., propter generationem istorum inferiorum. Non sunt autem generationes, ex procemio lib. Metaph. nisi singularium rerum; prouidentiam ergo ex Arist. de singulis & quibuscunque quamuis caducis, ac fragilibus, ac Deo etiam ignotis rebus, si ponamus hæc eum ignorare, apud Deum esse asseuerabimus. F

SECVNDÒ. quoniam lib. secundo de Generatione & Corruptione, propter horum inferiorum, & singularium rerum generationes successiuas, & corruptiones, moueri asseruit Solem in obliquo circulo. Non enim species generantur aut corrumpuntur, cùm æternæ sint. Quinimmo motum etiam illum cœlestem primi, ac supremi corporis, perpetuum, & uniformen esse dicebat. ut & perpetua sit horum caducorum (quantum sibi possibilis est) permanentia, & perpetua sit eorundem, successione scilicet, generatio. Ergo non tantùm naturis omnium uniuersalibus, & speciebus, sed omnibus etiam ipsarum specierum singularibus & indiuiduis, Deum prouidere, ad Aristotelis dogmata, non negabimus.

TERTIÒ. quoniam lib. secundo de Anima, parte quarta supra trigesimam, & lib. secundo de Generatione Animalium cap. primo. Vnumquodque (inquit Aristoteles) nisi mutilum fuerit; quale ipsum est generat; ut uel hoc modo diuinum esse participet. Vbi Auerr. Solicitudo (inquit) diuina (& est hoc quod dicit Auerr. sententia etiam Aristotelis primo lib. Aeconomicorum) cùm non potuerit facere ipsum permanere secundum indiuiduum, miserta est ei, in dando uirtutem, qua permanere possit in specie. quid uox illa (ipsum) significat? non'ne singulare, & indiuiduum? quid illa (unumquodque) non'ne indiuidua singula cuius cuius illa sint naturæ, & speciei? Quid igitur pro nostra expositione confirmanda potest adduci clarius aut constantius? Consimile habet Auerr. lib. secundo de Cœlo com. XXXIIII. ubi Manifestum est (inquit) de animalibus, quòd natura per diuinam sollicitudinem, posuit in eis, aliquas res non ex necessitate &c. quòd nanque intelligit, cum dicit in eis, nisi singularia? G

QVARTÒ. quoniam lib. duodecimo Primæ & diuinæ Philosophiæ, Mundum & Orbis uniuersi ordinem, à prima intelligentia, id est à Deo benedicto, ita dependere, affirmauit Aristoteles; quemadmodum ipse exercitus, & ipsius exercitus ordo, ab ipso duce, & ab Imperatore dependet. Qui enim fieri potest; ut hæc uera sint; si ab ipsis materiatis, & singularibus rebus (ut etiam singulares sunt, diuinam prouidentiam penitus secluserimus? Faciunt ad istam opinionem confirmandam multa, quæ hinc inde ex Auerroe, & aliis Aristotelis interpretibus, colligi possent. quorum superius cap. XXI nonnulla aduersus Tatianum & Chalcidium adduximus. sed præter illa. In Destruct. disput. XI dub. primo, Dicunt (inquit) Peripatetici loquentes secundum ueritatem; quòd Entia procedunt à Deo, modo altiori, quàm sit natura. per Entia, certè ea omnia, quæ esse dicuntur intelligit. in quorum numero nulli dubium, quin hæc singularia comprændantur. Et lib. de Substan. Orbis cap. IIII Dator continuationis motui, est dator esse omnibus aliis Entibus. Et lib. secundo Physicorum comm. LXXV. Si diuinus (inquit) non concesserit omne agens agere propter finem, tunc probare non poterit; quòd Deus habeat sollicitudinem eorumque sunt hic. Alexander in ultimis uerbis lib. Octaui Metaphysicæ Deum rerum cunctarum parentem & conditorem appellauit. quæ dicta quomodo uera esse poterunt; si à rebus indiuiduis & singularibus, ut etiam singulares sunt, diuinam prouidentiam secluserimus? Faciunt ad idem confirmandum nonnulla; quæ superiori cap. fuerunt à nobis deducta. Longè plura etiam hinc inde colligere poteramus. Sed missis aliis, duo tantùm omnium pulcherrima ex lib. de Mundo, producturi sumus loca: quem prius uel Aristotelis, uel cuiuspiam Peripatetici esse diximus. Vnus est paulò post eius operis medietatem; qui sic ex interprete se habet. Vnus igitur sermo est, à maioribusque proditus inter omnes homines, Vniuersa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse, atque coagmentata; nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse; quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. Sed ne per naturam, H

ram,

A ram, speciem ipsam tantùm in uniuersum, non autem ipsa speciei indiuidua intelligas, prohi-
» bent & illa, quæ paulò ante præcesserant, uerba nimirum hæc, Restat, ut summatim de causa dis-
» feramus; quæ cunctarum rerum uim habet tutricem &c. Et quæ subsequuntur in hunc modum.
» Quocirca ueterum nonnulli eousque prouecti sunt; ut hæc omnia dubitarent Deorum esse ple-
» na; hauririque eorum spectra, ab hominibus, oculis, & auribus, reliquisque sensibus. Senten-
» tiæ illi quidem fundamenta iacientes, diuinæ fortasse potentiæ, non item diuinæ naturæ con-
» gruentis. Etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, cum seruator est Deus, tum
» uerò quæcunque in hoc mundo, quoquo modo perficiuntur, eorum omnium idem genitor est.
» Et post aliqua. Quare augustius id decentissimum existimandum est, Deum summo in loco ita
» esse collocatum; numinis ut tamen eius uis, per uniuersum mundum pertinens, tum Solem, Lu-
» namque moueat; tum cœlum omne circumagat; simulque causam præbeat, eorum; quæ in ter-
» ra sunt salutis, atque incolumitatis. Et paucis interpositis. Illud autem diuinitati maximè con-
B sentaneum, ut formas rerum omnium citra difficultatem, simplicique motu absoluat; non se-
» cus atque illi machinatores solent; qui instrumento uno demittendo, multos & uarios effectus
» edunt; aut ut illi præstigiatores faciunt; quos νευροσπάστας ob id appellant: quòd imagunculas
» animatas esse, fidiculis ductitandis, ementiuntur. Qui cum funiculum ipsi, aut neruum abdu-
» xerunt; cieri ceruicem, & manum quasi animantis simulachri, humerumque itidem, & oculum
» faciunt; interdum etiam omnia membra: idque quadam, cum uenustate, atque æquabilitate mo-
» tus. Hoc igitur modo natura diuina ab uno eodemque simplici motu primo, uim suam immit-
» tit, in ea, quæ sunt primò continentia; ab illisque subinde in ea, quæ longius atque longius ab-
» sunt. quoad permeauerit per uniuersa. hæc ibi.

Ficinus quoque lib. secundo de Animorum immortalitate cap. XIII, se olim Florentiæ ui-disse narrat Germani opificis tabernaculum; in quo diuersorum animalium statuæ, ad pilam u-nam connexæ, atque libratæ, pilæ ipsius motu, simul diuersis motibus agebantur; aliæ ad dex-tram currebant, aliæ ad sinistram, sursum, atque deorsum; aliæ sedentes assurgebant; aliæ stan-tes inclinabantur, hæ illas coronabant, illæ alias uulnerabant. Tubarum quoque, & cornuum sonitus, & auium cantus audiebantur; aliaque illhic similia fiebant quamplurima, uno tantùm u-nius pilæ momento. Sed quantum à ueritate, & à diuina prouidentia exempla deficiant; faci-
C lè intelliges; si cùm multa alia, tum illud perpenderis; quod per exiguo tempore, id est quo ad tantùm uirtus illa, & paruus ille motus, in neruo, siue in corda, uel in pila perstiterit; illud præ-stet; & in minimis præterea, paucissimisque rebus. cùm Deus interea perpetuo, & in rebus uni-uersis, uim suam, & prouidentiam effundat. Synesius propterea lib. de Prouidentia, non diui-næ, sed humanæ prouidentiæ Aristotelis exemplum aptauit: quòd à diuinæ indicationis expres-sione, miris illud modis, deficeret. Alter locus est, in eodemmet libello, finem uersus. Vbi mul
» ta prius uberrimè dicta perstringens inquit, Vt uerò summatim iam loquamur. quod in naui
» gubernator est; quod in curru agitator; quod in choro præcentor; quod denique lex in ciuitate;
» & dux in exercitu: hoc in mundo Deus est. Hæc ibi. Exiguo nanque ab his motu prius facto, mox motus multi, & maximi consequuntur; non secus quàm ex tantilla centri mutatione, ma-xima fit in circunferentia transmutatio. Deus, qui per esse suum (quod simplicissimum est) est quoddam ueluti mundi centrum; in mundi circunferentia positum, hoc est non uiliori & magis in fimo, sed in excelsiori augustiorique loco collocatum, à quo cætera omnia, quæ in mundo sunt, tanquam lineæ à centro, & riuuli à fonte, & radii à luce ducantur, & pendeant. Nunc nanque facillimè uibrat, quicquid inde dependet. quum igitur gubernator singula, quæ in naui: agitator
D singula, quæ in curru; dux singula, quæ in exercitu curet, atque administret; quis dubitabit; an singula; quæ in Mundo sunt, secundum opinionem Aristotelis, deus procuret? Sed dicet hoc lo-co quispiam; probatum fuisse, curare Deum singula, sed non in singulari; quot nanque in naui, in curru, & in exercitu sunt, quæ ducem, agitatorem, & gubernatorem effugiunt, & latent? Re-spondebo. singulare in uniuersali curari non posse; nisi rem aliter quàm sit; curari posse, intel-ligamus. Res enim quælibet singularis, esse habet non in uniuersali, sed in singulari. Adde quòd ea à diis curari potissimùm dicuntur; quæ potissimùm sunt; sunt autem potissimùm singularia, non uniuersalia; quum uniuersalia non nisi in sigularibus esse habeant. Secundæ nempe substan-tiæ in primis sunt; & habent magis rationem dicendi, quam essendi. Est tamen uerum quod cùm dicimus Deum curare singularia in singulari, non est sensus ad Aristotelis placita, quod hoc curet non illud, ut nutrices quæ infanti uno non alteri prospiciunt; quoniam Deus non est causa singu-laris sed uniuersalis, sed sensus est; quod à Deo ea omnia ueniunt quibus res quælibet & singula-ris, ut uerbi causa, Socrates, habet quòd sit, quòd uiuat, quòd moueatur, quòd addiscat, quòd doceat, aut edisserat, & quibus denique quicquid agit, agat. Nec habet à cœlo aut à Deo tantùm quod sit homo, sed etiam quod sit hic homo, aut tantùm quòd sedeat aut moueatur, sed etiam quòd nunc sedeat, aut moueatur, & reliqua id genus, quæ ei, ut hic homo, & ut Socrates est,

eueniant. Sed ad diuinam de rebus cunctis, æternis, & non æternis, sed generabilibus, & corruptibilibus, uniuersalibus, & singularibus, non in uniuersali tantùm, sed in uniuersali, & in singulari prouidentiam, ex his, quæ nobis tradidit Aristoteles, ostendendam, pro instituta breuitate, dicta sufficiant. ad quem modum autem cum diuina prouidentia temeritatis & contingentiæ natura stare possit, & ex his quæ dicta sunt, intelligentia quisque per se facilè consequi ualeat in sequentibus nihilominus declarabitur. E

Quid sit diuina prouidentia, ad mentem Aristotelis; & quotuplex, & aliqua ipsius diffinitionis declaratio. CAP. XXVII.



POSTQVAM de sententia Aristotelis, rerum cunctarum, non autem perpetuarum & æternarum tantùm: sed generabilium etiam, & corruptibilium, & omnifariam denique transmutationi obnoxiarum, non in uniuersali duntaxat, & in genere, sed in singulari etiam, apud Deum prouidentiam esse demonstrauimus: administrareque illum suo modo, hoc est pro dignitate, & naturæ suæ ratione, & præstantia, res uniuersas: superest, ut quid tandem, ad eiusdemmet Aristotelis opinionem, diuina prouidentia sit: quàm breuissimè fieri poterit, uideamus. F In hac autem re, & difficultate quàm maxima, atque quàm grauissima, & si multi dicere tentauerint: ad Aristotelis tamen scopum & mentem qui, meo iudicio, propius accesserit, quàm nobilissimus eiusdem interpres Alexander Aphrodisieus, est nemo. cuius ego, cum in plerisque aliis, tum in hac causa sententiam, aliorum qui in hac materia scripserint, omnium opinioni, præferendam esse censeo. Et quanquam ille non planè expresserit, in diffinitione, opinionem, & mentem Aristotelis: ita tamen illam diffiniuit: ut si illius diffinitioni modicum quid addatur: nec melius, nec ad Aristotelis sententiam explicandam, accommodatius, dici potuerit quidquam. quod ille profectò uerum esse cognoscet: qui non prorsus negligenter in Aristotele uersatus fuerit. Libro igitur primò quæst. naturalium capite XXV, diuinam ille prouidentiam, bifariam diffiniri posse affirmauit. Vno modo ea ratione, qua prouidere sit in aliquod quouis modo mutationem &, motum, propter aliquid, inducere. Et hoc modo rebus omnibus tam generabilibus, quàm æternis, tam in singulari, quàm in uniuersali, primus intellectus, idest Deus Opt. Max. prouidet: qui stabilis permanens efficit, ut cuncta non temere, sed ex finis intentione, moueantur. Nempe propter aliquem finem, in res omnes tam æternas, quàm non æternas, tam in singulari quàm in uniuersali, pro earum ratione & captu motum, uel mutationem aliquam Deus gloriosus inducit. nec solùm in rebus, quæ absolutæ in actu & perfectæ existere dicuntur: sed (quod non sine admiratione aliqua dicere possumus) in primam etiam materiam, quæ ens potentia est, & entium cunctorum imperfectiss. nescio quid diuina prouidentia producit. Quo ueluti excitata, ut in libro primo Physicæ auscultationis ostendit idem Arist. diuini & ipsa, ut potest, nonnihil appetere dicitur. G Alio modo diuina (inquit Alex.) prouidentia diffiniri potest: quatenus prouidere sit nonnulla, propter alia, mouere: ut eorum dicatur quispiam curam & procurationem habere, quorum gratia alia nonnulla moueat præter ea, quorum ille prouidentiam, siue procurationem habere dicitur. Hic enim, qui aliorum gratia, alia mouet, eis propter quæ illa mouet, promouentium, & motorum ratione prouidere dicitur. Et hoc modo rebus potissimùm, materiatis, & sublunaribus, caducis, ac fragilibus, secundum Aristotelem Deum prouidere dicemus, quod sententiæ illorum opponi, è regione, uidebitur: qui æternis tantùm, non autem caducis rebus, ex Aristotele Deum prouidere putauerunt. quòd & propter ordinatam in hisce materiatis, & subcœlestibus rebus, suo modo mutationem; & propter perpetuam earundem per successionem & in specie permanentiam, & generationem, & corruptionem; & propter salutem singulorum indiuiduorum, atq; incolumitatem (ut fieri potest) seruandam; & propter alias causas, ab illis à materiæ labe prorsus abstractis intellectibus, perpetuoq; motricibus substantiis, cœlestia corpora moueri, & circũuolui dicantur. H Quamobrem lib. secundo Quest. naturalium, cap. XXI, idem Alex. diuinæ prouidentiæ hanc innuisse diffinitionem uidetur. Diuina prouidentia est executio propriæ operationis, ad usum alterius. Declarabimus diffinitionem, cum illud primùm monuerimus: quod etiam aduertit Alex. quòd sicut Deus duo significat ad mentem Aristotelis: ita diuina prouidentia, ad sententiam eiusdem, bifariam sumi potest. Aliquando enim primam tantùm, supremamque abstractam substantiam; aliquando uerò totum genus abiunctarum à materia substantiarum, atque simplicium, & diuinorum intellectuum uox hæc, Deus, ad Aristotelis doctrinam, significat. Et ut id, quod mihi de hac uoce uidetur, ingenuè fatear: rarissimè uoce hac in priori, sæpissimè uerò in significatione posteriori, & ferè semper Aristoteles usus est. Si igitur primo modo sumatur Deus: diuina prouidentia erit actio primæ, supræmeque substantiæ, ad usum alterius. Cum autem suprema illa substantia non tantùm propter hæc sublunaria, sed propter ipsa etiam corpora cælestia,

A cœlestia moueat: quæ quidem corpora cœlestia cuncta (ut lib. duodecimo Primæ Philosophiæ Arist. declarauit) primus ille intellectus realiter & effectiuè mouet, primum quidem & supremũ omnium corpus immediatè, reliqua uerò huius primi corporis motu mediante. Nec propter cœlestia corpora tantùm, quin etiam propter ipsas à materiæ labe penitus abiunctas secundas substantias, & ipsorum cœlestium corporum motrices intelligentias cunctas moueat, neque propter eas solùm, sed eas etiam mouet, non quidem ut corpora, realiter, sed spiritualiter tantùm, hoc est desiderio, atque amore quodam à Deo moueri illas, ad Aristotelis dogmata, existimandum est; sequitur; ut non tantùm rebus subcœlestibus, sed ipsis etiam cœlestibus corporibus, sanctissimisque denuum ac purissimis illis primis intellectibus, Deum prouidere, sit confitendum. Prima etenim intelligentia non in has subcœlestes naturas tantùm, sed in ipsa etiam cœlestia corpora, & in eorundem motrices diuinas substantias, motum pro ratione subiectæ substantiæ, mutationemque quandam inducit. secum nanque cuncta reliqua æterna corpora firmamentum, quod à suprema, ut dictum fuit, immediatè intelligentia circumuoluitur, rapit. in ipsas uerò posteriores & secundas intelligentias, mutationem quandam, & appetitionem, & desiderium prima ingenerat. Declaratur etenim & ab Aristotele, & ab Aristotelis expositoribus uniuersis, separatas B illas substantias omnes propter quandam erga primam, & supremam substantiam, inclinationem, propensionemque, & amorem, mouere. Nam propter tres causas, uidelicet, propter hæc sublunaria, propter seipsas, & sua perpetua corpora, & propter primam (cui quantum possunt assimilari conantur) mouere, substantiæ illæ posteriores dicuntur. dicebat enim lib. secundò de Cœlo, textu LXVI, Arist. μάλιστα μὲν γὰρ ἐκείνου τυχεῖν, ἄριστον πᾶσι, τοῦ τέλους hoc est cuique optimum est finem illum (primum scilicet) consequi. Prima igitur substantia omnibus tam spiritualibus, quàm corporeis, tam fragilibus, quàm æternis, tam in singulari, quàm in uniuersali, & in genere, aliquo modo impartitur mutationem. Hoc autem est, Deum in priori significatione, secundum expositionem Alexandri, rebus omnibus prouidere. Si uerò secundo modo & in posteriori significatione Deus sumatur: diuina prouidentia erit actio omnium simul separatarum formarum, & substantiarum, abstractarumque mentium. Et eo, quo prius, diffinietur modo: nisi quid forte sit huic (de quo inferius) addendum diffinitioni. ad quem modum libr. primo Quæst. naturalium cap. XXV, & lib. secundo cap. XXI (ut paulò ante dictum fuit) illam diffiniuit Alexander. ut dicamus. Diuina prouidentia est motus uel mutationis, ab omnibus separatis substantiis, in hæc sub C cœlestia, ad aliquem finem, inductio. Vel quod idem est, diuina prouidentia est operatio omniũ separatarum substantiarum ad usum alterius. Dicitur [omnium separatarum substantiarum] quòd hæ simul omnes Deus, in posteriore significatione, dicantur. dicitur uerò [ad usum alterius] quoniam, & si prouisor quispiam singularis, & materiatus, de nonnullis prouidere sibi possit: hæc tamen prouidentia, qua sibi quispiam prouidet, deo, qui nullo indiget, aptari aliquo mo » do non potest. Lib. etenim septimo Moralium ad Eudemum, fœlicem (dicebat Aristoteles) non » multum egere amico: quod maximè manifestum erat in Deo: qui nulla re indigus est. Non igi» tur sibi Deus prouidet, sed alteri. hoc est, quod in definitione dicitur [ad usum alterius.]

Exhibita de diuina prouidentia definitio uberius declaratur. Cap. XXVIII.



VERUMENIMVERÒ ad hanc diuinæ prouidentiæ, quam ex Alexandro, ad Aristotelis sententiam, exhibuimus, definitionem intelligendam, ex ipsomet Alexandro, considerandum maxime est, hoc quod in definitione dicitur, [ad usum alterius] Ad usum nanque alterius Deum agere; trifariam intelligi potest. Vno modo per se prorsus, & primaria intentione. ad quem modum seruus, ea ratio D ne qua seruus est; ad usum est domini. Domino nanque obsequi, & seruire, in primis ille tenetur. Ad hunc modum, instrumenta omnia, quatenus instrumenta sunt, gratia alterius, per se, & principaliter sunt. ut gladius incisionis gratia, malleus percussionis, nauis itineris, & alia id genus aliorum gratia sunt. Iis nanque non nisi aliorum gratia, utimur. Alio modo, non per se, sed per accidens tantùm. ad quem modum, lapis, qui forte fortuna ceciderit, ad sessionem accommodatè præparatur; aut ille, qui inimicum occiderit, aliis quibusdam, opes & bona inimici parasse uidetur. quod enim ad usum sedentium decidens lapis fuerit aptus; aut illis, de quibus, qui inimicum occidit, ne cogitabat quidem, tot bona compararit; non lapidis delapsi, uel inimici occisoris prouidentia aliqua fuit; sed casu, & temere id euenit. Tertio modo ad usum alterius, Deum agere intelligi potest; idest tum per se, tum per actiones; non autem per se omnino, aut omnino per accidens; ad quem modum, ouibus pastor prouidere dicitur. Duo nanque in cura ouium, & diligentia, pastor accuratè agit. Vnum, ut ouibus ipsis bene sit. Alterum, ut ipsi sibi, ex ouibus rectè se habentibus bene sit. Ita nanque lacte, lana, & fœtu, lucrum, & commodum suum auget. Et sicut posterius ex priori hoc est lu-

T crum,

crum, ex recta ouium habitudine per pastoris procurationem euenit; & quadam quasi efficientis necessitate consequitur; Ita primum ex posteriore, hoc est bona ouium habitudo ex lucro quadam quasi finis necessitate dependet. Nempe ut oues, si rectè ualent, sunt lucri causa; ita lucrum est pastoris finis in grege curando. Deus igitur propter res alias, & à se distinctas uno uel altero horum trium modorum operatur, illisq; prouidet. Non est dicendum primo modo. Nulla est enim actio, quæ per se, & principaliter, ab agente intenditur, quæ ad usum rei agente uilioris sit, aut etiam esse posit. cuius rei illa à Platonicis, & à Peripateticis redditur ratio. Quoniam operatio ipsa per se, operantis quædam perfectio est; ad deterius autem, nisi aut ui, aut inscitia, labitur nihil. inscitia autem, aut uiolentia in Deum, qui cadere potest? Hanc autem rem, & rationem, quum D. Io. Fran. Picus, in libello suo alioqui docto, minus aduertisset; quem de diuina prouidentia, ad mentem Aristotelis, inscripsit Alexandrum Aphrodisieum ausus fuit, in ipsius diuinæ prouidentiæ diffinitionis expositione, repræhendere; quasi, nisi per se, & ex principali intentione res illas Deus curare minimè queat. Sed redeamus unde fluxit oratio. Neque secundo modo de rebus, Deum prouidentiam habere, dicendum est; cum modus secundum prouidentiam destruat magis, quam extruat; temeritatem autem in euentibus cunctis affirmet. prouidere nanque eo modo, & per accidens, casus, & temeritas, non prouidentia censebitur. temeritas autem à diuinis operibus procul certè abigenda est. Relinquitur ergo, ut modo tertio, ex Aristotelis sententia, secundum Alexandrum, Deum rebus cunctis prouidere dicamus. Deus enim mobile primum (quicquid nonnulli de mente Arist. secus sentiant) effectiuè (ut non semel dictum est) & per se, & immediatè mouet. Ab huius motu, cætera, ut longa compertissimaque, apud peritiores, constat experientia) cœlestia corpora mouentur; ab horum autem omnium, iugi perpetuaq; transmutatione, harum, quæ apud nos sunt, fragilium, singulariumq; rerum generatio, & corruptio, & alteratio, & auctio, & ipsius denique rei cuiusque (quæ in Orbe uniuerso est) essentiæ, ac naturæ, & speciei tutela, atque incolumitas dependet. colligatum propterea, ut sæpè dictum fuit, Mundo superiori, istum Mundum, inferiorem esse, dicebat Arist. ut inde omnis uirtus eius gubernaretur. Extra cuius gubernationem, & prouidentiam, ne quid effluat, & labatur; miracula uidemus aliquando Naturam, & Deum facere; ad uacuum, scilicet, per quod cœli uirtus, & administratio, ad inferiora ista, pro salute eorum, & uita tutanda, demandari non poterat, prohibendum; ad rerum continuum & perpetuum ordinem, & nexum, quo uirtus ista cœlestis ad omnia meare, & transfundi commodè posit, retinendum. Nō enim benè sensit lib. de Sympathia Hieronymus Fracastorius, uir alioquin eruditus, qui ultimū finem ascensus aquæ, qui nobis notus esset, esse amotionem uacui existimauit. non enim ascendit aquæ tantùm ad tollendum uacuum; ita ut huius nulla sit ulterior causa, immo est, & est illa, quam nuperrimè nos diximus. Ideo nanque ad tollendum uacuum laborat natura; ut uis cœlestis, propter prædictas causas ad nos usque delabi posit; sine qua res subcœlestes esse, & persistere, & operari, & à Deo Opt. Max. regi & administrari non possent, delabi nanque per uacuum, non potest uis illa. Sed redeo unde fluxit oratio. Operatio igitur Dei secunda, quæ motus est, (prima nanque & principalis, Dei operatio, intellectio est) propter ista inferiora est. propter hæc enim, ut superius uisum fuit) Deus mouet. Non tamen propter ista caduca, & fragili natura constantia; quæ ab illa perpetua, immutabiliq; essentia diuina, ualde in perfectione, ac naturæ præstantia, & quasi per infinitum interstitium, distant, principali intentione corpora cœlestia Deus agit & uoluit; sed tantùm secundaria. Prima enim & principali intentione, propter seipsum ad doctrinam Aristotelis, cœlestia corpora Deum mouere dicimus; quod copiosè satis lib. secundo de Cœlo, & uberius lib. duodecimo Diuinæ philosophiæ idem Aristoteles declarauit. intentione autem, secundaria, propter alia à se mouere dicitur; quæ autem secundaria intentione fiunt; illa tum per se, tum per accidens fieri dicuntur. Hæc igitur est diuinæ prouidentiæ secundum Alex. diffinitio, & ipsius diffinitionis ad dogmata Aristotelis explicatio.

Additur uerbum diffinitioni Alexandri, & uberius tota diffinitio declaratur. Cap. XXIX.



QVAMVIS à nobis, satis copiosè ex Alexandri sententia, diuinæ prouidentiæ definitio, quam ad doctrinam Aristotelis rite exhibitam arbitramur, explicata sit; ne quid tamen in illius expositione, à quopiam desiderari posit; uerbum unum addemus definitioni. Sic enim explicatior, illustriorque erit; & nihil nō continebit; quod in hac ipsa, ex Aristotelis sententia, desiderari posit. Est igitur diuina prouidentia ad Aristotelis sententiam, executio propriæ operationis ad usum alterius; per quam & in suo ordine constituuntur omnia; & tum in proprium singula, tum in communem finem diriguntur uniuersa. Hæc nanque copiosa explicata

A cata ac quammaximè facilis est diuinæ prouidentiæ, penès Aristotelem diffinitio. Illud, quod à nobis additum fuit, uidelicet [per quam & in suo ordine cuncta constituuntur, & cum in proprium finem singula, tum in communem diriguntur uniuersa.] etsi in illo uerbo, Ad usum alterius, si illud diligentius perspicaciusq; intelligatur], contineri nullus non cognoscere posit. nulli tamen dubium esse potest; quin hoc modo explicata diffinitio & clarior, & apertior, atque illustrior euadat. Diuina nanque, ut dictum est, operatio ad omnium aliorum beneficium, & utilitatem est quidem per se, sed secundario, idest neque omnino per se, neque omnino per accidens; sed quodam modo medio, idest partim per se, & partim per accidens. ad quem modum pastoris operationes esse ad usum ouium, dicebamus. Orbes enim cœlestes à propriis, & naturalibus mororibus suis mouentur, motu circulari, primò & per se; ut & orbes ipsi (quantum eorum natura patitur) ipsis mouentibus substantiis; persimiles fiant, quæ sicut æternæ, & perfectæ sunt, ita & corpora, quæ ab illis mouentur æterna, & perfecta, & motus, quibus eadem illæ mouent, æterni & perfecti suo modo sunt; cum quoniam, ut lib. quarto de Cœlo tex. XXIIII, dixit Aristoteles, motus localis, est generatione ultimus, primus autem perfectione: tum quoniam, ut in lib. octauo Physicarum auscultationum ostenditur, inter omnes motus locales, circularis est perfe-

B ctissimus. est enim maximè regulatus, est mensura aliorum motuum, nihil abiicit à subiecto, quia caret contrario, est æternus quoniam in principio semper, & semper in fine est. Et ipsæ secundæ mouentes substantiæ per se & primò mouent: ut primæ, supremæq; formæ persimiles, quātum possunt, euadant; per se uerò, sed non primò, sed secundo, idest, ut paulò prius dicebamus, secundaria intentione, propter bonum Orbis uniuersi; idest propter res ipsas omnes, quæ in Orbe uniuerso sunt; ut singulæ scilicet pro ratione naturæ suæ perfectionem propriam consequantur. A`prima nanque substantia mouentur secundæ intelligentiæ, & ab omnibus simul separatis intellectibus, per se non primò, sed secundò, idest tum per se, tum per accidens, propter istas inferiores, & subcœlestes substantias; cœlestia corpora mouentur quoniam & mouent, & mouentur illa; ut ista inferiora, materiataq; singularia, & sint, & suum ordinem in natura retineant; atque in statu, ut possunt, & incolumitate sua permaneant; & suo modo æterna sint; & suis officiis singula, quod est in finem proprium illa dirigere, pro naturæ suæ ratione fungi posint. Est autem propria uniuscuiusque rei operatio, proprius (ut superius diximus) illius rei finis, & propria perfectio. lib. nanque de Cœlesti natura secundo, parte septima supra decimam dicebat

C Arist. unumquodque habens opus, est gratia suæ operationis. Et Auerr. lib. quarto commentatio
" ne secunda supra uigesimam, scribit, Actio est finis formæ, forma uerò generation is. operari igi-
" tur ad usum, siue ad beneficium alterius (ex descriptione superius de prouidentia secundum A-
" lexandrum tradita) est illi, ad cuius usum dicitur operari, pro uidere; illudq; in suo ordine constituere: & in sibi proprium finem dirigere. Proprius nanque rei cuiusque finis est ille; quem nuper diximus: operationibus uidelicet quibusdam pro cuiusque natura & ratione, quasi propriis officiis in hac scena, & in hoc Orbis theatro, unumquodque fungi: in quo decet esse ociosum nihil. communis uerò rerum simul uniuersarum finis est (ut uno uerbo dicatur) perpetuitas, quod hæc una inter cætera, & ad Orbis uniuersi perfectionem faciat; & rem unamquamque Deo (quàm fieri potest) simillimam reddat; sed singulæ pro ratione naturæ suæ & appetendæ, & consequendæ huius perpetuitatis modum distinctum habent. Materia prima per formam, metalla per concretionem, plantæ per germinationem, animalia per generationem, corpora cœlestia per motum localem, abstractæ substantiæ per intelligentiam, perpetuitatem ambiunt. Etiam quemadmodum appetitus modi in singulis rebus naturaliter distincti sunt; ita distincta sunt singularum rerum naturales operationes: ad quarum usum, & beneficium aliquid agere, eisdem (ut dictum fuit) prouidere est: quod per suas operationes in finem & proprium, & communem dirigantur,

D & ueluti ad manus ducantur singulæ. Sed de posteriori diuinæ prouidentiæ, diffinitione hucusque. Prior etiam illa diffinitio superius posita; per quam diuinam prouidentiam diffiniebamus; esse actionem primæ, supremæque substantiæ ad usum alterius; uel illam quam dicebamus, prouidentiam esse motus uel mutationis ab aliquo, in aliquod, propter aliquid, inductionem, & aliæ huiusçemodi, intelligendo per Deum primam tantùm, supremamque intelligentiam, uno similiter addito uerbo absolutè atque perfectè reddentur, ut dicatur, Diuina prouidentia est motus uel mutationis à prima atque suprema intelligentia inductio; per quam cuncta tam spiritualia quàm corporalia; tam æterna quàm corruptibilia & in suo ordine constituuntur, & in suum finem singula diriguntur, Nam isto modo prolatis utrisque diuinæ prouidentiæ Alexandri diffinitionibus, & quid Alexander ipse per illa uerba (ad usum alterius) uoluerit: & quid Arist. de diuina prouidentia senserit, expresius sine dubitatione atque intelligentius significatur. Deum ergo & iis caducis tantùm generabilibus, & corruptibilibus rebus; & non iis duntaxat, sed cunctis, quæ in Orbe uniuerso sunt rebus, tam æternis, quàm non æternis, tam spiritualibus, quàm corporalibus (quamuis modis diuersis in utraque prouidentia Deus sumatur) tam in singulari,

quàm in uniuersali Peripateticè prouidere dicemus. Sed hic lectori potest scrupulus suboriri. Diximus enim sibi Deum prouidere non posse, qnoniam de ratione prouidentiæ est, mouere, & operari ad usum alterius, deinde mouere illum propter seipsum asseruimus. Cui dicimus, quòd mouet quidem, & operatur etiam gratia sui Deus ipse, cum sit finis omnium, non tamen (ut dicebamus) prouidet sibi per hunc motum (nullo enim indiget) sed nobis, quibus (nisi ille moueret) sublata esset omnis potestas, non solùm mouendi, sed etiam permanendi, & essendi. Hæc sunt, quæ nobis de diuina prouidentia, ex Aristotele, & de diuinæ prouidentiæ diffinitione, & diffinitionis declaratione, ex Alexandro, occurrerunt. superest, ut quædam quæ iis, quæ diximus, obiecta fuerunt, refellamus. E

Tollitur circa ea, quæ prius dicta fuerunt obiectio quædam Ill. D. Ioannis Francisci Pici Mirandulani. CAP. XXX.



VERVM hoc loco nobis fortasse quispiam illud obiiciet; quod Alexandro inter alia multa, quæ, tum quia non multum ponderis habent; tum etiam quia non est nostri propositi, Alexandrum ab aliorum calumniis nunc tueri; sed philosophorum duntaxat, & præsertim Arist. de diuina Prouidentia opinionem compendio declarare, bona fronte omittemus. D. Ioannes Franciscus Picus, in docto libello suo, quem de Diuina Prouidentia ad mentem Aristotelis edidit, obiecit. illud autem est. Quoniam inter per se, & per accidens non est medium: quod in secundo Physicæ auscultationis libro, omnes causas, in eas, quæ per se, & quæ ex accidenti nuncupantur, partitus sit Arist.; nec inter has causam mediam affirmauerit. Non ergo potest Diuina Prouidentia tum per se, tum per accidens dici; siue (quod idem est) non potest mundo Deus tum per se, tum per accidens prouidere: perperam igitur mentem Aristotelis exposuit Alexander. F

VERVM enimuerò facillimè tollitur obiectio, admisso quod inter causam per se, & causam per accidens non detur causa media, per utriusque modi negationem: id est non detur causa, quæ neque sit causa per se, neque sit causa per accidens: quod loco citato uolebat Arist. potest tamen dari medium, per utriusque modi participationem: & potest dari causa; quæ tum per se, tum per accidens causa sit. Exemplum superius posuimus de pastore oues curante. Nunc alterum ex tertio libro de Anima parte octaua supra decimam, est obuium. Lumen ex Aristotele & Peripateticis, Auerroe, Themistio, Simplicio, Thoma, & omnibus ferè Aristotelis expositoribus, colores potentia remotiore uisibiles reddit, diaphanum illuminando, actu, idest potentia proximiore uisibiles; & educit illam in colore remotam potentiam uisibilitatis ad actum; ad actum inquam non uisionis, sed uisibilitatis: siue (ut solitum est in scholis dici) ad proximiorem potentiam uisibilitatis. cum enim lumen ex lib. secundo de Anima tex. LXIX, & LXXIII, & ex libro cui titulus de Sensu & sensili sit actus diaphani, secundum quod diaphanum est: quando diaphanum actuat, ut, uerbi gratia, aerem illuminat; colores, qui erant in pariete ex remotiore potentia uisibilitatis ad proximiorem reducuntur: potentia autem proxima actus quidam est. Est igitur sine dubio huiuscemodi actus uisibilitatis lumen efficiens causa; sed cùm istud efficiat ui suæ naturæ: non potest huius actus esse causa per accidens: cum rursus idem in omnibus coloribus sibi expositis, & in ipso abs se illuminato diaphano existentibus, non efficiat: non potest illius actus per se absolutè & simpliciter esse causa: sed dicetur esse causa illius actus uisibilitatis tum per se, tum per accidens: per se quidem, quia (ut dictum est) illud conuenit naturæ luminis, qua lumen est: per accidens uerò, quia præter lumen ad potentiam istam proximam uisibilitatis, quam actum nunc appellari diximus, in colore producendam, certa quædam ex parte luminis ab ipso colore reflexio, sine dubitatione, requiritur; & certa distantia inter colorem, & lumen; sine quibus color potentia ista proximiore uisibilis reddi minimè potest; Et hoc est in causa; & cur lumen, uerbi causa, candelæ in aperto aere & uasto spatio, in quo fieri non possit reflexio, non illuminat & cur si remotum lumen (ut in culmine montis positum) conspiciamus, atque ex parte nostri organi cuncta rectè disposita sint: inter nos tamen & lumen constituta multa, non uideamus, quamuis ad illa lumen sicut ad nos, immo etiam pro ratione proximitatis intensius diffundatur. Quòd ab illis interpositis uisibilibus certa illa & ad uisibilitatem, siue ad proximam uisionis potentiam requisita luminis reflexio non efficiatur, & certa illa distantia deficiat. G H

Adde quòd quicunque aliquam per se, & ex intentione operationem exequitur: si quid ad illam per se, & necessariò consequatur: qui priorem operationem obit; & hoc posterius (quod illam necessitate comitatur) aliquo modo per se, idest non primo, sed secundario, & quasi per accidens obire dicitur: ut sicut qui prolem per se & principaliter intendit, muliebre etiam per se commercium intendit; per se inquam aliquo modo, idest per se secundariò, hoc est tum per se, tum

per

A per accidens. ita contrà, qui per se primò mulierem appetit, prolem per se secundariò intendere necessum est. Ad motum enim cœlestium corporum, qui per se & primò ab illis motricibus substantiis propter seipsas intenditur; consequitur necessariò & per se, sed secundariò; idest tum per se, tum per accidens motus & operatio rerum harum inferiorum; ut qui per se & primò motum illum intendit; & hunc aliquo modo, licet non principaliter sed secundariò, per se tamen, hoc est dictu, partim per se, partim per accidens intendere sit necessarium. Hanc denique Alexandri doctrinam, licet inuitus, ad calcem primæ partis disputationis suæ de prouidentia Dei fateri tandem Dominus ille coactus fuit. cum enim argumentum illud Alexandri; si Dii per se res humanas curarent, hoc perinde esset, ac si dominos seruorum gratia esse & operari diceremus, nullum esse, niteretur ostendere; hæc ad uerbum post multa ille subiecit. Nulla consecutione pen-
» det à uerò, si Deus curat humana; ut sit, aut agat propter illa: nam in Deum uti in finem om-
» nium ultimum, illa ipsa referuntur: quare propriè & exactè propter seipsum, non propter hu-
B mana aut est, aut operatur. Nec seruorum exemplum, & mortalis domini, Deo quadrat: uel
» si quadrat, tibi, qui illud producis, aduersatur. Nam dominus, cum in seruos aliquid confert be-
» neficii, aut propter eos seruos, aut propter seipsum operatur; si primum dixeris, te ipsum redar-
» guis; qui reris falsum esse, ut domini seruorum gratia operentur; si secundum, te ipsum redargui-
» mus; qui affirmamus seruorum beneficium in domini, si non utilitatem, & commodum; in ho-
» norem certè referri. hactenus D. Ioannes Franciscus. sed in hoc tam longo uerborum apparatu, quid aliud uel inuitus sibi uult ille, nisi quòd Dii curant humana, & per se & per accidens. quia dum cuncta referunt in seipsos, hoc autẽ illud est quòd per se & principaliter intendunt, & uolunt secundaria intentione, hoc est tum per se tum per accidens, ut rebus ipsis humanis benè sit; ut bonum istud ad Deum, & Dei gloriam tandem referatur. Sed Alexander idem asserit, & doctissimè, & ad dogmata Peripatetica rectissimè. Non'ne & dominus seruos, & Pastor oues per se secundaria intentione curat; quatenus illis benè uult; ut ex bono illorum, aliquid sibi adipiscatur. siue illud utile, & commodum, siue honor & gloria sit, & dicatur, non est nunc curandum; satis est Alexandro, quòd Dii non sistant in humanis rebus quibus benefaciunt, sed res humanas & propter seipsos, & propter res ipsas tandem procurent; & sibi ex ipsis quidpiam uelint, quicquid illud sit; ita ut non per accidens absolutè, non per se absolutè, sed tum per se, tum per acci-
C dens, mortalibus rebus, Deos prospicere, ad Peripateticorum disciplinam, rectissimè Aphrodisieus asseruerit.

Soluuntur ea, quæ singulæ prius Aristotelis interpretum opiniones pro se adduxerant, quatenus his, quæ ab auctore dicta fuerunt, aduersantur.

CAP. XXXI.



POSTQVAM ipsius diuinæ prouidentiæ ex Aristotele, diffinitionem, & diffinitionis ex Alex. expositionem explicauimus: & eam ab obiectis D. Io. Francisci Pici defendimus, & ad quem modum Deus Opt. Max. rerum cunctarum procurationem habere dicatur declarauimus; superest, ut ea omnia, quæ pro se singulæ prius Aristotelis interpretum opiniones adduxerant: si iis præsertim, quæ de eius sententia, nos diximus, aduersari uidebuntur, dissoluamus. Ad primum pro positione Chalcidii: quoniam non cognoscit Deus hæc singularia materia-
D ta; ergo eorum curam habere non potest. assumptum uidetur Aristotelis lib. duodecimo Metaphysicæ, parte LI. Dicimus quidquid sit de assumpto, argumentum nullum esse: cum probas: quia prouidentia cognitionem supponit rei, cui prouidetur, in prouisore: istud falsum esse ex modo, quo diuinam prouidentiam asseruimus, manifestum est. Possumus etiam admittere, Deum cuncta etiam materiata & singularia cognoscere; nec obstant ea, quæ fuerunt obiecta: si modus, quo omnia ille intelligit, aduertatur: qui quamuis diuersimodè non solùm ab Aristotelis, sed etiam ab Auerrois interpretibus exponatur; nobis tamen (ut rem breuissimè expediamus) sufficiant, ad illud declarandum, uerba ipsius Auerrois lib. duodecimi Metaphysicæ commentatione LI, quæ sic se habent. Et ueritas est, quòd primum scit omnia, secundum quod scit se tantùm.
» scientia in esse: quod est causa eorum esse, uerbi gratia, qui scit calorem ignis tantùm, non dicitur
» nescire naturam caloris existentis in reliquis calidis; sed iste est ille, qui scit naturam caloris se-
» cundum quod est calor: & similiter primus scit naturam entis, in eo, quod est ens simpliciter,
» quod est ipsum. hactenus Auerroes. in quibus uerbis idem Auerr. sensit, Deum, se perfectè intel
» ligendo, cœtera omnia intellexisse; quòd se perspicuè intelligendo, qui rerum omnium perfectissima res est, habens esse perfectissimum, reliqua Entia, in eo quòd entia sunt, intelligat. cuius sententiam pluribus & diffusius in primo libro commentariorum in sententias Theologicas distinc. XXXV, & distinc. XXXIX, excussit Ioan. Bacconus. & nos in tractatu nostro de subiecto Metaphysicæ

taphyficæ fectione fecunda, quid fit dictu, intelligere ens in quantum ens, diligenter admodum expofuimus. E

CVM obiicitur rerum inftabilitas.

DICITVR quòd modo ftabili, res etiam inftabiles cognofcit: quemadmodum immobilis manens, dat cuncta moueri.

AD fecundum quod obiicitur, & ad primum eius incommodum, dicendum, illud non fequi; quoniam ut ex uerbis Auerrois colligi poteft: non haurit diuinus intellectus harum rerum cognitionem ab ipfis rebus: fed à propria effentia.

AD fecundum illud non fequitur; fed contra quòd idem fint: cum intellectus & diuina effentia fint idem prorfus.

AD tertium, non patitur diuinus intellectus à rebus: quòd ab alio quidquã minimè recipiat: fed contrà omnibus ea, quæ habent fingula, præbeat, & elargiatur.

AD quartum ex dictis ad fecundum & ad tertium patet refponfio. Eft enim intellectio illa fimplicifsima: cuius intelligens & intelligibile, ideft id quod intelligitur fit unum idem re modis omnibus fimplicifsimum. F

AD quintum & fextum incommodum. Quomodo illa fequuntur, fi unico & fimplicifsimo actu, fe intelligens, omnia intelligit? nulla eft ibi fuccefsio: nihil extrinfecus ille haurit: nulla diuerfitas cognitionum: non igitur uel de potentia ad actum, uel de quiete ad motum, uel de indefeffo ad lafsitudinem poteft ille intellectus deduci: & fi res ipfæ, quæ intelliguntur, de potentia ad actum perducantur.

AD tertium dicemus fufius libro fexto in refponfione ad tertium principale: fatis fit nunc illud admonere; quòd fi prouidentia diuina fit (ut prius uidimus) ad ufum alterius aliquid operari; nemo eft, qui non uideat, hinc non fequi aut iftarum rerum in Deo cognitionem: aut ex cognitione & prouidentia libertatis, uel temeritatis, & breuiter contingentis naturæ euerfionem: ut multis uifum fuerat, libertati arbitrii diuinam prouidentiam repugnare, fi etiam poneremus diftinctam harum rerum apud Deum cognitionem: nullum ex illis, quæ obiecit aduerfarius, incommodum fequeretur. quod & fuperius aliquo modo uidimus, & inferius fufius à nobis ex Iamblicho declarabitur: & ad ea, quæ pro Chalcidii opinione adducta fuerant hactenus.

AD primum quod pro fe altera opinio adduxerat, patet quid dicendum. Nam fi diuina prouidentia eft motus & operatio Dei, ad ufum & beneficium rerum harum fubcœleftium, non impedit earum operationem, fed contrà adiuuat maximè. Ac ex earum operatione, ortum fuo modo deducunt actus contingentes, temerarii, & liberi. prouidentia igitur non folùm non aufert, & deftruit fed ftruit, & fauet potifsimùm libertati temeritati & omni denique contingentiæ rationi. Ad hoc idem obiectum dicemus fufius, & diligentius, cùm ad tertiam principalem obiectionem libro fexto refpondebimus. Pofito nanque quòd cuncta etiam diftinctè & exactè intelligat primus intellectus: quod tamen ponere non cogimur: immo mihi arridet magis multorum Ariftotelis interpretum opinio illa, quæ negat Deum extra fe, & præter feipfum quidpiam intelligere: non tollitur propterea temeritatis & contingentiæ natura, ut accuratè & diligenter in libro fexto à nobis declarabitur. G

AD fecundum, non cogimur in Deo afferere earum rerum cognitionem; quarum curam ipfe gerit: quod diffusè patere poteft, ex modo, quo nos ad Arift. opinionem, diuinam prouidentiam afferuimus.

AD Ioannem Gramm. Simpl. Alexandrum & ad eos, qui uel à diuina prouidentia temeritates excludunt, & fortunas: aiuntque cafualia ordinem egredi, & difpenfationem diuinæ prouidentiæ, uel propter diuinam prouidentiam auferunt cafum & fortunam: uel tantùm in relatione ad fecundas caufas illũ admittunt, diximus prius fatis diffusè, oftendimusq; Phyficè loquentes, monftra, cafus, & fortuita, ut talia funt, ad quamcunque caufam referas, talia effe & excludi à diuina prouidentia, ut monftra funt, quia tamen nil effe poteft, quod diuinæ difpenfationis ordinem penitus fubterfugiat, idcirco nec monftra penitus ab ordine exclufa funt, fed ut fpeciem & naturam aliquam inducent, ad diuinæ prouidentiæ ordinem rediguntur. Ex modo nanque quo diuinam prouidentiam Peripateticè afferuimus: temeritati eam non obftare, manifeftum iam factum effe putamus. Non enim affirmare aut Deum hæc materiata, & fingularia cognofcere; aut euertere contingentiam, libertatem, temeritatem, cafum, & fortunam cogimur: quomodo multis uifum eft libertati, & temeritati, diuinam prouidentiam (ad Ariftotelis dogmata) repugnare. Iam perfectò iis non aduerfari, fed contra iftis omnibus, diuinam prouidentiam eo modo, quo nos fecimus, declaratam, mirificè fuffragari, cuique conftare poteft: quoniam fine huiufcemodi Diuina Prouidentia effe non poffunt (Peripateticè femper loquendo) temeritas, fortuna, & arbitrii noftri libertas, immo neque nos neque res ipfæ, quæ per Orbem uniuerfum diffufæ funt, operari aliquid, fed neque fubfiftere, poffunt; & illa, quæ H

A & illa, quæ eueniunt, siue necessariò, siue contingenter, siue fortuitò & temere, siue alio quocunque modo eueniant, si non esset diuina Prouidentia, hoc est si Dii cœlestia corpora non mouerent, euenire non possent. Est igitur diuina Prouidentia, ita ad Peripateticorum doctrinam explicata, non ad impedimentum, uel ad coactionem nostrorum operum. quæ ut nostra sunt, libera sunt; si enim libera non essent, nostra non essent; sed ad usum, & beneficium eorundem, quo magis etiam (si fieri potest) non serui nostrarum operationum sed domini efficiamur. & quod de nostris operationibus diximus; idem dicendum de cæterorum qualitercunque agentium effectionibus, quorum opera, ab ipsa diuina Prouidentia iuuatur quidem, sed nullo modo, plusquam eorum natura paciatur cogitur, uel necessitatur. iuuare autem quempiam ad opera sua perficienda, quibus finem & proprium & communem, idest, perpetuitatem consequatur, est ei prouidere, & eiusdem curam & procurationem habere. Quòd si aliquando ab ea perpetuitate; ad quam prius diximus omnia suo modo tendere; & ab ipsa diuina prouidentia, & à fine communi, uel pròprio, multa multis modis deficere uideantur, ut, uerbi causa, homo per connatum, uitium aut per testium euulsionem, uel per nuptiarum contemptum

B prolem & perpetuitatem, qualem homini natura tribuit, assequi non potest. uidentur quidem ista à perpetuitate & à communi fine, & ab ipsa denique diuina prouidentia delabi, non delabuntur autem, sed alia uia ex diuina prouidentia, ad perpetuitatem, & ad fines suos contendunt. Ad aliqualem nempe uniuersi perfectionem monstra, & spadones, & cœlibes perpetuos, esse oportebat: quòd hæc omnia, quadam ratione, species & natura quædam sunt. Ex quo patere illud potest, quod Ioan. Gram.; & post Ioannem Simpl. nobilissimi Aristotelis interpretes prius dicebant; quòd monstra ad primam causam relata, non fortuita uel temeraria esse dicebantur; nihil enim fortuitò, nihil temerè respectu primæ causæ simpliciter & absolutè accidere potest; quoniam nihil est; quod diuinam Prouidentiam subterfugere queat. Hoc est quod libro octauo Physicarum auscult. parte quinta supra decimam dicebat Arist. Naturam in rebus inordinati tolerare nihil. si autem aliquid inordinatum uideatur, ut monstrum, non ita inordinatum & temerarium, quin modo aliquo ad ordinem, & ad causam per se reduci possit. de qua re prius cap. x x v huius libelli diffusè à nobis dictum fuit. Verùm etsi quod diuinam Prouidentiam subterfugiat, est nihil; multa nihilominus, diuina de rebus cunctis prouidentia supposita, contingere possunt, quæ

C etiam (ut ad Deum, & ad primam causam relationem habent) casu, & temere contingere dici possunt; quod quomodo esse queat; fusè satis superius loco citato à nobis declaratum fuit. Illud etiam ex dictis manifestum est; quòd non tantùm rerum æternarum, uel non tantùm uniuersalium, & specierum, ad mentem Aristotelis (ut nonnulli prius dicebant) apud Deum prouidentia est; sed omnium administrationem, atque rerum cunctarum prouidentiam Deum habere, ab omnibus ritè confitendum, & firmiter, ex disciplina Aristotelis, credendum est. Nec propterea hæc singularia eo modo, quo in se sunt, à Deo cognosci, fateri cogimur: quemadmodum putarunt aliqui; etiam si eisdem eo modo, quo in se habent esse, diuina bonitas prouideat. Rebus enim (ut dictum est) omnibus tam æternis quàm generabilibus tam in singulari quàm in uniuersali, & in specie, eo, quo expositum est, modo, absque materiatarum rerum cognitione, de sententia Aristotelis diuina bònitas, & natura prouidet.

Sed de Diuina Prouidentia ad mentem Philosophorum Aristotelis præsertim, & Platonis; & de Alexandri aduersus Domini Ioannis Francisci Pici calumniam defensione, hucusque. Superest iam, ut de ipsa diuina Prouidentia quid nostri catholici Theologi definiant, uideamus.

D

IVLII SIRENII CARRARII HIERONYMIANI, THEOLOGI, ET PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

De Fato liber quintus.

De diuina prouidentia ad Theologorum sententiam.

An sit diuina prouidentia inquiritur, & ad partem falsam arguitur. CAPITVLVM PRIMVM.



PHILOSOPHANTIVM, Platonis potissimùm, & Aristotelis, de diuina prouidentia an sit, quorum sit, & quid sit, hactenus considerauimus opiniones, & illam, quæ est Aristotelis, non solùm non aduersari euentis fortuitis, & contingentiæ, sed illi maximè patrocinari demonstrauimus. illam autem, quæ est Platonis & Stoicorum, improbatam omisimus, illis contenti rationibus, quibus eorum fatum improbauimus. eisdem certe, & eorum de diuina prouidentia opinionem, inquantum euentuum contingentiæ aduersatur, improbatam satis oppugnatamq; existimamus. Nunc demum superest; ut ea, quæ prius de ipsamet diuina prouidentia ad opinionem Philosophorum explicauimus Theoremata; ad mentem Theologorum nostrorum, & secundum catholicam ueritatem, consideremus. Primùm igitur considerandum est, An sit diuina prouidentia; resque Deus, quas condidit, administret; uel negligat potius, aut omnes, aut plurimas. Sed ueritatem, quàm firmissimis rationibus fieri potest, oppugnemus. Has enim cum diluerimus; res tota clarior, atque illustrior erit. Ac primùm quidem non uidetur prouidentia esse sine prudentia; prudentia autem ex lib. sexto Eth. cap. VI, & aliquot sequentibus sine ratiocinio, & discursu esse non potest; discursus autem omnis à Deo penitus tollendus est; quòd imperfectionem semper quandam intra se claudat, & annexam habeat; omnis autem à Deo procul abigenda est imperfectio; ab eodem igitur uidetur tollenda esse prudentia atque prouidentia. G

SECVNDÒ quoniam stante diuina prouidentia, perire uidebitur & casus, & fortuna, & præmium, & pœna, & tota breuiter, quam acriter hactenus defendimus, contingentiæ natura. Eo enim modo cuncta, de suis causis, procederent, atque in lucem ederentur, quo diuina uoluntas in sua prouidentia, ab æterno, & procedere, & euenire statuisset: cuius & secundæ causæ omnes, & cœtera cuncta quomodocunque agentia, & nos ipsi uniuersi, instrumenta sine dubitatione, essemus. Nobis igitur benè agentibus, nihil præmii, cum præmium sit agentis, non instrumenti; nihil similiter malè agentibus pœnæ eadem de causa merebimur. Et cùm uoluntati diuinæ nihil possit obsistere; nihil illius consiliũ impedire; nihil illius decretum infirmare; aut eius statutũ euertere: nihil temerè, nihil fortuitò, nihil casu poterit euenire: sed eo modo cuncta ineuitabili necessitate euenient: quo (ut dictum est) per diuinam ab æterno, uoluntatem & prouidentiam eueni- H
re decretum atq; statutũ fuerit. Esaiæ XLIII. Non est, qui de manu mea eripiat: operabor, & quis auertet illud? & cap. LV. Verbum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunque uolui. Et Psal. LXXV. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Item Hester XIII. Omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita: & non est, qui resistere possit uoluntati tuæ: si decreueris saluare Israel: dominus omnium es; non est, qui resistat maiestati tuæ.

TERTIÒ. cùm sapiens prouisor à re, cuius curam gerat, malum omne, quantum potest, expellere debeat: uel Deum rebus istis non prouidere, aut non omnibus; uel saltem (quod maius forte incommodum erit) non satis sapientem prouisorem esse, sequi uidebitur. Multa enim mala, ut ebrietates, adulteria, incestus, abusus, stupra, sacrilegia, bella, furta, homicidia (sed iam cœpimus τὴν ἄμμον μετρεῖν, idest arenam metiri.

» *Non mihi si linguæ centum sint oraq; centum,*
» *Ferrea uox, omnes scelerum compræhendere formas*
» *Omnia malorum percurrere nomina possem)*

mala

A mala inquam huiuſcemodi innumera in Orbe uniuerſo non ſolùm conſpicimus, ſed eorum etiam plurima inuiti ſæpiſsimè nos experimur. Huic tam graui abſurdo, atque tam magno malo, ex Boethio lib. quarto de Philoſ. Conſol. proſa prima, aliud maius abſurdum, & maius malum adiungitur. Nam imperante florenteque nequitia, uirtus non ſolùm præmiis caret; uerùm etiam ſceleratorum pedibus ſubiecta calcatur; & in locum facinorum ſupplicia luit. Quæ fieri in regno ſcientis omnia, potentis omnia, ſed bona tantummodo uolentis Dei, nemo ſatis poteſt nec admirari, nec conqueri.

QVARTÒ, eſt ratio illa Epicuri, cuius lib. de Ira Dei meminit Firmianus. Quoniam Deus aut uult mala tollere, & non poteſt: aut poteſt, & non uult: aut neque uult, neque poteſt; aut & poteſt, & uult. Si primum, imbecillis Deus eſt. Si ſecundum, inuidus. Si tertium, utrunq; & inuidus, & imbecillis eſt. Si quartum, unde ergo ſunt mala? aut cur illa Deus non tollit, ſi res humanas curat? cum igitur ea non auferat, noſtra nequidquam curat.

B Ad eandem partem falſam, aliquot confirmationes adducuntur. CAP. II.



ONFIRMATVR idipſum, quod ratione probatum hucuſque uidetur. Primò, quia non ſolùm mala non excluſit Deus à rebus: ſed illa bonis præſtare uoluit multitudine, celeritate, facilitate, frequentia, magnitudine, & mille aliis modis. probi homines quàm rari ſunt? contrà nequam quàm multi? ut multo magis improbitas, quàm probitas homini naturalis uideatur. Hora, & penè temporis momento, infirmamur; at ut ſanemur, longo tempore longaque ſæpe medicorum opera opus eſt. modicum uenenum ſtatim enecat; multa pharmaca uix ſanant. multis morborum generibus ſola contagione inficimur; nullo contactu tam repente iuuamur: quod ſectione VII. Problem. dubitationem maximam fecit Ariſtoteli: ut uix illud credi poſsit, quod Suetonius in uita Veſpaſiani ſcriptum reliquit: ſolo contactu, & loripedem direxiſſe cæſarem, & cæcum illuminaſſe. Vno uerbo periclitamur; ſed multis periclitati amicorum auxiliis uix ſeruamur. citiſsimè omnia fortunæ bona amittimus; at non niſi longiſsimis temporibus, uix ditari poſſumus. eſt denique.

C » *Facilis deſcenſus Auerni:*

» *Sed reuocare gradum, hic labor, hoc opus eſt.*

ADDE (& eſt confirmatio altera) quòd ea, quæ nos ad malum patrandum, ad ſcelus, & ad peccatum irritant; ut ſunt uinum, adoleſcentia, conditio, occaſio, uis, pænæ timor, prœmii ſpes, decor, ſiue formoſitas, & id genus alia, in magno adeo numero Deus condidit; ut ſincerioris uitæ, rectiorisque noſtri itineris, nec non ſummæ ab eo promiſſæ prius fœlicitatis, nobis Deum inuidiſſe fermè credi poſsit; quòd perſiſtere, non labi in uitium, non decipi, ſit nobis quaſi impoſſibile. Vinum uires miniſtrat, imprudens adoleſcentia quid non audet? conditio iuuat, occaſio accelerat, uis urget, pœnæ timor ſuadet, ſpes præmii allicit, decor ſolicitat & dementat, cuncta denique ferè ad turpitudinem, & uitium nos impellunt. at ea quæ contrà ad bonum, & ad probitatem, & uirtutem, & innocentiam, nos allicere, & oſcitantes expergiſcere, tardoſque prouocare, ac urgere debebant; pauciſsima, rariſsimaque, & eadem paratu nimis difficilia, & ardua eſſe uoluit: ut non niſi poſt magnos ſudores, poſt diutinos & improbos labores, poſt infinitas ærumnas, & tunc etiam uix conſequi uirtutem, aut bonum quodpiam ualeamus. ut dicat rectiſ-

D ſimè Poeta.

» *Multa fecit, tulitque puer, ſudauit, & alſit.*

ſperata quippe bona atque exoptata uix pauca, & cum maxima ærumna proueniunt; ut ſi Homericæ fabulæ in re tam ſeria alludere nobis liceat; malorum dolium effudiſſe Iouem, bonorum uerò clauſam urnam oſtentaſſe tantùm, ut humanum animum uehementius accenderet; dicere poſſimus.

ADDE rurſus (& eſt confirmatio tertia). Quoniam ad fœda facinora, ut ad uitia patentem mirum in modum uiam, ad uirtutes contrà anguſtum aditum, eundemque difficilem eſſe uidemus, ut de induſtria Deum homines uniuerſos in peccata prolabi; in uitia ruere; per flagitioſa facinora errare; nullos uerò aut quàm paucos benè (ut decebat) & honeſtè ac ſtudioſè agere, uelle, fateri, quaſi poſsimus. Nec ſolùm à prouiſis rebus Deum mala excludere noluiſſe: ſed eis contrà (quod peſsimi prouiſoris officium eſt) hominem quaſi rapi, atque tanquam quibuſdam inexplicabilibus retibus præpediri, concludi, atque intercipi Deus uoluiſſe uideatur. Quam rem affir-

» mare uidetur non ſolum Sapiens lib. ſap. ca. XIIII, inquiens, Creaturæ Dei factæ ſunt in muſcipulã

» pedibus inſipientium. & Apoſtolus ad Roma. cap. XI, Concluſit Deus omnia in incredulitate. & ad

» Gal. III, Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato: ſed ipſemet etiam D. N. IESVS CHRISTVS Matth. VII, dum inquit. Quàm lata porta, & ſpacioſa uia eſt, quæ ducit ad perditionem. Contrà

tra, quàm angusta porta, & arcta uia est, quæ ducit ad uitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam. Quam rem libro primo, cui titulus Opera & Dies, aliquot uersibus ita expresit Hesiodus.

» Τὴν μέν τι κακότητα καὶ ἰλαδόν ἐστιν ἑλέσθαι
» Ῥηϊδίως, ὀλίγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
» Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
» Ἀθάνατοι; μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν.
» Καὶ τρηχὺς τε πρῶτον. idest.

Mala quisque sibi & facillimè & cumulatissimè capere potest. Breuis quippe ad illa est uia: quàmproximè enim adsunt. Sed uirtutem Dii immortales sudore parandam iusserunt. Est enim ad illam & longus, & arduus callis, atque primùm asper. Vnde Arist. Ἀρετὰ πολυμόχθε γένει βροτείῳ. O' uirtus ardua, laboriosaque generi humano.

Confirmatvr quartò idem quod prius. Quoniam multis quidem sensibus, unico autem intellectu Deus hominem constitui uoluit. Multi nanque in homine constituendo, tum interni, tum externi adhibentur sensus; qui ab obiectis suis, & ab ipsis sensilibus rebus, ui quadam etiam pertrahi, & rapi uidentur; ut hominem fermè cogant, & opprimant. at intellectiua ac rationalis uirtus unica est: quæ quanuis rationis sit apprimè capax: quia tamen sola est; & ab obiecto suo quod est quid intelligibile, ut intelligibile, id est res infirma, ac debiliret ueluti imaginaria est, uix moueri illam, atque excitari conspicimus. ut non labi hominem, & illecebris sensuum, ratione interim consopita, non urgeri, sit quasi imposibile. Quinetiam ipsa ratio & intellectiua facultas, etsi (quantum ad se attinet) in bonum & honestum (est enim ratione prædita) in uirtutem, ac beatitudinem ueram semper enititur: comitem tamen præter ipsorum sensuum satellitium, inconstantem illi uoluntatem Deus adhibuit: quæ falsis fucatisque sensilium illecebris delinita, & illecta, non solùm ad uoluptates ipsa facillimè (quod naturæ est omnium) inclinatur, & trahitur; sed ipsam etiam sodalem mentem, & rationem educere, & ad uanas delitias, futilibus quibusdam, miserrimisque suasiunculis, miserè delinire; cunctumque rectum consilium euertere, atque inanibus falsisque uoluptatibus illam occupare, seducereque non cessat. cui si (quod sæpissimè facit) imponit, & persuadet: eam ueluti impudentissimam meretriculam ignominiosè ita prostituit; ut homo sui ipsius, atque suæ dignitatis oblitus, in beluã conuertatur, & iis artibus, quibus sibi ad uoluptatem aliquam iter parari persuadetur; indulgere, inseruireque adeo fœdè & miserè conspicitur; ut belua neque ardentius, neque fœdius inseruiat. ut qui primus uoluntatem dixerit; quasi uoluptatem, hoc est fucatam, inanem, uanam, inconstantem, titillationem καὶ τῶν κακῶν δέλεαρ, id est malorum omnium escam, uoluisse dicere uideatur; sic toti (mente seducta) in uoluptates quamuis uanas, & pudendas labimur, & ueluti irruimus. F G

Confirmatvr idipsum quintò experientia; quia bonos sæpenumero malis, & quidem innumeris, sine aliqua causa miserrimè affici; malos & sceleratos uiros contrà bonis, iucundissimè potiri uidemus. ut indignabundus Euripides in Bellorophonte dixerit. Οὐ γὰρ ἄξιον λεύσσειν φάος κακοὺς ὁρῶντας ἐνδίκως τιμωμένους. Indignum est cœlum suspicere, malos cum uideamus iniustè honoratos. Quòd si de rebus humanis, prouidentiam haberet Deus sapientissimus; uel (ut prius arguebatur) malum omnino ab iis rebus omnibus, quarum curam gerit, excluderet: uel saltem si admitteret, prauis tantùm, & sceleratis hominibus admitteret; iuxta illud Thelamonis, Nam si curent (Dii scilicet) benè bonis sit, malè malis. quod etiam Psal. CXXIIII implorare uidetur propheta inquiens, Bene fac Domine bonis & rectis corde. Quænam igitur, quæso, improuida, prouidentia est; bonos atque innoxios domo priuare, patrimonio spoliare, suppliciis, igne, ferro, cruce, tollere; malos, & improbos uiros contrà, diuitiis, honoribus, & gloria sæpè euehere; & iis bonis, illos quasi saturare; & ad cœlum usque tollere? Archelaus & fratris, & patrui, & patruelis, immanis sicarius, Macedoniæ imperat gloriosus, Diogenes Cynicus dicere solebat. Harpalum (qui temporibus suis prædo fœlix habebatur) contrà Deos testimonium dicere; quòd in illa fortuna tandiu gloriabundus uiueret. Dionysius Tyrannus, cum Fanum Proserpinæ Locris expilauisset, nauigaretque fœlicissimè Syracusas; familiaribus suis dicebat; Videte amici, quàm bona, à Diis Immortalibus, sacrilegis nauigatio datur. Agamẽnon contrà rex bonus, atque acerrimus armis, ab adultero, adulteraque exceptus, dolo interemptus est. Et Hercules cum de rebus humanis optimè meruisset; noxiis plerisque monstris Orbe desecato, à Deianira uenenatus, & incautus confectus est. H

Confirmatvr hocipsum sextò & ultimò tum ex Paulo in priore ad Corinth. cap. IX. Non est Deo cura de bobus. Tum ex Iob cap. XXII. Nubes latibulum eius (scilicet Dei) nec nostra con- “
siderat, & circa cardines cœli perambulat. Tum ex Matth. XXII. Non est Deo cura de aliquo. “

Rerum

A Rerum cunctarum & in primis ipsius hominis curam, ex sacris literis, & prouidentiam Deum habere, probatur. CAP. III.



ERVM enimuerò etsi ea, quæ adduximus, nullam uel quam frigidam rerum humanarum habere Deum curam, utcunque persuadere uideantur: in oppositam tamen partem, Deumque Opt. Max. rebus uniuersis, magnis, & paruis, æternis immortalibusque, & caducis, uniuersalibus & singularibus, in uniuersali, & in singulari prouidere, & eas quamdiligentissimè curare, & procurare multis ex Philosophorum scholis, repetitis auctoritatibus, & rationibus, exactè satis, & diligenter præcedente libro demonstrauimus. Vt operæ nobis plurimùm (quam nunc insumere opus erat) ademerimus; qui præmissis iam Physicorum probè claris, & notis demonstrationibus, per sacrarum duntaxat scripturarum testimonia, diuinam
B prouidentiam, ob oculos omnium, proponemus. ac primùm, Exod. cap. III. Quis dedit os homini, & quis fecit mutum & non audientem, uidentem & cœcum, non'ne ego Dominus Deus? Prouerb. III. Dominus sapientia fundauit terram; stabiliuit cœlos prudentia, sapientia illius erumperunt abyssi, & nubes rore concrescunt. Et Sap. XI. Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti domine. quæ uerba B. Thom. prima parte quæst. V. art. V, & uer. q. XXI art. VI ex B. Augustino lib. IIII super Genes. ad literam exposuit, inquiens. Mensura omni rei modum præfigit; & numerus omni rei speciem præbet; & pondus omnem rem ad quietem, & stabilitatem trahit. Et lib. tertio contrà Gentes cap. XCVII ita exponit, ut per mensuram, quantitatem siue modum, aut gradum perfectionis unius cuiusque rei, intelligamus; per numerum uerò diuersitatem, & pulchritudinem specierum, consequentem ex diuersis perfectionis gradibus; per pondus uerò inclinationes diuersas, ad proprios fines, & operationes, & ad propria agentia, & patientia; quæ specierum distinctionem sequuntur. Rursus Sap. cap. XIIII. Tu autem pater gubernas omnia prouidentia. Ecclesiastici cap. XI. Bona & mala, uita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt. Psal. CIII. Quàm magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. Increpantur Esai. XL. cap. qui à Deo prouidentiam abigunt. Quare dicis, Iacob, & loqueris Israel. Abscondita est uia mea à Domino; & à Deo meo iudicium meum transiuit? nunquid non
C scis, aut non audisti, Deus sempiternus Dominus: qui creauit terminos terræ: & non deficiet; neque laborabit; nec est inuestigatio sapientiæ eius; qui dat lasso uirtutem; & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat &c. Legas quæso Psalmum CXXXVIII, & quantam de nobis & de humanis rebus uniuersis curam gerat clementissimus Deus; contueri ualebis. Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, & funiculum meum inuestigasti; & omnes uias meas præuidisti. Ecce domine tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illhic es; si descendero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; Etenim illhuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. suscepisti me de utero matris meæ &c. & Prouerb. XV In omni loco speculantur oculi Domini bonos & malos. Et Ierem. XXIII Ego Deus appro-ximans, & non est Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis; ego non uidebo eum. Non'ne cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus. D. N. Iesus Christus Matth. VI. Omnem de rebus humanis cibo, potu, ueste, domo, parentibus, & id genus aliis curam deponere; regnum autem tantùm cœlorum inquirere, quòd hoc unum inquirentibus, de cæteris bo-
D nis omnibus, Deus ultro prouideat, huicque uni duntaxat germanæ, atque legitimæ philosophiæ incumbere, discipulos & auditores suos etiam atque etiam est hortatus. quod facit discipulus eius, & apostolorum Coryphæus Petrus in ultimo cap. prioris Epistolæ, dum inquit. Omnem solicitudinem uestram proiicite in Deum, quoniam ipsi cura est de uobis. Illa uerba Matth. X. Non'ne duo passerculi minuto asse ueunduntur? & unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro: Vestri uerò etiam capilli capitis omnes numerati sunt: Et illud ex Psalmo XXXIII. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex iis non conteretur: non solùm res uniuersas Deum administrare: sed quantam de eisdem curam ac prouidentiam gerat, clementissimus omnium pater Deus benedictus; plusquàm satis ostendere; eandemque ob oculos conspectissimam cuiuis proponere, atque demonstrare uidentur. Quamobrem sanctissimè ostensurus Atheniensibus Dei Optimi prouidentiam Paulus, in ipso (aiebat) uiuimus, & mouemur, & sumus. Maximum autem diuinæ prouidentiæ, excellentissimumque, atque admirandum opus fuit, Dei met, & Filii eius unigeniti incarnatio: quæ propter hominem facta est: eiusdemque preciosissimi sanguinis effusio per quam ex trifaucis cerberi barathro, ad æternam ipsiusmet Dei filii gloriam euocamur: & ex hostibus in amicos, & Dei filios adoptamur. Sed pluribus sacræ scripturæ auctoritatibus, quàm opus erat, sine dubitatione egimus; cùm una id efficiat, atque demonstret; quod

mille ſimul. Quid enim ad rem oſtendendam poterat dici & breuius & clarius, quàm id quod E
Sap. VII. legimus, Diuina ſapientia attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. quem locum in ſequentibus, hoc eſt lib. nono cap. XIIII paulò diligentius exponemus.

Diuinæ prouidentiæ miniſtros hæc inferiora agentia, ſed in primis angelos, eſſe. CAP. IIII.



ET SI Deus optimus Maximus ſua infinita ſapientia, & prouidentia, res cunctas, ſiue quæ ad totius Orbis integritatem; ſiue quæ ad uniuſcuiuſque quamuis minimæ rei ſalutem attinent, indeſinenter ſine labore aliquo, & moleſta ſolicitudine, ſed ſimplici, uoluntatis ſuæ nutu adminiſtrat: & pro ſubiectarum rerum ratione, omnibus libentiſsimè opportuna omnia & abundantiſsimè prouidet: miniſtros nihilominus ſuæ prouidentiæ habere plurimos non eſt dedignatus non quia per ſeipſe ea, non poſſet omnia, & pari facilitate, quæ unà cùm miniſtris ſuis poteſt: ſed magis, ut abs ſe factis creaturis ampliſsimæ bonitatis ſuæ non nihil impartiretur. Hoc eſt. quantum unaquæq; uel pro ratione naturæ, uel pro meritorũ diſpoſitione fuerat capax. F Horum igitur miniſtrorum ſuorum aliqui paucarum, alii multarum, alii plurium, & maximarum rerum curam habere dicuntur; beſtiolæ natos ſuos curant: immo Deum beſtiolarum miniſterio, eoſdem curare, dicendum eſt. Homines non filios ſuos tantùm, ſed ciuitates, & prouincias, & regna, resque multas, & maximas eorum plurimi adminiſtrant: immo Deum hæc cuncta, hominum miniſterio rectius gubernare dicemus. ita nanque ſentiendum eſſe, in priore ad Corinth. cap. XV, docuit Apoſtolus: qui cum abundantius cæteris Apoſtolis ſe laboraſſe dixiſſet: quaſi ſeipſum corrigens, ſubdit. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. « Sed ante homines, angeli ſunt diuinæ adminiſtrationis perpetui, in rebus omnibus quidẽ, ſed in iis præſertim, quæ ad hominis ſalutem pertinent, & indefeſsi diuinæ prouidentiæ adminiſtratores. In pſalmo enim CIII, & in Epiſtol. ad Hebræos cap. I, legitur. Qui fecit angelos ſuos « ſpiritus: & miniſtros ſuos flammam ignis. & eodem cap. Non'ne omnes ſunt miniſtri ſpiritus in « miniſterium miſsi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. « Angelorum autem aliqui quidem hominum ſingulorum res curare dicuntur. Ideo Matth. XVIII. Videte ne contemnatis u- G num ex his puſillis. Dico enim uobis, quia Angeli eorum ſemper uident faciem patris mei. Geneſ. XVI. Angenls conſolatur Agar eiectam ab Abraham. Gen. XXXII. Fuerunt Angeli Dei obuiam Iacob. Et prius cap. XIX Eripiunt ab incendio Loth, cum tota familia ſua. Geneſ. XLVIII Angeli ſui meminit Iacob. In libro Tobiæ per totum, habetur mira erga Tobiam, & filium eius, Angeli cuſtodia. Act. XII Petrus ab Angelo è carceribus eripitur: & cum ad domum Mariæ matris Ioannis diuertiſſet: & ianuam frequentius pulſaret: dicebant quidam, quòd Petrus non eſſet, qui ianuam pulſaret: ſed Angelus eius. Communis eſt catholicorum Theologorum ſententia de uno, uel duobus Angelis, cuiuſq; uitæ comitibus atq; cuſtodib. à qua Ethnici quidam Theologi non diſſentiunt: ut Euclides Socraticus. quod Lucilius in ſatyra quadam teſtatus eſt, & Empedocles (ut Plutarchus in libello de trãquilitate auimi aſſeruit) & Porphyrius, ut Iamblichus in lib. de Myſteriis enarrauit, & multi, ut Socrates, de cuius dæmone apud Platonicos copiosè legitur, Plato, Plotinus, Proclus, Apuleius, & alii priſci Aethnici Theologi, ut Homerus nobis quàmplurima de cuſtode dæmone tradiderunt. cuius cuſtodiam Seneca, qui aliàs dæmones negauerat, epiſtola CXI confirmauit. & Menander inquit. Δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσαται δ᾽ εὐθὺς γινομένῳ, unicui H que nato adeſt continuò Dæmon. & Theocritus in Pharmaceutria σὺν δαίμονι τάκω, ubi interpres. cum ſuo ipſius Dæmone. Syneſius etiam libello de Inſomniis, adeſſe cuique proprium Dæmonem, iugiter aſſeruit. Quamobrem Bruto, noctu, ante prælium, in Philippis, à quodam horrendæ formæ dictum fuiſſe legitur, Ego ò Brute genius tuus malus ſum: me in Philippis uidebis. Curtio Ruffo, dum Africam obtineret, & inclinata iam die, in quadam porticu ſpatiaretur: mulieris figura oblata eſt, quæ ei multa uentura predixit; & inter cætera, uenturum illum breui Romam, honoresque geſturum, cum ſummoque poſtea imperio, in eandem, in qua tunc erat, prouinciam reuerſurum. Eliſius quidam, ut Plutarcus in oratione conſolatoria, ad Apollonium teſtatus eſt, dæmonem Euthynoi filii ſui per ſomnium uidit. Conſimile de Caſsio Parmenſi lib. primo cap. VII commemorat Valerius. In uita Antonii de genio Cæſaris ſuperante genium Antonii, mentionem facit Plutarchus. Genius (puto) Piſiſtrati Athenienſium Tyranni erat uir ille, qui grandi & tetra forma, eidem dormienti apparuit: illudque in aures inſuſurrauit.

» Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει,

ideſt. Nemo iniuſtus pœnam effugiet. Plato (ut in uita Marii narrat Chæroneus) gratias de multis dicitur egiſſe & fortunæ, & genio proprio. & in uita Cimonis, manes adamatæ Cleonicæ à Pauſania temerè interfectæ, eiuſdem quietem turbare, Cleonicesque umbram frequenter ſibi

per

A per somnium uisam iratè illud dictare: Ad sis iudicio, mala res iniuria ualde est, ipsemet Charneus asseruit. Sed iam Ethnicorum exempla mittamus, & ad Theologos nostros reuertamur. Nonnulli sunt Angeli, qui non tantùm singulares homines, sed nationes etiam quasdam curare dicuntur, & prouincias, & regna. Et ideo Ecclesiastici XVII legitur, In unamquamque gentem præposuit rectorem. & cap. primo & secundo Apocalyp. Septem Ecclesiis angelos, & cuique illarum proprium angelum præesse, ex reuelatione Domini scriptum reliquit Beatus Ioannes. Sanctus Ambros. lib. secundo super Lucam, Non solum inquit Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinauit, sed etiam angelos destinauit. Et B. Gregorius in quarto Dialogorum libro. In mundo uisibili, nil nisi per inuisibilem creaturam, quæ angelius est, disponi asseruit. D. Augustinus lib. IX de Trinit. corporalia cuncta & regi tradidit, & disponi, per spiritualem aliquam & inuisibilem creaturam. Idem lib. LXXXIII Quest, Rem unamquamque uisibilē in mundo, præpositam sibi habere angelicam potestatem affirmat. ubi Deus (inquit) quædā facit per
» seipsum, sicut illuminat animas, & beatificat eas; alia per seruientem sibi creaturā, integerrimis
» legibus, pro meritis, ordinatā, usque ad passerū administrationē, & usque ad fœni odorē, & usque
B ad numerū capillorū nostrorū, diuina prouidētia procedēte. Quāobrē lib. Numer. cap. XXIII, Homil. XIIII Orig. asseruit angelos dari, qui iussu altissimi terrenis exercitibus, bestiis, animaliū natiuitati, & uirgultorū, plantationumq; incrementis præsideant. Quamobrē. B. Thomas pp. q. CXII in arcam Noæ, imminente diluuio, per custodes angelos, animalia plurima inducta fuisse, rectè existimauit. Non præteribo silentio, hanc B. Hieronymo non multum arridere sententiam, qui cum primo cap. libri Abacuc, postquàm nonnulla posuit, quæ ut Deus cognosceret indignum uideretur, hæc subdit. Ex quo liber ille Apocryphus stultitiæ condemnandus est; in quo scriptum est; quendam angelum nomine Tyri præesse reptilibus; & in hanc similitudinem piscibus quoque, & arboribus, & bestiis uniuersis, proprios in custodiam angelos assignatos. Hactenus Hier. Sed
» quid per hæc uerba sentiat B. Hieronymus Ecclesiæ Doctor, aliàs opportunius dicemus Daniel. X.
» ait Angelus, Noli timere, Daniel; ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te
» affligeres in conspectu Dei tui; exaudita sunt uerba tua; & ego ueni propter sermones tuos. Prin
» ceps autem regni Persarum restitit mihi uiginti, & uno diebus: & ecce Michael unus de principi
» bus primis uenit in adiutorinm meum; & ego remansi ibi iuxta regem Persarum, & paucis inter-
C positis. Nunquid scis quare uenerim ad te? & nunc reuertar, ut prælier aduersum Principem Per
» sarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum ueniens &c. Hæc & alia ibidem pro
» sequitur Daniel, quibus angelorum curam pro nobis susceptam intueri liceat. sunt enim ii principes angeli non homines, boni non mali, qui prouinciis & regnis præsunt. Non enim mali angeli principes sunt nationum uel prouinciarum, uæ nobis uæ inquam iterum prouinciis illis, quibus mali angeli præessent. Et paulò post illa uerba subiecit. Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps uester. Ex quibus uerbis collegerunt Lyranus, & Euthimius, & alii plurimi, quòd quemadmodum nunc Michael dicitur princeps Ecclesiæ Christi; ita tunc erat custos Synagogæ. Iudic. II. Angelus exprobrat Israelitis quòd fœdus inierint cum Chananeis. Exod. XIIII Angelus præcedit Iudæorum Castra. Et cap. XXXIII Populi Israel dux angelus est. Iud. II Ascendit angelus domini de Galgalis, ad locum flentium. Lib. IIII Regum cap. XVIII Angelus Domini interficit centum octoginta millia Assyriorum, pugnantium contra Ezechiam, duce Sennacherib. Iosua cum obsidione, cincturus erat Hierichunta; lociq; situm, atque conditionem exploraret; mane uirum, stricto, gladio, armatum sibi obuium conspicatur; qui interrogatus quis es-
D set, respondit; se esse ducem exercitus populi Dei; missum, ut multitudini Israeliticæ opitularetur. Act. XVI Paulum hortatur Angelus Macedoniæ, ut Macedonibus auxiliaretur. Quamobrē rectissimè B. Dionysius lib. de Angel. Hierarch. cap. IX, singulis gentium nationibus, custodes certos angelos esse designatos, affirmauit. Et Paul. in priore ad Corinth. cap. XI, Mulierem habere uelamen super caput suum iubet, & propter uirum, & propter angelos; eos scilicet, qui in Christum credentibus præsunt. Ipsorum etiam angelorum curam aliquam Archangelis delega-
» tam esse, lib. quarto in Beatum Iob, cap. XXVII Gregorius ex Zachariæ II asseruit. Ecce, inquit
» Zachar., angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur; & angelus alius egrediebatur in occur-
» sum eius; & dixit ad eum; curre, & loquere ad puerum istum dicens; absque muro habitabitur
» Hierusalem. sunt nonnulli, qui principatuum curam, circa respublicas, principes, & rectores; Archangelorum circa mysteria, & sacras cæremonias; Angelorum circa priuatas res esse dixerunt. Cæterùm ex iis & aliis innumeris sacræ scripturæ locis apertè edocemur; angelos res quidem uniuersas, sed in primis humanas indesinenter custodire; & unam rerum omnium esse apud Deum prouidentiam; uisibilibus omnibus, & inuisibilibus rebus super essentialiter collocatam ad quam, tanquam ad proprium, ut inquit B. Dionysius, principium, & scopum, omnes siue gentibus, & nationibus, siue singularibus hominibus, siue cæteris quibuscunque minimis, uel maximis rebus, præsidentes angeli, sua ministeria collimant. Vt cum Boethio prosa VI lib. prioris

ris de Consol. philos. quilibet probus exclamet. Operi suo conditorem præsidere Deum, nec unquam fuerit, dies qui me ab hac sententiæ ueritate depellat. E

Circa ea, quæ dicta sunt, duæ difficultates tolluntur. Cap. v.



AN VERÒ mali etiam angeli ministri sint diuinæ prouidentiæ, Et an inter angelos bonos sit pugna, & controuersia; ut uerba ex Danielis x significasse uidentur, dubitare hoc loco, quispiam, facillimè potuisset. Sed prior dubitatio nulla difficultate tollitur. Quoniam ad quem modum, de quo modo paulò inferius dicturi sumus, peccata hominum, & facinora quamuis grauissima, & (ut uno uerbo dicam) mala uniuersa sub diuinam prouidentiam reduci, & uenire dicuntur; ad eundem angelos malos diuinæ prouidentiæ ministros esse, asserimus. Lib. nanque undecimo super Genesi cap. XXII. Deus (inquit Aug.) in illo opere prouidentiæ, quo creatas naturas administrat, subdit angelos malos, angelis bonis; ut malorum improbitas non quantum nititur; sed quantum finitur possit. Hæc Aug. Huius rei Tobiæ VIII exemplum habemus; ubi dæmonium Asmodeum in deserto superioris Aegypti Angelum Raphaelem religasse legitur. Et lib. VIII de Ciuit. Dei, idem August. inquit, Mali angeli beneficia præstando amicis suis, magis decipiunt: sed nihil horum possunt, nisi quando permittuntur, alta & secreta Dei prouidentia. hi autem à sanctis angelis tam longè absunt; quàm longè absunt à uirtutibus uitia, & à bonitate malitia. Libro etiam de uera religione cap. XL. asseruit morb s, dolores, distorsiones membrorum, tenebras oculornm, animorum simultates, & id genus alia, Deum facere per infima ministeria: quibus, inquit, sic agere, uoluptatis est: scilicet per exterminatores, & quos angelos iracundiæ, diuinæ scripturæ nominant: quamuis ipsi nesciant, quid de se agatur boni. His similes, inquit, sunt homines, qui gaudent miseriis alienis: & risus sibi, ac ludicra spectacula exhibent: uel exhiberi uolunt: euersionibus: & erroribus aliorum: atque ita in iis omnibus boni admonentur; & exercentur; & uincunt; & triumphant; & regnant: mali uerò decipiuntur; cruciantur; uincuntur; damnantur; & seruiunt non solùm uni omnium Domino summo, sed ultimis seruis illius, uidelicet angelis malis; qui doloribus & miseria damnatorum pascuntur; & pro ista sua maleuolentia, bonorum liberatione, torquentur; ita ordinantur omnes officiis & beneficiis suis in pulchritudinem uniuersitatis. Hæc Aug. per quæ dubitationis clarissimam dissolutionem habemus. Sunt quippe mali angeli diuinæ prouidentiæ ministri; sed per accidens, quod G nesciant boni quid per ipsos agatur; cum malum tantùm intendant; quorum malitiam, in utilitatem, & salutem bonorum, atque electorum Deus optimus uertere non desinit. & ad priorem dubitationem hactenus.

F

AD posteriorem, quo modo in Daniele bonos & sanctos angelos inuicem aduersari & pugnare legamus: dicendum quòd lib. decimo octauo moralium B. Gregorius & tangit dubitationem & dissoluit. tangit quidem cum inquit. Quæ pax in sublimibus esse potest: si inter ipsos quoque angelicos spiritus præliando certamen agitur: qui semper ueritatis conspectui assistunt? soluit uerò cum subdit, Sed quia certa angelorum ministeria dispensandi singulis quibusque gentibus sunt prælata: cùm subiectorum mores aduersus se uicissim, præpositorum opem spirituum merentur: ipsi, qui præsunt, spiritus contra se uenire referuntur. Is nanq; angelus; qui Danieli loquebatur; captiuis Israeliticis populis in Perside constitutis, prælatis agnoscitur. Michael autem his, qui in Iudæa remanserant, ex eadem plebe præpositus inuenitur. Et paucis interpositis. cumque, ut aduersus principem Persarum prælietur, egreditur; Græcorum sibi princeps apparet: aduersum quoque Græcos, Iudæa aliqua commiserat; quorum profectò causa illius ereptioni resistebat. Hæc Gregorius. princeps quippe regni Persarum, angelus bonus ad custodiam eiusdem regni deputatus fuerat; qui uel quia ex Iudæorum conuersatione, Persas proficere intellige- H bat; uel quia ex Iudæorum discessione, Persarum regionem absque uera Dei religione remansurã præuidebat; idcirco Iudæorum ereptioni se opposuerat. uerum cum quid Deus de Iudæorum liberatione decerneret, ignorarent angelici spiritus; super his diuinam prouidentiam consulebant. Non ergo inuicem angelici Spiritus pugnant; sed mores hominum, angelorum quorundam præsidentium sæpè administrationibus, aduersantur. Vnde & sibi inuicem, si eos maximè diuina uoluntas lateat, beati spiritus consulendo, non dimicando pugnare dicuntur. Cæterùm de angelorum erga hominem solicitudine, & prouidentia, lib. Soliloqu. cap. XXVII, ita scriptum reliquit Aug. Diligunt nempe conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari, expectant. Ideoque magna cura, & uigilanti studio adsunt nobis, omnibus horis, & locis, succurrentes, & prouidentes necessitatibus nostris. Et post pauca. Ambulant enim nobiscum in omnibus uiis nostris. intrant, & exeunt nobiscum. Et paulò post. Adiuuant laborantes; protegunt quiescentes;

A tes; hortantur pugnantes; coronant uincentes; congaudent gaudentibus; de te inquam gau-
» dentibus; compatiuntur patientibus; pro te inquam patientibus. Grandis est eis cura de nobis.
» Et multa alia ibidem de angelorum cura & procuratione prosequitur Aug. sed cùm iam satis ad ostendendam de humanis rebus diuinam prouidentiam, ex sacris literis, & sanctorum patrum monumentis, pro instituta breuitate, dictum sit; superest, ut quid illa sit, uideamus. ex ipsius autem quidditatis consideratione, unde illa sit, & à qua potissimum diuina uirtute dependeat, non multa difficultate intelligere poterimus. Postremò ea, quæ aduersus diuinam prouidentiam, prius obiecta fuerant omnia, facillimè dissoluemus.

Quid sit diuina prouidentia ad Theologorum sententiam declaratur: Et primò ponitur diffinitio B. Thomæ, & eiusdem diffinitionis explicatio. CAP. VI.



B POSTQVAM de diuina prouidentia an sit, & quorum sit, quoniam rerum omnium est, hactenus catholicè uidimus; & eorum omnium, quæ ipsi diuinæ prouidentiæ obstare uidebantur, dissolutionem, ad calcem huius quinti libri, distulimus; tempus nunc est, ut quid sit ipsa diuina prouidentia; catholicè similiter, & cum Theologis nostris, nunc demum cõsideremus. Quod quidem Theorema, à nobis discussum satis existimabimus; si eam, quam & peritissimi nobis, & Christianissimi priores Thologi tradiderunt diuinæ prouidentiæ diffinitionem, candidè, luculenterque exposuerimus. Nam si in rebus naturalibus, & nobis passim obuiis, Mathematicam exquirere certitudinem damnant, ueluti quid fatuum & uenatu impossibile, Philosophi, si in disputatione de cœlesti corpore, & in inquisitione cuiuspiam eiusdem affectionis, & proprietatis, quod tamen utcunque interea intueri licet, & sensu aliquo ueluti tangi, ad modicas, idest debilissimas, præceptore Aristotele, persuasiones est standum; si ad diuinos idest angelicos; qui tamen ualde, & infinito, à diuina præstantia, interstitio distant, contemplandos, intellectus nostri natura plusquàm ad iubar Solis noctuæ oculus, hallucinatur; Quid in re non solùm ardua, ut pote diuina, sed inter diuinas diuinissima, abstrusissimaque, & inter diuini secre-
C ta consilii recondita; à nobis, & ab imperitia nostra expectandum erit? Legitur cap. IX, libri Sapientiæ. Difficile æstimamus, quæ in terra sunt; & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore; quæ autem in Cœlis sunt: quis inuestigabit? Mihi igitur profectò uidetur; quod satis, superque, si ipsius rei magnitudinis, & præstantiæ; & nostri simul intellectus infirmitatis ratio habeatur, fecerimus; si eam, ut paulò prius dicebamus, quàm ante nos catholicam, de diuina prouidentia; catholici doctissimi, simul & Christianissimi uiri attulerunt diffinitionem; faciliorem nostra expositione, luculentioremque, quàm hactenus à quoquam factum sit, reddiderimus. Videtur igitur prouidentia diuina, à diuersis catholicis uiris, diuerso modo diffiniri: quanquam sicut illa ipsa in se una, & eadem est, ita cunctæ sanctorum patrum, de diuina prouidentia, nobis exhibitæ, in unum coire cernuntur diffinitiones. Sit igitur hæc ipsius diuinæ prouidentiæ diffinitio, Prouidentia diuina, est ratio ex alto, ordinandorum in finem. Diffinitio ex multis & Sanctorum patrum, & canonicæ scripturæ locis colligi potest, ponitur à B. Thoma prima parte quæst. XXII, art. primo, in corpore quæstionis: & aliquatenus declaratur. Nos eandem & copiosius, & luculentius ita decalarabimus; ut minimè lusisse operam uideri possimus. Sunt igitur primũ à nobis termini in hac diffintione positi declarandi.

D DICITVR in primis. [ratio] non quia in Deo (ut superius non semel dictum fuit) discursus, & ratiocinium aliquod sit; sed quoniam non casu, non temerè, non fortuitò, sed ineffabili à nobis, inexplicabilique ratione, & consilio, Deus effectus suos omnes metiatur; & temperet. cùm scriptum sit, Deum omnia in numero, pondere, & mensura fecisse. Quamobrem non satis rectè illi mihi facere uidentur (quod plurimi docti & catholici uiri faciunt) qui cuncta, in unam ita Dei uoluntatem, reiiciunt: ut diuinæ uoluntatis, idest cur Deus ita uoluerit, ulteriorem, ac superiorem rationem esse, nequaquam existiment; facillimeque ab omnibus se quæstionibus, cur hoc, uel illud ita sit à Deo effectum, interrogati dissoluunt: quòd scilicet ita effici Deus uoluerit; ut puta, cur creat Deus animas, quas nouit fore damnandas? respondent, quia uult, & hic est status suarum responsionum & terminus quasi arbitrii quadam (ita dixerim) temeritate, & imperii potestate, non etiam ratione, efficiat Deus, quicquid efficit. Cuncta profectò ratione Deus
» Opt. Max. instituit. Psal. CIII. Quàm magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. quid est dictu, in sapientia fecisti omnia? nisi summo consilio, prudentia, & ratione ea fecisti, quæ fecisti; fecisti autem omnia. quam sanè rationem, & si planè assequi non possumus; tamen quantum fert intellectus nostri infirmitas, inquirenda nobis est; nisi uerè bruto-
rum

rum inſtar, uiuere malimus. Quid enim Parmenides, Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, & tota breuiter rectius Philoſophantium, mundíque ſapientum turba, quos ſæpè mundus retinere non poterat, perquirebant; niſi rationem, & cauſam, propter quam Deus (quem eorum nonnulli naturam appellabant) ſingula condidiſſe dicatur? cæteroqui fruſtra tot ſuſcepiſſent labores; ſi nulla alia, præter uoluntatem diuinam, eſſet in rebus inquirenda cauſa. B. Thom. lib. tertio aduerſus Gentiles cap. XCVII, & prius lib. primo cap. LXXXVII, Errant (inquit) illi, qui credunt; quod omnia ſimplicem uoluntatem ſequantur, abſque ratione; qui eſt error loquentium in lege Saracenorum, ut Rabi Moſes dicit, ſecundum quos, nulla differentia eſt; quòd ignis calefaciat, & infrigidet; niſi quia Deus ita uult. Hæc Thomas. Supra nanque uoluntatem in Deo intellectus eſt, atque ratio: quæ, quid, quantum, quomodo, quando, ubi, & cum quibus, ſingula efficienda ſunt: & quid illa, quæ efficiuntur, pro ratione loci, temporis, & opportunitatum aliarum per ſe, uel cùm aliis posſint, & ualeant, exquiſitisſimè perpendit. quæ uniuerſa, ſapientisſimo diuinitatis ſuæ conſilio, inuicem cum contulerit; hoc uult; hoc eligit; hoc uel alio modo, iis uel aliis temporibus; in hoc uel alio loco, prout uni uel alteri expedire, atque in primis ſuæ ipſius politiæ & totius Orbis integritati, uel reipublicæ Chriſtianæ incolumitati, ac ſaluti, congruere diuino ſuo iudicio uiſum fuerit; uel mandat fieri; uel ſaltem fieri permittit. Non enim tantùm ſecundum uoluntatem, ſed ſecundum conſilium, & intelligentiam, id eſt ſecundum quandam (ſi fas eſt dicere) conſultationem, quæ natura, & ſigno aliquo (ut dicunt Theologi) originis, determinationem uoluntatis præcedat, omnia Deum operari, ad Epheſios primò ſcribit Apoſtolus, inquiens. Qui operatur omnia, ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ. Quod conſilium ſapientiam ſæpisſimè uocant ſacræ literæ, ut citatus Pſal. CIII. Omnia in ſapientia feciſti. & Eccleſiaſtici primo dicitur, Deum effudiſſe ſapientiam ſuam, ſuper omnia opera ſua. Et idem Apoſtolus paulò ante, ſacramentum uoluntatis ſuæ appellauerat. Quod cum ſæpiſsimè non posſit à nobis, aliquo conſilio, percipi, uel indagari; altitudinem quidem diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ humiliter ſuſpiciamus; noſcamuſque cum propheta, inter pedes eius (qui poſuit tenebras latibulum ſuum) ideſt inter extrema, & infima Dei conſilia, & obtutum noſtrum, noſtramque, quamuis excultisſimam, intelligentiam, caliginis molem ingentisſimam intercipi; ſine ratione uerò, ideſt ſine intelligentia, & ſine quadam nobis ineffabili conſultatione, & rationabili cauſa, nihil à Deo effici, firmiſsimè teneamus. Græci quia prouidentiam eſſe rationis & mentis, non autem uoluntatis intelligebant; eam πρόνοιαν nuncupauerunt; compoſita uoce à πρὸ, ideſt præ, ſiue ante, & νοέω, ideſt intelligo, ſiue per intelligentiam diſcerno, & ſentio, ut prouidentiam actum eſſe rationis, & nihil prouidè fieri, quod intelligentia, & ratione, non efficiatur; ſignificarent. Ioannes Grammaticus uocem iſtam altius aliquantulum contemplatus, dictam fuiſſe (inquit) prouidentiam, ſiue πρόνοιαν, ὡς πρὸ τοῦ νοῦ ὤν. Ita enim In lib. tertium Ariſt. de Anima, ſuper textu IX ſcriptum ille reliquit. Ὅθεν καὶ πρόνοια ὠνόμασαι, ὡς πρὸ τοῦ νοῦ ὤν. id eſt. Vnde & pronea dicta eſt. Quòd ante nun ſit, ideſt, quòd intellectum præcedat, hoc eſt dictu, quod in ſupremæ animæ parte, quæ mens à quibuſdam dicitur, quæ intellectui præeminet; conſtituatur. Ad intellectum ergo, & mentem præcipuè, & rationem, non autem ad uoluntatem, niſi quatenus per diuinam uoluntatem creatæ res adminiſtrantur, aut antequàm creatæ ſint ad creationem deſtinantur, ſpectare prouidentiam non eſt dubitandum. Ex hiis quæ dicta ſunt, theorema tertium, quod eſt, Vnde diuina prouidentia emanat, patere profectò poteſt. A Deo eſt enim, per rationem, ideſt per intellectum & mentem: quam quidem rationem, pro modo noſtræ debilis intelligentiæ, diuina uoluntas in determinando de rebus ipſis inſequitur. Sed redeo ad diffinitionem. Addidimus nos, quo res facilior redderetur, uerbum illud [Ex alto] quod prouidere ſuperioris (ut diximus) uirtutis ſit. cum igitur Deus, omnium ſuprema uirtus, ſine dubitatione ſit: diuinam prouidentiam maximè ex alto procedere, exiſtimandum erit. Adde, quòd non monaſtica (ita dixerim) & ſolitaria; ſed (ut dicit B. doctor. Verit. Quæſt. V. art. II.) Iconomica, uel politica, uel potius monarchica (liceat aliquando nomina fingere) & regia, diuina prouidentia eſt. Nihil enim ſibi uel prouidet, uel prouidere poteſt Deus glorioſus; qui nulla re indiget. bonorum nanque meorum (inquit Propheta) non indiges. aliis propterea tantùm prouidere dicitur, non igitur niſi creaturæ. Quicquid enim Deus non eſt, Dei creatura eſt. At à quauis etiam excellentiſsima creatura, in immenſum, atque per infinitum interſtitium, Deum diſtare, certisſimum eſt. Ex alto igitur, & etiam atque etiam ex alto, prouidentia, & diuina adminiſtratio procedit: non ſolùm quia ex Deo eſt: qui ab uniuerſa creatura infinito (ut dictum eſt) interſtitio diſtat: ſed etiam quia à ſuprema inter omnes, quas humano more, in Deo conſideramus facultates & potentias, ideſt ab intellectu, atque ab ipſa diuina mente, ad nos ſuo modo delabatur, & procedat.

DICITVR tertiò [ordinandorum in finem] quia non de præſentibus, non de præteritis, ſed (quemadmodũ in tractatu noſtro de Humano libero arbitrio, parte illa, quæ de prædeſtinatione agimus,

A agimus, diximus) de futuris tantùm est prouidentia. Quamuis enim in humana prouidentia, ut inquit B. Aug lib. LXXXIII quæstionum, quæst. XXXI, concurrant & memoria præteritorum, & præsentium intelligentia: non est tamen de præteritis, uel præsentibus, sed tantùm de futuris, prouidentia. Et quia, ut loco citato dicimus, de omnibus tam malis, quàm bonis est; quanquam de bonis per se, de malis uerò per accidens: ideo ex uerbo [ordinandorum] intelligere possumus cuncta, quæ in Orbe uniuerso sunt, tam mala, quàm bona, ad ordinem aliquem redigi, & in ordine diuinæ prouidentiæ cuncta persistere: nec ab ordine, & à prouidentia diuina sceleratos etiam homines, uel eorum flagitiosa facinora recedere posse: quod uberius lib. de ordine
» B. Aug. ostendit; in quo loco diffiniens ordinem, inquit: quòd ordo est, per quem aguntur om-
» nia, quæ Deus constituit. Et ideo lib. de Lib. Arb. cap. VI inquit idem Aug. Neque ulla uis, ul-
» lus casus, ulla rerum labes unquam effecerit, ut iustum non sit omnia esse ordinatissima.

DICITVR quartò [in finem] quia non de fine, sed de his, quæ ad finem sunt, prouidentia est, & prudentia & consilium, & electio. Ipsius nanque finis, non prudentia, aut, prouidentia, sed uoluntas esse dicitur. cum autem ab ordine prouidentiæ (ut paulò ante dicebamus) decidat nihil; consequens est ut finem in quem, per diuinam prouidentiam diriguntur, singula tandem consequantur. Sed hoc loco notatu dignissimum est, quòd uer. q. VI. art. III scriptum reliquit
B B. Thom. Ordo diuinæ prouidentiæ dupliciter certus inuenitur. Vno modo in particulari, quan-
» do res, quæ à diuina prouidentia in finem aliquem ordinantur absque defectu, ad finem illum par-
» ticularem deueniunt, sicut patet in omnibus quæ necessariò aguntur in natura. alio modo in uni-
» uersali, non autem in particulari; sicut uidemus in generabilibus & corruptibilibus: quorum uir-
» tutes quandoque deficiunt, à propriis effectibus ad quos sunt ordinatæ, ut ad proprios fines; si-
» cut uirtus formatiua quandoque deficit à perfecta formatione membrorum, sed tamen ipse de-
» fectus, diuinitus ordinatur ad aliquem finem. Et ita nihil potest deficere à generali fine prouiden-
» tiæ, quamuis quandoque deficiat ab aliquo fine particulari. Hæc illæ. Sed de diuinæ prouidentiæ diffinitione, & de ipsius diffinitionis explicatione hactenus.

Tanguntur duæ dubitationes, quæ in prius posita de diuina prouidentia diffinitione contingere poterant, & posterior dissoluitur. CAP. VII.

C ETSI nollem hoc loco, simpliciorem mihi quempiam obstrepere; atque disputationem nostram inquisitionibus illis turbare; an de ordine tantùm ipso, an etiam de rebus ipsis ordinatis: et an de iis solùm, quæ ordinata sunt ad finem: an etiam de ipso fine, & de ipsa acquisitione finis sit prouidentia. Ne tamen quidpiam, quod ad disputationem nostram necessarium uideatur, indiscussum praeterlabatur; ad utranque dubitationem breuibus respondebimus. Diximus enim, ut ad posteriorem dubitationem ueniamus, & explicatè satis: quòd non finis ipse, sed ordinata tantùm in finem, sub prouidentiam, cadant. ideo in diffinitione dicitur, quòd est ratio ordinandorum in finem; non autem ipsius ordinati, ac præstituti finis. Verùm est tamen: quòd finis, ad ea, quæ ad finem ordinata sunt, necessaria quadam, ut cuilibet notissimum esse potest, sequela consequitur, atque euenit.

SED clamabis illico; ex quo ea, quæ ad finem ordinata sunt sub diuinam prouidentiam cadunt: quæ labi & falli non potest: ad illa autem omnia (ut dictum fuit) de necessitate sequatur finis: omnia igitur idest & ea, quæ sunt ad finem, & finis ipse de necessitate ueniunt.

TIBI contrà dicturi sumus: quoniam cuncta, quæ in finem ordinata sunt, & contingentia
D in se sunt; & non solùm ab intellectu diuino, siue à uoluntate diuina, in finem illum contingenter ordinata semper sunt: sed etiam ab humanis, & his inferioribus causis, singula sæpe sunt contingenter, & aliquando fortuito, & temere effecta, & præstita, & in finem suum deducta. Ideo nihil euenit, quod ineuitabili necessitate simpliciter eueniat. Sed ista inferius sexto libro & octauo, in quibus de diuina præscientia nobis erit consideratio, & uberius disputanda erunt: & ut doctrinæ & catholicæ ueritatis ratio postulat, definienda; id autem hoc loco faciendum non est; in quo quid tantùm prouidentia sit, à principio exponere intendebamus.

Ad priorem dubitationem respondetur, & prouidentiam esse tum ordinis, tum rerum ordinatarum declaratur. CAP. VIII.



VERVMENIMVERÒ altera, quæ prior erat, superest nobis maior difficultas, E aduersus allatam, de diuina prouidentia, definitionem. Diximus nanque, quòd in prima parte quæst. XXII, ex multis & sanctorum patrum, & diuinæ scripturæ locis edoctus, D. Thomas eam ita definiebat. Diuina prouidentia est ratio ordinandorum in finem. Definitioni Petrus Aureolus obiicit. Quoniam ratio ordinis rerum in finem, illud est, quod rebus, per Deum, prouidetur; at ipsa diuina prouidentia quid diuersum ab eo, quod prouidetur, est. prouidet enim illa, non prouidetur; non igitur fuit, illa rectè à B. Thoma definita; cùm eam dixit esse rationem ordinandorum in finem. prouidentia enim uerius appellari debet actus, & ratio in prouidente, quàm ratio ordinis in rebus prouisis.

AD obiectionem respõdet Capreolus, acerrimus B. Thomæ defensor; duplicemq; rationem ordinis rerum in finem asseuerat, atque unam in intellectu ipso producente & prouidente, alteram uerò in ipsis rebus productis, & prouisis collocat; sed prima duntaxat ratione Deum prouidere asseruit; quam prouidentiam, esse ipsam diuinam essentiam, quæ sit ratio rei omnis, quæ à Deo intelligitur, affirmauit. Benè propterea, inquit ille, Beatus Thomas prouidentiam diffiniuit per rationem ordinandorum, in finem, quæ ratio idem sit, quod ipsa diuina essentia. Non enim est hæc in rebus, productis & prouisis ratio, sed in diuina tantùm intelligentia & natura, atque in ipso intellectu producente & prouidente. F

SED mihi uidetur, aut ego ob meam tarditatem Capreolum non intelligo, quòd hæc Capreoli responsio, sicut non satis explanatè diuinam prouidentiam declarat; ita nec admodum tutè B. Thomam defendat; & difficultatibus rem magis obruat, quàm eruat. Si enim diuina prouidentia est ratio ordinis rei; quæ ratio per propriam essentiam à Deo intelligitur; & in ipso Deo est; & est ipsa diuina essentia; cum illa ratio ordinis Dei, quæ est per intelligentiam, &, ita dixerim, per ideam in Deo, sit etiam in re realiter (res enim ipsa in finem realiter ordinatur, ordoq; ipse in re ordinata recipitur) in Deo rursus tanquam in ordinante illa met est. Poterit denuo quispiam dubitare; an hæc ipsa ordinis ratio, ut in re ordinata est; uel potius ut inordinante Deo est; diuina prouidentia dicatur.

AVGET dubitationem, quoniam utraque in Deo esse dici potest; quoniam Deus in omnibus est, & omnia in Deo sunt, immo Deus ideo in omnibus est, quia omnia in eo sunt; quæ nisi essent in eos essent nusquam, & omnino non essent. in priore ad Corinth. VIII, & ad Ephes. IIII. Deus unus & pater omnium; qui super omnes, & per omnia & in omnibus est. Et in Act. apostolorum cap. XVII, In Deo uiuimus, mouemur, & sumus. Et Hierem. XXIII. Non'ne cœlum & terram ego impleo. dicit dominus. Vnde Virgil. G

» *Iouis omnia plena.*

Et Lucanus.

» *Iupiter est quodcunque uides.*

Et Orpheus in hymno Saturni,

» Ο'ς ναίεις κατὰ πάντα μέρη κόσμοιο γενάρχα, id est,

Qui omnes mundi partes habitas generationis pater. hæc ipsa igitur, quæ in rebus est, ordinis ratio, in Deo esse dici potest; & tum ordinantis, tum ordinati rationem subire eadem ualebit. Non tollit ergo Aureoli dubitationem responsio Capreoli.

ADDE tertiò, quoniam, quicquid sit de ipsa ratione ordinis, in rebus sine dubitatione aliqua, est diuina prouidentia; non ergo à B. doctore rectè definita fuisset; quòd non ea omnia, quæ ad diuinæ prouidentiæ rationem, & essentiam, quantum possumus, intelligendam faciunt, diffinitio complecteretur; si tantùm per rationem ordinis, quæ in diuina essentia est, illius diffinitionem explicauisset. quod asseruit Capreolus. Quamobrem dicimus nos, si non doctius, explanatius certè ad Aureolum; quòd & per actum siue per rationem ordinis in prouidente, & producente; & per id, quod eo actu prouideri, & produci dicitur; idest per rationem ordinis in rebus prouisis & productis, quo res facilior esset; & diuina ipsa prouidentia exactius intelligeretur; diuinam prouidentiam doctor definierit. Quoniam si rectè in multis & philosophiæ, & Theologiæ locis, docuit B. Thomas, definitionem dici terminum, quia rem terminet; & eam intra se totaliter includat. unde in cognitionem etiam propriorum rei definitæ accidentium adducit, etsi non præter rationem in lib. quarto Theologicarum sententiarum distinc. XII quæst. prima, admonuit Io. Scotus, non sufficere definitionem esse per essentialia; sed requiri præterea, quòd ipsius rei definitæ conceptum, quantum potest, perfectionem, extricatiorem, atque absolutionem exprimat. Vnde fit, ut in accidentium diffinitionibus subiecta sua, idest substantiæ, quæ extra eorum essentiam sunt, constituantur. Non potest autem diuina prouidentia modo aliquo à nobis concipi, nedum perfectè declarari, nisi per effectum ipsius prouisoris, & per ordinem ipsarum rerum, quæ subsunt diuinæ prouidentiæ, aliquatenus illa concipiatur. B. Thomas propterea H

A pterea non ea solùm, quæ de eiusdem essentia sunt; sed ea etiam, quæ ad eius essentiæ intelligen
tiam faciunt, idest effectus ipsos in definitione diuinæ prouidentiæ collocauit; atque ex essentia
libus, & non essentialibus, quo res nobis magis innotesceret, diffinitionem conflauir.

ADDE, quod prouidentia est inter prouidentem, & rem prouisam relatio; cuius extremum
unum sine altero intelligi rectè planeque non potest. cum enim inquit [ratio] essentiam dixit;
quia prouidentia non est, ut bene dicit Aureolus, nisi actus quidam ipsius prouidentis. exprimi
tur autem actus iste, per uerbum, ratio. at cum dicit [ordinandorum in finem] prouidentiæ ef
fectum, & alterum relationis extremum ex illo actu, tanquam ex causa, procedentem denota-
uit; quoniam ex illa diuina ratione quæ in intellectu producente, & prouidente est, uniuersa in fi
nem suum ordinantur; à qua ipsa etiam ordinis ratio, quæ in rebus reperitur, dependet. nec quia
ita loquatur Thomas [est ratio ordinandorum] putandum est; (in quo non Aureolus solùm,
sed alii multi decepti sunt) quòd illa ratio sit uel ordinis, qui in rebus reperitur, uel eius rei quæ
ordinatur, forma intrinseca; sed est forma intrinseca tantùm ipsius ordinantis, cunctaque in fi-
nem suum dirigentis; quoniam essentia diuina est, ordinis uerò, qui in rebus est ordinatis, est effi
ciens causa, non autem formalis, nisi extrinseca. Quamobrem dicere, quòd diuina prouiden-
B tia est ratio ordinandorum in finem, nihil aliud est, quàm si diceremus. Prouidentia diuina est ip
sa essentia, quatenus per actum suum, & per actum diuini intellectus, tanquam per efficientem
causam, cuncta in suum finem ordinantur. Rursus cum dicimus, est actus diuini intellectus, di
uinam, quantum fas est, secludimus uoluntatem. at cum dicimus, per quem cuncta in finem
suum ordinantur, diuinam tunc demum uolumus subintelligi uoluntatem; quod non solùm
ordo rerum, sed etiam effectus omnes rerum in ordine positarum & creatarum, à diuina (ut in-
ferius dicturi sumus) uoluntate dependeant: & per diuinam uoluntatem tanquam per exequu-
tiuam potentiam administrentur.

POTERAMVS etiam ad Aureolum compendiosiorem dare responsionem; admittendo cum
Capreolo, quòd prouidentia sit ratio tantùm, quæ in mente diuina est: & quòd per hanc tantùm
rationem rectè illam diffinierit. S. Thomas, ideo dixit, quòd est ratio ordinandorum, non autem
ordinatorum: quoniam hæc ipsa ratio, quatenus est rerum ordinandarum, est tantùm in mente
diuina, & dicitur prouidentia; at quatenus illa met in rebus explicatur, non amplius prouiden-
tia; sed Fatum propriè secundum Boethium, à quo in hac causa, ut in quæst. XXII, primæ partis
C art. II. uideri potest, B. Thomas non recedit, nuncupabitur. Fusius tamen sumendo prouidentiæ
nomen, prouidentia Fatum modo quodam nuncupari poterit: & sub nomine prouidentiæ diffi-
niri; nullum propterea incommodum est: siue per rationem solùm illam ordinis rerum, quæ in
mente tantùm diuina est; siue per illius rationis explicationem, quæ in rebus ordinandis uersa-
tur & in ordinatis cótinetur) quæ fatum dicitur. siue per utrunq; (quod propter rationes prius po
sitas, magis rationi consonum mihi uidetur) B. Thomas diuinam prouidentiam deffinierit. sed
de ista difficultate, & de ista diuinæ prouidentiæ diffinitione hactenus.

De diuina prouidentia Boethii diffinitio, & eiusdem diffinitionis breuis explicatio, in qua cuncta sub diuina prouidentia contineri declaratur. CAP. IX.



SEVERINVS Boethius ante Thomam lib. quarto de Consolatione, prosa VI. eo-
dem ferè modo, quo B. Doctor, diuinam prouidentiam diffiniuit, dum inquit.
Prouidentia est ipsa diuina ratio, in summo omnium principe, constituta: quæ
D ad finem suum, cuncta disponit. nec ab illa diui Thomæ distat hæc diffinitio: ni
si quòd hæc explanatior esse uideatur. in qua primò dicitur [quod est diuina ra
tio] non enim in uoluntate (ut dictum sæpius fuit) sed in intellectu, & ratione
præcipuè collocanda est diuina prouidentia. Secundò dicitur, quòd hæc ratio
est [in summo omnium principe constituta] Non enim in rebus est diuina prouidentia, nisi per
quandam sui diffusionem, & sui ipsius (ut prius dicebamus) explicationem: quæ explicatio Fa-
tum propriè à Boethio & à B. Thoma, & à cæteris Theologis nuncupatur, non autem prouiden-
tia. Sed in Deo ipso est, constansque in eo ratio illa, quæ prouidentia dicitur, permanet: & ab
hac tanquam ab efficiente causa, ordo ille, qui in ipsis ordinatis rebus est: perpetuò delabitur,
& manat, & ad eandem tanquam ad finem denuo relabitur, & circulo quodam in principium su-
um reflectitur. Ideo dicitur tertiò, quòd ipsa [ad finem suum cuncta disponit] Non enim de fine
ipso, sed de iis (ut dicebamus prius) quæ ad finem sunt, prouidentia est. & per hæc uerba, effe-
ctum diuinæ prouidentiæ, idest rerum ipsarum ordinem nobis expressit. nam cum inquit [dispo
nit] ordinem sine dubio uult intelligi. an uerò præter ordinem aliud quidpiam intelligendum sit:
inferius libro octauo capite decimoquarto declarabitur. Hæc autem dispositio ordinem dupli-

cem significare potest cum rerum in finem, tum partium in toto, totum autem est ueluti finis E partium, de qua re postea uberius, cum inquit [cuncta] res uniuersas complexus est: nullumque temeritati in regno prouidentiæ reliquit locum. Multa nanque penès intellectum diuinum, & diuinam prouidentiam contingenter euenire possunt: sed quod temerè, si ad illam referatur, uel inopinatò, absolutè & simpliciter eueniat, est nihil. Dicebat propterea loco citato Boethius, Ordo quidam cuncta complectitur; ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit; hoc idem in aliũ ordinem relabatur: ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati. Ad finem primi libri de Theologia Plat. dicebat Proclus, Nullum malum in particularibus inordinatum omitti; sed hoc etiam Deorum regimini subiici. expiatrix propterea prauitatis animarum pœna, & corporum labis expurgatio, alius Deorum ordo est. Ab hoc diuinæ prouidentiæ ordine (dicebant alibi Ficinus & Seneca) res nulla potest discedere. Quòd si quando res aliqua ab illo recedere uideatur, non recedit: sed ad sibi destinatum ordinem, alia uia delabitur. Hoc idem B. Dionysius cap. IIII, de diuinis nominibus sensit dum inquit. ἐν πᾶσι τοῖς οὖσιν ἡ θεία πρόνοια, καὶ οὐδὲν τῶν ὄντων ἀπρονόητον. id est, Cuncta diuinæ prouidentiæ subsunt, nec quidquam est, quod illam effugiat. Et B. doctor Verit. quæst. v. art. VII, inquit, Mali dum ab uno ordine prouidentiæ exeunt; ut scilicet Dei uolun- F tatem non faciant, in alium ordinem dilabuntur. ut scilicet de eis diuina uoluntas fiat. Et B. Fulgentius lib. primo de Prædest. in eo (inquit) qui in se ordinem perdit; diuini ordinis ratio non perit. Et post medietatem eiusdem lib. Deus licet auctor non sit malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum uoluntatum; nec in ipsis iniustæ uoluntatis operibus deserit operum suorũ iustum ordinem. Quamobrem ea etiam, quæ à nobis temeraria, & fortuita dicuntur; quamuis ad nos relata casualia, & temeraria sint; casuque & temerè eueniant: si tamen ad diuinam prouidentiam referantur; ante perspecta, intellecta, & prouisa fuerunt. Qualis autem sit dispositio illa, per quam diuina prouidentia cuncta disponit: (ut est in diffinitione Boethii) fusius paulò in sequentibus declarabitur. Sit nunc satis mentem horum doctissimorum uirorum de essentiæ diuinæ prouidentia exposuisse. Alii aliàs attulerunt diffinitiones, ut est illa. Prouidentia est procuratio circa ea, quæ facta sunt. & illa prouidentia est uoluntas Dei, propter quam omnia, quæ facta sunt, conuenientem deductionem suscipiunt. Et aliæ præterea quas nô opus est nunc recensere omnes, quæ uel non quantum declarari potest declarant diuinam prouidentiam; uel si declarant, cum eius, quas exposuimus, diffinitionibus incidunt. Sed de diuinæ prouidentiæ diffinitione, & de G eiusdem diffinitionis explicatione, & unde emanat diuina prouidentia hactenus. Tempus est ut ea, quæ aduersus diuinam prouidentiam, obiecta fuerunt, dissoluamus.

Ad eas, quæ in principio præsentis libri factæ fuerunt argumentiones, suo ordine respondetur; Et in responsione, ad priorem, in Deo prudentia admittitur. CAP. X.



OSTQVAM igitur diuinam prouidentiam, ex sacris literis, & Sanctorum patrum probatis monumentis, satis pro instituta breuitate demonstrauimus, eidemque à doctis & catholicis uiris assignatam diffinitionem elucidauimus; superest, ut ad ea, quæ prius obiecta fuerunt, prouidentiamque diuinam demoliri uidebantur; quo eadem mortalium mentibus firmius stabiliatur, respondeamus. Ad primum, Quum sine prudentia, prouidentiam non posse stare, arguitur; prudentia autem à Deo, est procul abigenda; dicimus, quod pruden- H tiam in Deo admittere, non est prorsus à sacris literis, & à catholicis dogmatibus alienum; immò quàm maximè congruum; & necessarium, non illam quidem, quæ uirtus moralis sit; de qua loco citato Arist. quæ scilicet de agendis, uel non agendis & de ambiguis mediis, ad finem aliquẽ consequendum, consultat, atque deliberat. circa ea nanque uersatur prudentia (ut lib. sexto cap. VIII, dixit Arist.) circa quæ uersatur consilium. Non enim anceps Deus est, sed eam quæ antecedentia, & consequentia, & quæ sunt inter utraque media aptissimè in finem suum ordinat; & ordine quodam perpetuo eadem dirigit; & ad finem usque perducit. Prospicit nanque Deus; quid ex quibus uis caussis, quid ex causarum proprietatibus, quid ex earum coniunctionibus uel proueniat; uel uenturum sit. Hæc profectò cuncta, uno, ac simplicissimo intuitu, Deus Opt. Max. contuetur; singulaque appositissimè disponit. siquidem ipse uidendo causas efficit; easque donat proprietatibus; & in unum aliquo modo, hoc est saltem permittendo conectit; Et effectus denique tales in Orbe uniuerso facit; quales prudens homo, si posset, efficeret. Hanc enim in Deo admittendam omnino prudentiam esse rite, & catholicè existimamus. Existimarunt idẽ Ethnicorum plurimi ut Cicero, & Aristoteles, & Plato, prouidentiamque dixerunt partem esse prudentiæ; ut prouidentiam omnino sine prudentia esse non posse crediderint. Quamobrem (ut ad Theologos redeamus) in principio Ecclesiastici, sapientiam & prudentiam simul iunxit Salomon

A mon inquiens. Prior omnium creata est sapientia; & intellectus prudentiæ ab æuo. Et in Pro-
» uerb. cap. VIII. Nunquid non sapientia clamitat, & prudentia dat uocem suam? Nec prudentiam
» solum, sed eo, quo exposuimus, modo, consilium etiam in Deo ultro Catholici Theologi admittunt. Paulus ad Ephes. cap. primo. Qui operatur, inquit, omnia, secundum consilium uolunta-
» tis suæ. Et in Prouerb. cap. VIII. Ego sapientia habito in consilio. Nec prudentia solùm, quæ
» (ut loco citato tradidit Arist.) est uirtutum omnium ueluti nexus quidam, & summa, & consilium. Iustitia quinimmo, misericordia, clementia, liberalitas, & omnia denique uirtutum alioqui moralium genera, hoc eodem modo (qui modus diuinæ maiestati quàm maximè congruus est) Deo Maximo à nostris Theologis attribuuntur. Quamuis enim sensum ille non habeat; & illecebra tangi non possit, ad quam sedandam, morali uirtute, ille egeat, quia tamen uirtus in eo, in quo est, perfectionem quandam dicit; a Deo propterea simpliciter neganda non est; Sed deducto prius, quidquid, in ea, imperfectionis est; illi est attribuenda: quæ uirtus ita purè defæcata, à nescio quibus, uirturis exemplar appellatur. quæ nullo magis, quàm silentio exprimitur. Deus nanque ad catholicam ueritatem, uirtutum & perfectionum omnium pelagus infinitum constituitur.

B

Ad secundam obiectionem respondetur; & in responsione diuinam prouidentiam non aduersari fortuitis euentibus declaratur.

CAP. XI.



AD SECVNDAM obiectionem, quòd fortuna (si rerum cunctarum esset apud Deum prouidentia) & casus, & omnis contingentiæ natura tolleretur, dicimus, quòd eorum multi (ut prius ad calcem libri tertii dictum fuit) qui etiam ex nostris erant, sicut Priscillianus Hispanus, Petrus Abailardus, Manichæus, & alii, argumentum admiserunt; Et ex ipsa diuina prouidentia, temeritatem ab Orbe uniuerso fortuitumq; euentum, & contingentiæ naturam ita absulerunt; ut, diuinis, & fatalibus quibusdam legibus, & sideribus siue siderum influxionibus cogentibus, operari nos quicquid operamur; asserere, minimè ueriti sint. Non enim uidentur inter prouidentiam, & fatum, distinctionem posuisse; nisi eam fortasse; quòd pro
C uidentiam Deo, fatum uerò & diuinæ prouidentiæ, & stellarum uirtuti ascripserint. Priscillianus propterea homines fatalibus stellis alligatos, & unumquemque sub proprio sidere, tanquam sub proprio Fato, oriri, putauit. In cuius opinionis confirmationem, euangelistam adducebat; qui stellam, quæ magos ad presepe D. N. duxit, stellam & fatum Iesu pueri appellauit; quia dixerint Magi, Vidimus stellam eius in oriente &c. Sed huius dogmatis impietatem impugnant acerrimè Gregorius, Augustinus, Chrysostomus & alii ecclesiæ doctores. Vbique aduersus eandem sacræ literæ reclamare uidentur; quòd nostri arbitrii libertatem tollat. Quamobrem Concilium Braccarense primum, circa tempora Honorii primi cap. IX, suorum decretorum ita san-
» ciuit. Si quis animas, & corpora humana, fatali signo credit astringi; sicut Pagani, & Priscillianus
» dixerũt; anathema sit. Et cap. x. Si qui duodecim signa, idest signa quæ Mathem. obseruare solent,
» per singula animæ uel corporis mẽbra dissipata credũt; & nominibus Patriarcharũ ascripta dicũt; sicut Priscillianus dixit, anathema sit. Sed Mathematicorũ fatum iampridẽ euertimus, ut pluribus contra eorum opinionem agere, sit omnino superfluum. nunc uerò diuinam prouidentiam fortu-
D næ, & arbitrii libertati, non aduersari demonstrabimus, non quidem exactè pœnitus; quòd id nisi post librum septimum, & uniuersum fermè octauum à nobis commode fieri non possit; sed ut poterimus. Dicimus igitur quòd quàmuis omnia, quorum causæ nos lateant, à Deo per occultam quandam causarum complicationem ineuitabilem fieri negamus, ad quem modum Stoici (ut Alexander, lib. de Fato cap. v. recitauit) sunt arbitrati, qũo fortunam una cum fato tuerentur; non negamus tamen, tum ex libello de Bona-fortuna, cuius cuius sit, & ex libro secundo Magnorum moralium cap. VIII. tũ in primis ex Diuo August. lib. v. de Ciuita. Dei: quin causarum aliquæ latentes, & occultæ, quæ à mulris fortuitæ dicũtur, unde forte fortuna nomẽ accepit, uel unius ueri Dei Opt. gratiæ, uel bonorum quorundam angelorum beneficio, uel malorum etiam spirituum uoluntati & operationi aliquando attribui possint. Diximus malorum spirituum, quoniam tam à malis, aliquid fieri potest, quàm à bonis angelis, licet (ut idem B. Augustinus tradidit lib. undecimo super Genesim, & nos in superiorib. diximus) nõ omnia possint mali, quæ boni; nec idem utrisq; sit finis. certè antiquorum plurimi fortunæ occultas causas adeo tribuerunt, ut Anaxagoras Democritus, Diodorus, Chrysippus, Possidonius, & uniuersa Stoicorum secta fortunam esse causam quandam humanæ rationi minimè manifestam existimauerint: illud fortuitis euentis cunctis attribuentes: quod cum eorum nonnullis tantùm, & iis paucis, tum aliis euentis, quæ fortuita non sunt, attribuendũ erat. Ita nanq; fortunam diffinierunt: ut eam non aduersari fato, & ineuitabili

euitabili euentuum necessitati defenderēt. ab antiquioribus propterea euētus illi, quorum causæ occultæ essent, & si maximè fortuiti sunt, Deorum uoluntate quadam, & certo decreto euenire præcipuè putabantur. unde bene fortunatos dirigi putauit etiam Aristoteles à causa quadam, ratione, & intellectu humano præstantiore, hoc est (ni fallor) à Deo. Quamobrem inter Deos à multis fortuna est habita, de qua re Dominus Esaiæ LXV. contra Israeliticum populum conqueritur, dicens. Ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam. In quo loco D. Hieronymus inquit: quòd est in cunctis urbibus, & maximè in Aegypto & in Alexandria idololatriæ uetus consuetudo: ut ultimo die anni, & mensis eius, qui extremus est; ponant mensam refertam uarii generis epulis, & poculum mulso mixtum, fortunæ, uel præteriti anni, uel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant etiam Israelitæ omnium simulachrorum portenta uenerantes. Hæc Hieronyms. Legas Plutarchum lib. de Fortuna Romanorum, & uidebis quot, ac quāta delubra à primis etiam fere urbis fundamentis eidem dicata fuerint uariis titulis, quoddam nanque titulo fortunæ uirilis, aliud fortunæ prosperæ, & fortunæ masculinæ, aliud aliquod fortunæ bonæ, aliud primigeniæ, atque alio titulo aliud: quorum inter ruinas adhuc Romæ quædam extant uestigia, aliquot etiam sub diuorum titulo supersunt. Sed aduersus hanc de fortuna opinionem Plutarchus asseruit, omnia consilio, prudentia, natura, arte'ue fieri: nullam uerò fortunam esse, sed si quid forte nobis adueniat; non à fortuna, sed ex aliqua occulta causa, uel ex consilii indigentia, illud euenire. Proclus similiter in Timæo non multum ab Stoicorum dogmatibus recedens, fortunam dicebat esse dæmonicam quandam potestatem; qua causæ inter se diuulsæ in unum congregarentur. Ideo Plato (inquit Ficinus) ubi in Epistolis fortuitum quendam tractat euentum; post fortunæ nomen, subitò dæmonis nomen adiunxit. quod nos non semel, sed iterum atq; iterum in Platonis epistolis obseruauimus: in quibus uel nunquam, uel rarissimè fortunæ meminit: quin uel ante uel post immediatè Dei, uel Dæmonis mentionem faciat. Homerus nullam (quod me legisse meminerim) fortunæ mentionem fecit: sed Deorum decreto, quod μοῖραν nominauit rerum omnium causam attribuit. sed ut ad Theologos nostros, Philosophorum scholas egressi, redeamus multa ii casu, multa fortuitò, cuncta uerò contingenter euenire rectissimè iudicarunt, & ad quem modum lib. secundo declaratum fuit. uerum est quòd eorum nonnulla quæ nobis casu; & fortuitò contingunt, non itidem ad alias quasdam superiores causas, ut ad angelos bonos uel malos fortuita uel casualia sunt, ad diuinam autem uoluntatem relata, nulla sunt quæ fortuitò, temere, & casu contingere dici possunt. Vulgatissimum est exemplum de pluribus seruis, ab eodem Domino, seorsum missis; ut in quempiam locum conuenirent: ignari tamen domini uoluntatis concursus quorum ipsis quidem fortuitò factus est; Domino uerò fortuitus non fuit, sed præuisus, & præordinatus. Cuncta igitur, ut ad uim argumenti dicamus, eo concedimus euenire modo) quo, apud diuinam prouidentiam sunt prædisposita: nec propterea abigenda est prorsus temeritatis, & contingentiæ natura, quoniam et si ea, quæ à nobis fortuita, & temeraria dicuntur: non similiter ad diuinam prouidentiam comparata, temeraria: uel fortuita dici possint: sunt nihilominus fortuita, & temeraria: quod temeritas, & fortuna respectu secundarum tantùm causarum absolutè, & simpliciter sint, non autem respectu primæ, & Dei gloriosi hoc est dictu, effectus casualis dicitur ut in proximam causam refertur: in quam quidem, ut refertur, Deus etiam nouit quòd casualis est. à causis autem secundis & proximis eo modo fortuiti & temerarii effectus producuntur: quo & à nobis superius libro secundo, & ab Alexandro Aphrodis. lib. de Fato cap. v. declaratum fuit. Quando uidelicet causis illis, quæ ob iam aggressæ, aliud quid intendentibus, euentus quasi ἀναίτιος, & extra causarum illarum intentionem, obiter irrepserit.

Modus, quo aliqua ad Deum etiam gloriosum relata fortuitò, & temerè euenire catholicè dici possunt, & quo agentia cuncta, sunt uel non sunt Dei instrumenta, declaratur, & dubitationis solutio, quæ capite præcedente cœpta fuit, perficitur. CAP. XII.



DVBITARET hic fortasse diligens lector; quòd ex his, quæ superiori capite dicta sunt, non satis clarum euasit; ad quem modum cum diuina prouidentia temeritatis & contingentiæ natura stare possit. cum enim cuncta sicut à diuina prouidentia disposita sunt, ita eueniant; quomodocunque illa à nobis uocitentur temeraria, uel non, cum in sua dispositione Deus falli non possit, necessitate ineuitabili uidentur ita euenire cuncta; ut eueniunt. tollitur igitur arbitrii libertas, & uniuersa contingentiæ natura. Ad quem dicimus, quòd ex iis, quæ sunt à nobis inferius declaranda, & præsertim libro octauo, in quo de diuina præscientia, ad Theologicam

A gicam ueritatem, considerabimus; poterit affatim ille suæ dubitationi facere satis. & ad quem
modum, cum diuina rerum cunctarum præordinatione, ineuitabilis illa à cunctis rebus necessi-
tas abigatur, intelligat. Interea, ut huius dubitationis solutionem aliquam habeamus, notandū
est; diuinam prouidentiam rerum naturam seruare, non euertere. temerarii autem euentus na-
tura est ab agente non intendi, ab agente inquam secundo & proximo. quod igitur præter huius in
tentionem euenit, temerarium est; nec facit diuina prouidentia, ut hoc ipsum temerarium non
sit. quinimmo nonnulla sunt, quæ ad Deum etiam relata, temerealiquo modo euenire, dici pos
sunt, ut sunt illa quæ præter, uel etiam contra diuinam uoluntatem eueniunt, cuiusmodi sunt
prauæ hominum uoluntates, cogitationes peruersæ, & operationis illæ, quæ communiter pec-
cata dicuntur, si tamen peccata inter operationes locum habere uoluerimus. iis igitur quæ de e-
uentis fortuitis & temerariis dicta fuerunt, uerbum nunc adiici uoluimus; quo modum exhi-
beamus aliquem, penès quem, nonnulla etiam ad Deum relata fortuito uel temerè, utcumque
euenire catholicè fateri possimus. Si enim in ea fortuiti euentus diffinitione persistamus: quam
ex Philosophis petitam in libro secundo attulimus, ut Fortuitum sit illud; quod præter inten-
tionem, agenti cum ratione contigerit; & nihil præterea addamus: cui dubium, quòd multa, &
B ferè infinita, & breuiter peccata nostra omnia, & nostræ omnes minus rectè uoluntates & ope-
rationes, quas contrà regulas diuinas, & aduersus Dei Opt. Max. præcepta operamur, ad Deum
etiam, qui nos ad innocentiam, & beatitatem creauerat, relata, fortuita, uel etiam temeraria
dici poterunt? cùm illa maximè Deus auersetur: & ea omnia contra Dei uoluntatem eueniant?
& adeo contra eius uoluntatem contingant; ut propter obliquas & detestandas nostras opera-
tiones, legamus Deum suæ aliquando uoluntatis & operationis pœnituisse: ut Gen. cap. VI, pœ-
nituit propter multam hominum malitiam, & eorum cogitationem ad malum intentam omni
tempore, quòd hominem fecisset. Et primo libro Regum cap. XV. legimus, quòd factum sit uer-
bum Domini, ad Samuel, dicens. pœnitet me, quòd constituerim Saul regem: quia dereliquit
me: & uerba mea opere non impleuit. Non dubium quidem est, Deum haud posse uerè, & pro-
priè pœnitere. Nempe loco citato, hoc est primo Regum XV. legitur, Triumphator in Israel non
parcet, & pœnitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat pœnitentiam; nihilominus
tamen eo, qui maiestati diuinæ congruus est, modo, hoc est per operationes, operationibus il-
lis similes, quas homo, quem patrati pœniteat, operatur, pœnitere, & ulcisci Deum admittunt
Theologi. Non pœnitet autem quempiam, nisi earum rerum, quæ præter intentionem sibi con-
C tingunt: ut & illa humani generis malitia, & praua Saulis opera, præter & contra diuinam inten-
tionem euenisse, dubitandum haudquaquam sit. absit, ut ita fatui simus, ut credamus, peccata
nostra, in diuinam ita cadere uoluntatem, ut quidpiam ille agat, quo nos in peccata labamur. Ve
rùm tum quia peccata nostra haud effectus dicuntur, sed defectus potius, ut inferius magis di-
cturi sumus, tum etiam quia in ratione fortuiti euentus, quam prius libro secundo posuimus, in
causa agente & impotentia quædam, siue defectus quidam agendi, & ipsius euentus ignorantia
includitur; quæ ambo per illud uerbū [præter intentionem] significantur: quæ Deo nequaquam
conuenire possunt; cùm & potentissimus sit (omnipotens enim) & antequàm eueniant, cuncta
certissimè præcognoscat, & sint cuncta ante oculos suæ maiestatis nuda, & aperta. Vitia propte-
rea, & peccata nostra etiam ad Deum relata absolutè & simpliciter fortuita, & præter eius uolun-
tatem, & intentionem, esse non possunt; & si contrà eiusdem intentionem & uoluntatem eue-
niunt. Vnde B. Augustinus in Enchiridio cap. C, sic inquit. propterea magna uoluntas eiusdem
domini, exquisita in omnes uoluntates eius; ut & miro, & ineffabili modo non fiat præter uo-
luntatem eius: quod etiam contra eius uoluntatem fit: quod non fieret, si non sineret, nec uti-
que nolens sinit, sed uolens. patuit hactenus quàm minimè Diuina Prouidentia temeritati & con
D tingentiæ naturæ sit aduersa, & quàm commodè simul hæc omnia permaneant. Res certè non
potest, ut postulat, nunc declarari, Multa enim ante sunt à nobis intelligenda de Diuina tum Pro
uidentia, tum præscientia, quàm exactam pœnitus ad hanc dubitationem solutionem habea-
mus, de quibus in sequentibus à nobis opportunè dicendū est. Sed redeo obiectionem principalē.
Cùm infers, quòd cuncta naturalia agentia, & nos etiam ipsi, instrumenta essemus diuinæ Proui
dentiæ. Admittimus. Dei enim (ut Esaiæ XLV legitur, est creaturis uti pro sua uoluntate; creaturæ
autem eius uoluntati obedire. At cum ex hoc, nobis nec præmium, nec pœnam, ex nostris siue
bonis, siue prauis operationibus demereri inferre conaris; argumentum negamus. Non enim
expositis illatum sequitur. causa est, quòd instrumentum multis modis sumi potest; sed dicamus
nunc bifariam sumi; illaque utamur instrumenti distinctione; qua in lib. quarto Theologicarum
sententiarum, & distinct. prima, quæst. item prima, & distinct. XIII, quæst. prima Ioannes Sco-
tus usus fuit. Instrumentum nanque sumi potest, uel ut distinguitur contra agens independens;
uel ut distinguitur, contra agens per formam propriam. primo modo agentia quæcunque siue na-
tura siue uoluntate & liberè agant, sunt diuinæ prouidentiæ instrumenta: quòd omnia (neque ho
minem,

minem, neque angelum, & si liberrimè agant, excipio) in suis actionibus & operationibus à E
Deo Opt. Max. dependeant: ita ut, nisi eis Deus influeret, & eisdem suppetias ferret, operari illa non possent. At secundo modo nullum est, de lege communi loquendo, inter agentia naturalia, quod Dei instrumentum dicatur: cum cuncta pro ratione formæ, & naturæ propriæ nisi impediantur, naturaliter agant: homo uerò unus liberè. Huic nanque naturale est liberè id agere, quod agit. Quoniam igitur unumquodque pro ratione proprietatis & uirtutis quam habet, & formæ agere nititur, hinc euenit; ut multa fortuitò & temerè contingant; ea uidelicet, quæ præter uniuscuiusque rei & formæ propriæ intentionem, siue liberè, siue naturaliter agentis eueniunt: & iis, qui liberè agunt, pro suarum operationum natura, & conditione, meritum uel demeritum, gloria uel pœna debeatur. Sed de hac re fusius libro octauo, ubi de Diuina Præscientia à nobis catholicè disputabitur. & ad quem modum cum ea; Fortuiti euentus stare possint, aptissimè declarabitur, Et ad secundam dubitationem hactenus.

Ad tertiam obiectionem respondetur: & in responsione cur mala Deus bonus permittat, declaratur. CAP. XIII.



AD TERTIAM obiectionem, quoniam uel prouisor Deus non est: uel non admodum bonus prouisor & sapiens est: cum multa mala, & incommoda, in iis, quæ administrat, si tamen ea administrare; ut par est, fateamur subinde contingant; longo satis progressu, ad Zenobium scribens D. Augu. in lib. cui titulus de Ordine uniuersi, respōdet. Nos autem breuibus agentes dicamus; non esse dubitandum, sed (ut ex superioribus constat) firmissimè tenendum, rerum cunctarum maximarum, & minimarum & Mundi uniuersi curam, Deum Opt. & procurationem habere; & præterea prudentissimum, sapientissimumque, omnium tam minimarum quàm maximarum rerum prouisorem esse. Sapientem autem prouisorem non semper malū omne, à re illa, cuius curam gerit, excludere debere; si ex malo præsertim quod permittit, & propulsare poterat, longè maius bonum, maiusq; commodum futurum præuideat. Deus nempe ex malis, & nocituris, quamuis multis, & propemodum infinitis quæ toto terrarum orbe grassari permittit, multa bona, & longè maiora quàm fuerint permissa mala: & multa profutura secernit semper & colligit. Ex malis autem bona colligere, B. Clemens Alexandreus in primo, Stromatum libro, proprium esse diuinæ sapientiæ, iis uerbis, ex interprere, testatum reliquit F
Diuinæ sapientiæ, & uirtutis, & potentiæ est officium; non solùm bona facere (hæc est enim, ut semel dicam, Dei natura; ut ignis calefacere; & lucis illuminare) sed illud quoque maximè, ut id, quod per malos aliquos excogitatum est; ad bonum aliquem finem, & utilem deducat; & utiliter iis, quæ uidentur mala, utatur. Hæc Clemens. B. etiam Dionysius cap. XIIII de diuinis nominibus; His quoque, ex interprete, inquit, qui mali fiunt, prouidentia bene utitur, ad aliquam uidelicet uel ipsorum, uel aliorum siue priuatam, siue communem utilitatem. Quamobrem Et B. Fulgentius lib. primo de Prædest. De malo inquit, opere cuiuslibet mali non desinit ipse bonum operari. Et D. Aug. in Enchir. Deus, inquit, omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis; nisi usque adeo omnipotens esset, & bonus; ut bene faceret etiam de malo. & in tractatu super Psal. Nec putetis gratis esse malos, in hoc mundo; & nihil boni de illis agere Deum. Omnis enim malus ideo uiuit, aut ut corrigatur, aut ut per eum bonus exerceatur. Hæc Aug. Huius rei, ut interea innumera prætereamus, unum uel duo ad summum nobis exempla sufficiant. Ex uno nanque malo, & ex una nostri primi parentis præuaricatione, quot, ac quanta ecclesiæ suæ singulis temporibus beneficia à Domino peruenerunt? ut non absre Rom. v, dixerit Apost. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, ut plusquam perdiderit Adam, nobis meruerit Christus. Sit nobis Ioseph ipse exemplum alterum, qui miserè, H
proh dolor, ab impiis fratribus accusatur, in cisternam demittitur; à fratribus Ismahelitis prius, deinde ab Ismahelitis, Phutiphari uenundatur; falsò apud Dominum suum de libidine ab hæra criminatur; in carcerem paulò post propter castitatem, & innocentiam suam, detruditur. Sed quid? mox è carcere educitur. Regi potentissimo offertur. Sapiens iudicatur. Quid tum? in hūc, tanquam alterum regem uniuersi Aegyptii oculos suos coniiciunt; ab hoc pendent; & meritò quidem. Nam huius consilio grauissima fame sunt omnes liberati. Fuit etiam huiusce beneficii particeps, eiusdem Iosephi pater, cum filiis suis omnibus, atque omni familia; ut possimus illud uerissimè affirmare, longè plura fuisse bona; quæ patri, quæ fratribus, quæ omni familiæ quæ ipsi denique Iosepho euenerunt; quàm mala, aut quæ fratres admisere, aut in quæ Iosephus inciderat. Nec uerò alios multos uniuersis temporibus defuisse, credendum est; qui longe plura, eademque grauiora mala, quàm quæ Iosepho acciderant, etiam proposita spe minoris utilitatis sustinuissent. Sileamus interea bona, illa, quibus & tota Aegyptus, & Israeliticus populus

A ius uniuersus potitus est. Vt rectissimè Philon Iudæus lib. de Ioseph, id dixerit accidisse; nō tam fratrū perfidia, quā prouidentia Dei perspicientis futurum, & imminentia non minus cernentis quàm præsentia. Quinimmo si rem altius inspexerimus; ab illa tam impia uenundatione, rem eò perductam intelligemus; ut descendens Israel populus in Aegyptum; diuque ibidem ab Aegyptiis afflictus, tam gloriosè in libertatem uendicaretur à Mose; & alia admiranda, diuina potestate, efficerentur; per quæ multa de Iesu Benedicto, de eius ecclesia, & de ecclesiæ sacramentis, hoc est, bonorum ingens multitudo, diuinorumque futurorum beneficiorum sub figura nobis cumulus maximus significaretur. usus est Deus Iuda Christum tradente, Et iudæis eundem crucifigentibus, sed quanta inde bona præstitit ille populis credituris? Vsus est, secundo Reg. xvi G: mini improbitate, ad maledicendum Dauidi. Sed quorsum? Vt uideat inquit scriptura, Domi-
» nus humilitatem meam, & retribuat mihi bona, pro maledicto eius, in die isto. utitur diabolo
» pessimo, sed ad exercendam & probandam fidem, & pietatem bonorum, ut malis semper ad lau
B dem, atque adiumentum bonorum utatur Deus. Hanc catholicam responsionem ex omnium ferè Ethnicorum philosophantium consensu, etsi illorum auctoritate in re catholica minimè egemus, facillimè confirmare possumus. qui, iis etiam non exceptis, qui malum suo modo non à Deo, sed ab altero rerum summo principio, uel à prima materia deriuari asseruerunt, Deum à Deo bonum existimauerunt; ut malum non nisi propter bonum aliquod, in Orbe uniuerso illum permittere firmissimè, & rectissimè fuerint opinati. Rem declarat in
» Timæo Plato cum dicit. non potuisse mundum melius fieri, quàm factus sit; nec me-
» lius regi, quàm regatur. & mala, quæ in ipso uidemus, à Deo inuenta esse, gratia bo-
» ni: quia ad perfectionem, decorem, & ornamentum mundi uniuersi ipsa etiam faciunt. Hæc Plato. ex multis nanq; (ut in moralibus loquamur) malis, Temperantia, Iustitia, Misericordia, & aliæ plures uirtutes ortum quasi deducere uidentur. Si enim malignitas, prauitasq; impiorum ex integro tolleretur; tolleretur iustorum patientia; & illud cœleste præmium: quod ei iure meritoq; respondet: & uindicanti iustitiæ nullus esset locus. Quamobrem in lib. primo de Proui-
» dentia, Plotinus, Corruptiones, dicebat, quarundam rerum fiunt quidem; sed ut rerum aliarum ge
» nerationes succedant: prauitates, & malas aliquas actiones, & uitia Deus permittit, ad iuris exē-
» plum conseruandum: Paupertates, & morbos, ad malos reprimendos. Et lib. secundo de Pro-
C uidentia ad finem dicebat idem Plotinus. Quicunq; id, quod deterius est: è Mundo tollendum
» censent; tollunt ipsam etiam prouidentiam. Sed illa in primis cap. v. eiusdem libri, sanctissima ponderanda sunt Plotini uerba, auctoritatibus superius ex Augustino, & Clemente, & aliis doctis, ac sanctis uiris citatis, penitus conformia, eorundemq; sententiæ clarissimè subscribentia,
» uidelicet. Neq; propter hæc facta sunt mala; sed dictum est, ipsam Mundi artificem rationem, ma
» lis (postquàm facta sunt) opportunè admodum uti solere: id autem maximè potestatis est; malis
» etiam benè uti ualere. Hæc Plotinus. In quo loco per potestatem maximam, diuinam potestatem intelligere credendum est. Memoriæ est proditum, Hieronē Siciliæ Tyrannum agrestem, & ferum, non nisi post longam ægritudinē resipuisse. Phrages quoq;, teste Platone, ad philosophiam non nisi post longam similiter ægritudinem, profectus est. In eandem sententiam lib. quarto de
» Consolat. habet hæc uerba Boethius. Sola est diuina uis: cui mala quoq; bona sunt: cum eis com-
» petenter utendo, alicuius boni elicit effectum. Ex quo sæpe summa illa prouidentia protulit in-
» signe miraculum; ut malos mali bonos facerent. Nam dum iniqua sibi, à pessimis, quidam per-
» peti uidentur, noxiorum odio flagrantes, ad uirtutis frugem rediere: dum se eis dissimiles stu-
» dent esse, quos oderant. Hæc Boethius. Hoc est, quod Xenophon dicebat; ab inimicis utilitatem
» se capere. ad quem antem modum commodè ex inimico utilitas capienda sit: declarauit Chæ-
D roneus Plutarchus in tractatu proprio, de Vtilitate ex inimicis capienda, sed & B. Ansel. lib. de Similitudinib. cap. CLXI. & Tyrius Maximus in sermone quodam, in quo ex infortuniis utilitatem capiendam declarat. Synesius quoq; in libello de Prouidentia, in diuinam prouidentiam refert aduersa: quæ præter merita contingunt: utpote quibus noxii, & ad res caducas putridi affectus extirpentur. Compilator theologicarum sententiarū libro quarto, dist. xv. inquirit, cur homo uariis tentationibus torqueatur; & quinque maxima bona, ex cruciatibus, & tormentis, Deum colligere, ostendit, uidelicet meriti maius præmium, humilitatis augmentum, peccati contemptum, pœnæ debitæ solutionem, & diuinæ gloriæ manifestationem. Quæ omnia Gregorius Nyssenus, in libello de Prouidentia, cap. ultimo, fusius complexus est: & ad quem modum propter maiora bona, nonnulla minus bona, aliqua etiam mala à Deo permittantur, ita ex interprete, o-
» stendit. Concedit sæpenumero Deus, iustum in calamitates incidere; ut aliis uirtutes ostendat:
» quæ in eo latent, ut Iob. Adde & Tobiam, de cuius cæcitate, in lib. Tobiæ cap. II. sic legimus.
» Hanc autem tentationem, ideo permisit dominus euenire illi, ut posteris daretur exemplum pa-
» tientiæ eius. Sed redeo ad Nyssenum. Aliquando permittit inconueniētia aliqua geri: ut per actio
» nem, quæ indecens uidetur, magnum quid, & mirabile eliciat, uelut per crucem, salutem homi-

num. Sanctos etiam mala pati permittit, ut ex recta conscientia,& eisdem attributa uirtute, in E elationem non incidant: ut in Paulo. destituitur aliquis, non ob propria, uel parentum peccata: sed in alterius gloriam, ut cæcus à natiuitate. Adde & Lazarus in infirmitate de quo. Ioan. x i. Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Rursus permittitur quispiam pati, in alterius imitationem, ut gloria eius, qui passus est, amplificata alii propter spem futuræ gloriæ, impigri ad passionem reddantur: ueluti Christi Martyres. Si uerò quispiam irrationale arbitratur: uirum iustum, ad alterius utilitatem, malè tractari, perpendat, quòd hæc uita agon est, & uirtutis stadium; quanto igitur maiores sunt labores, tanto ampliores erunt coronæ. Hæc Gregorius idem,& sub eisdem fermè uerbis, habet in libro Nemesius, cui titulus, de Natura hominis, ut libri inscriptionem esse corruptam, facilè iudicari posit, & pro Nysseno, Nemesium esse legendum. B. Gregorius in moralibus, Aures cordis tribulatio aperit, quam sæpe claudit huius Mundi prosperitas. Victoria (inquit lib. de Opificio Dei Lactantius) ut sine certamine, constare non potest; sic nec uirtus ipsa, sine hoste. Creuit pugna, creuit & gloria. Isidorus semper (inquit) hos Deus hic uulnerat tribulationibus, quos ad salutem perpetuam, præparat. Platonicus quidam, ut uictor (inquit) præconio declararis: opus est æmulo. F Qui seminant (ait propheta) in lacrymis, in exultatione metent. Et B. Cyprianus sermone de Mortalitate inquit. Nisi præcesserit pugna, non potest esse uictoria, cum in pugnæ congressu uictoria fuerit: tunc datur uincentibus corona. Nam gubernator in tēpestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata iactatio est, cùm periculum non est; conflictatio in aduersis, probatio est ueritatis. Et B. Maximus Episcopus de Martyribus edisserens inquit. Quanta est circa nos Dei nostri solicitudo: illos examinat, ut nos erudiat, illos conterit, ut nos acquirat, eorumq; cruciatus, nostros uult esse profectus. B. quoq; Cyprianus ad Seagrium & Rogatianum. Futurarum (inquit) gaudio, præsentia supplicia calcate: scientes, ab initio Mundi, sic institutum, ut laboret isthic, in sæculari conflictatione, iustitia, quando in origine statim prima, Abel iustus occiditur, & exinde iusti quique, & prophetæ, & Apostoli, quibus Dominus quoque in seipso constituit exemplum, docens ad suum regnum, non nisi eos, qui se, per suam uiam sequuti sunt peruenire. Nullum denique (ut infinita breuibus perstringamus) in Orbe uniuerso, permittitur à Deo malum fieri, quæ ineffabili sua prouidentia, ad bonum aliquod, & id non exiguum, non tendat, atque dirigatur. Hoc est, quod ex nostris Theologis dixerunt quidam. quemadmodum inter G alios B. Thomas, quæst. v. de Veritate, prouidentiam diuinam duplicem esse, approbationis scilicet, & concessionis; sub concessionis, mala aut etiam minus bona, & defectus: sub approbationis uerò bona, quæ uere bona sunt, & effectus, cadere dicuntur. ad quam nihilominus, illa etiam quæ sub prouidentia concessionis cadere dicebantur, mala uidelicet, meliori, quo fieri potest, modo, ab Omnipotente Deo ita tandem rediguntur; ut quidquid boni à diuina possessione mala detraxerint, totum Deo Maximo, etiam cum fænore, per mala ipsa restituatur.

Ad obiectionem quartam respondetur; & in responsione, idem, quod prius, quorsum uidelicet à Deo mala admittantur, declaratur.

Cap. XIIII.



AD QVARTAM rationem, quæ fuerat Epicuri, loco citato, idest lib. de Ira Dei, respondet idem doctissimus Firmianus, & inquit, quòd Deus nec impotens, nec inuidus est. potest nanque quidquid uult; ut nulla in eum imbecillitas cadere posit. H potest igitur sine dubio mala cuncta uel longius pellere, uel etiā penitus tollere; sed non uult; nec ideò tamen inuidus est. Nam ut superiori capite dicebamus mala uult (uoluntate intelligas permissionis si præsertim de malo culpæ loquamur: unde malum pœnæ originem duxit) ex ipsis autem patratis malis plura & maiora, cumulatioraque bona semper Deus colligit. si nanque (dicebat Lactantius) malum nullum sit, & periculum nullum: nihilque quod lædere hominem posit: tollitur omnis materia sapientiæ, pericula igitur, & mala idcirco non tollit, quia & sapientiam, qua mala uitare possumus, simul tribuit: & plus boni, ac iucunditatis in sapientia contulit; quàm in malis molestiæ. Adde quòd ex sapientia, qua præditi sumus, Deum cognoscimus: cognitum ueneramur, atque colimus; colendo mala uel uitamus, uel toleramus patientissimè; & per hos gradus tandem immortalitatem, & beatitudinem, quod est summum bonum, assequimur. Vnde B. Gregorius, Mala quæ nos hic premunt; ad Deum nos ire compellunt. Et Psal. LXXXIX, Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; quibus uidimus mala. B. Iustinus Philosophus & Martyr Libro Quæstionum ad gentiles, quæst. prima, ex interprete inquit. Concedit nos patrare, quæ sponte proponimus mala, non per infirmitatem uirium, sed ut, & nostrum arbitrium appareat; & Dei longanimitas: quòd alioqui hoc rerum statu, nec nostra incolumitas tuta foret; nec illius boni-

A bonitas conspicua. Hæc ille. sed ad obiectas rationes hactenus. sequitur, ut ad obiectas confirmationes respondeamus.

Ad obiectas confirmationes, & primò ad secundam respondetur & in responsione, bona esse, mala autem non esse, ostenditur. CAP. XV.



AD PRIMAM confirmationem, quoniam bonis mala præstare multis modis uidentur, patebit responsio; cum ad secundam dixerimus, quæ est, quòd malis undique quasi obrui, uideamur; bono uerò aliquo improbis etiam adhibitis laboribus, uix patiamur. Ad hanc, & ritè Philosophantis, & Catholici Theologi responsio fermè eadem est: omnia uidelicet, quæ in Mundo sunt, naturali conditione, bona esse. dicebat Orpheus.

» Διὸς ἐκ πάντα τέτυκται ἄριστα. hoc est.

A B Ioue omnia optima. Idem libro Geneseos cap. primo legimus. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Et B. Aug. in libro tertio de Lib. arb. cap. XIII, inquit. Omnis natura, B inquãtum natura est, bona est; quæ si incorruptibilis est, melior est quàm corruptibilis; si autem corruptibilis est; quoniam dum corrumpitur, minus bona fit; sine dubitatione bona est. Omnis aũt natura, aut corruptibilis est, aut incorruptibilis: omnis ergo natura, bona est. Et lib. de fide ad » Petrũ cap. XXI, Nulla est mala natura; quia omnis natura, inquãtum natura, est bona: sed quia in ea, » bonum & minui, & augeri potest; in tãtùm mala dicitur; inquãtum bonũ eius minuitur. Hæc ille. » Malum enim nihil aliud est, quàm boni priuatio. quod nihilominus ita absq; bono esse non potest; quemadmodum neque falsum absque uero. Non enim falsum quidquam esse dicitur nisi saltem uerum sit illud esse falsum. Adde quòd falsum dicatur, quia fallat; at non fallit nisi per imaginem ueritatis. In primis etiam uerbis lib. Eth. inquit Arist. omnia bonum appetunt. Si non essent omnia bona, num possent omnia bonum appetere? Et usqueadeo sunt bona omnia, ut contrà quàm Homerus fecerit, urnas duas in Iouis uestibulo statuere ualeamus. Vnam bonorum plenam, quæ nullum habeant malum admixtum; alteram ex bonis, & malis temperatam. Tertia uerò, in qua mera mala sint; nullibi reperiatur. Ea nanque, quæ nobis tantùm mala esse uidentur; aut mala non sunt; quoniam non sunt, neque habent esse; sed non esse potius: sicut errores nostri, & ea, quæ à nostris Theologis peccata communiter nuncupãtur, furtum, homicidium, fornicatio, auari C tia, & id genus innumera. Hæc nanque quatenus errores & peccata sunt, nusquam sunt; quia esse non habent, cum priuationes sint. priuatio autem sit nihil. quod autem nihil est, uerè, & formaliter loquendo, esse non potest. aut si mala aliqua esse re uera, & in rerum natura constare dixerimus; id, illis, quod eisdem conuenire non potest, attribuentes: ea non à natura, non à Deo, sed ab humano abusu, & contrà, uel præter cuiuspiam benè à Deo conditæ naturæ integritatem, & naturalem eiusdem usum & conditionem esse, censenda sunt. Omne quippe uitium (inquit Aug. lib. III de lib. arb. ca. XIII) eo ipso quo uitium est; cõtra naturam est. Exẽplum, Pulchritudine mulieris ad malũ, ut puta uel ad turpissimos quæstus, uel ad stupra, & ad incestus, & ad omnia de » nique obscœnæ libidinis pudenda opera tu abuteris: quam Deus, ad mundi ornamentum, ad » prolem legitimè suscipiendam, & propagandam sobolem, ad reparandam angelorum ruinam, ad honestissimum, atque sanctissimum hominis solatium, opus Dei mirabile, inexcogitabili ratione, prouisum, & bonam & pulchram procreauerat. Nec tu habes, si incontinens es: si tanquam alter Sardanapalus, inter scortorum gregem, & Venere, & cœnis, & plumis, explearis; unde diuinam prouidentiam incuses: sed benè habet ipse prouisor, unde de te conqueratur: qui optimis à se conditis rebus abuteris: & tua prauitate, te, & illas simul deturpas, æque constupras. ut iam nihil aliud ex honestissimis, ac sanctissimis rebus, petas, quàm inanem & sterilem uoluptatem & D pudendæ libidinis abusum. Venenum item (ut altero exemplo rem declaremus) sicut opium, Mercurius, adamas & id genus alia; quæ sua frigiditate enecant; non ut enecent; sed ut aliis modis uitæ mortalium succurrant; à Deo creata sunt; quòd si minimè succurrant, & iuuent, sed noceant maximè; ex hominum abusũ id accidit. Plato propterea in Epinomide dicebat: si quid mali in his rebus accidit; non diuina culpanda natura est; sed humana; quæ iniustè uitam suam distribuit. Et bene dicebat ex Platone lib. de Philosophia Apuleius: quòd nihil eorum, possit nocere sapienti: quæ opinantur cæteri mala esse.

Ad confirmationem primam respondetur, & bona malis præstare asseritur. CAP. XVI.



X iis, quæ dicta sunt, ad confirmationem primam, patere potest responsio. Non enim mala bonis; sed contrà bona malis præstare certum est. Diximus nanque cuncta bona esse, si cuncta bona, qui bonis mala præstare & ea superare dicemus? At temporis momento ægrotamus, non tam cito sanamur: contactu sæpissimè inficimur, nunquam solo contactu conualescimus; & alia id genus multa numerari & obiici poterant. ad quæ omnia unica est responsio; quod prudentiam, & sapientiam nobis contulit Dominus: quo cautè incederemus; & in pericula præcipites non irrueremus. Quamobrem Prouerb. 11. Si intrauerit sapientia cor tuum; & animæ tuæ scientia placuerit: consilium custodiet te; & prudentia seruabit te, ut eruaris à uia mala, & ab homine, qui peruersa loquitur, ut eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos. Et Matth. x, admonet Dominus ut simus prudentes, ad serpentum similitudinē: qui in periculorum discriminibus, ad loca tutiora confugiunt. Quòd si prudentem etiam, & cautum mala aliquando capere uidentur: non capiunt, cum sapientis animus insuperabilis sit, se habeatque ex lib. primo Ethicorum, ùt astragalus, & cubus taxillus, uel etiam ut pyramis solida, quæ undecunque, aut quomodocunque decidat, erecta protinus insurgit; nec nisi stare nouit. Hactenus ad secundam confirmationem. pro cuius pleniori solutione, in responsione ad confirmationem quintam nonnulla habere poteris. F

Ad confirmationem tertiam respondetur, & in responsione, cur ad uirtutes aditus sit difficilis, declaratur. CAP. XVII.



D TERTIAM, aditum ad uitia facilem, ad uirtutes difficilem posuisse Deum, non negamus. Ratio ea est; quòd tribus cupiditatibus & iis quidem ingentibus enascamur, quæ sunt, cibi, potus, & rerum uenerearum: quibus ut indulgere omnium facillimum, ita ire obuiam difficillimum est. obuiamus autem huic (ita dixerim) trifauci Cerbero, per uirtutem. factus est propterea ad uirtutem difficilis aditus, eoque difficilior redditur, quo illis minus cupiditatibus resistitur. augentur nanque, nisi in seminibus elidantur, in immensum, ut quandoq; nefariis concupiscentiis animum compleant: & eas moderari sit etiam atque etiam difficillimū. G Quamobrem nullum bonum sine certamine, nullum honorem sine labore consequi possumus. expugnandum est uitium, si uirtutis honorem & laudem concupiscis: uitium autem expugnamus uigiliis atque laboribus. Inde Simonides arduum dicebat est, bonum esse. Et Lactantius. Bona in arduo, mala in præcipiti posita sunt. (inquit Basilius) Quod'nā bonū facile est? Quis dormiēs trophæum statuit? Quis indulgens deliciis, & tibiarum concentui, cū tinentiæ coronis redimitus est? Nullus sine cursu meruit brauium: labores gignunt gloriam, & certamina coronas acquirunt. Hæc Basilius. non est uictoria (inquit Lactantius) sine certamine, nō est certamen sine hoste. dicebat Xenophon πάντα τὰ καλὰ καὶ τὰ ἀγαθὰ, ἀσκητὰ εἶναι, id est, nō sine labore sunt bona, quod clarius dixit Epicharmis. τ'ἀγαθὰ θεοὶ πόνοις πωλοῦνται. hoc est, Bona laboribus Dii uēditāt. Quod iuxta uulgatissimum ex Solone prouerbium sint χαλεπὰ τὰ καλὰ, idest difficilia, quæ præclara. Non est (scribit ad Virgines B. Cypr.) ad magna facilis ascensus. Et Baptista Mantuanus libro Syluarum secundo.

» *Ocium clari fugiunt honoret,*
» *Nobiles ducit labor ad triumphos,*
» *Sudor insignes iter ad coronas*
» *Monstrat apertum.* H

Ad confirmationem quartam respondetur: & in responsione hominem illecebris, nisi quantum ipse uoluerit, non rapi, declaratur. CAP. XVIII.



D CONFIRMATIONEM quartam dicimus, quòd illecebrarum multitudine & graui sensuum satellicio non passus est hominē plusquam homo ipse uoluerit, Deus opprimi. Rationem nanque illi, illi inquam uni intellectum & rationem inter omnia, quæ cœli ambitu complexa sunt, aduersus omnem uel sensuum, uel sensilium impetum, præsentissimum remedium Deus contulit, præsentissimum inquam iterum ad omnia nocitura remedium; modo eam curet, eam audiat, eam in consilium adhibeat. Aristoteles lib. vii, Politicorum cap. xiii, Tribus ex interprete, inquit, uiuitur, Natura, Moribus, & Ratione. & cū cætera animalia maximè

A ximè secundum naturam uiuant; parum uerò aliquid & secundum mores; Homo autem secundum rationem Solus enim rationem habet. Ita oportet hæc simul concordare. Multa enim præter mores, & præter naturam agunt homines propter rationem; si persuadeatur melius esse aliter agere. Hæc ibi. Vigeat igitur in nobis ratio; uigeat mens, & intellectus; uigeat hic rex; habeatque iste plenum in intima hac nostra politia dominium; quod ut habeat, ut superius aliquatenus declarauimus, idem inferius fusius declaraturi, in nobis, in nostræ uoluntatis arbitrio situm est. teneat integram, ut æquum est, summamq; in nostris sensibus, atque in tota hac nostra intima prouincia potestatem intellectus, & ratio; eidem, ut par est, obediatur; non in regem, satellites; non in rationem, illecebræ sensui insultabunt; non labemur; non errabimus; atque ut nihil mali patrabimus; ita nobis ad uersi accidet nihil. pacata in hac nostra, alioquin plusquam satis tumultuaria, intima politia, erunt omnia. Vt quàm uera sit Cyrenaicorum sententia illa, nos ipsi iudicare poterimus. Hominem bona sponte, mala uerò inuitè agere. Est enim mens in homine; ut Sol in Orbe uniuerso. Quemadmodum igitur si careamus Sole, per reliqua (ut ait Heraclitus) astra, perpetuam agamus noctem necessarium est; ita, quod ad sensuum uirtutem attinet, nisi mens nobis adsit, & ratio; nihil in hac uita, à brutis, differamus oportet. sed cæci absque duce, in sordes, & cœnosas malorum morum latrinas prolabemur. Omnem enim, ut ex Platone in lib. de Philosophia, Apuleius hominis malitiam accidere, dicebat; B cùm optima & rationabilis portio, & quæ imperare cæteris debet; seruit aliis. Hæc autem ut seruire cœperit; in latrones hominem iecit; hoc est in sensuum lænocinia, & dæmonum suggestiones, latrones mehercule rapacissimos, qui eum spoliatum, & uulneratum semiuiuum relinquunt. Nec nobis, nostroque intellectui & rationi comitem Deus inconstantem uoluntatem dedit. Turpe est enim illud; quod quidam non solùm dixerunt; sed post se scriptum etiam reliquerunt: uoluntatem esse ueluti rotam; quam rerum omnium conditor humanæ menti, quæ alioqui iugi diuinarum humanarumque rerum contemplatione, erat fruitura, adhibuit: per quam humanum ingenium, & ab illa perpetua rerum, Deorumque consideratione retraheretur, ac dimoueretur; & in miseriarum barathrum homo turpiter, & miserè pelleretur, atque coniiceretur. Sed uoluntatem tibi potius liberam Dominus attulit: quòd te tui iuris esse uoluerit: ut si benè egeris, reciperes. nec solùm utcunque reciperes, sed maximo etiam, incredibilique cum fænore. Verùm est, quòd inter multa, quæ nobis mala uidentur: & quæ ad peccati, & uoluptatis illece-C bras allicere non desinunt, hominem Deus coniecit: sed non inermem; uerùm (ut diximus) ingenio & ratione munitum. Ita enim ex interprete lib. primo Politicorum cap. II Arist. inquit, Homo nascitur habens arma prudentiam & uirtutem; quibus plurimùm ualet uti in contraria. Adde (quòd omnium est maximum) potentissima sua gratia, quam, modò uolueris, copiosissimè tibi impartitur Deus, uallatum. ab illis igitur uoluptatibus non uinci, non opprimi hominum quempiam, nisi idem ipse uoluerit; tantùm aliquatenus illum tentari, ac mediocriter experiri, ad maiorem etiam illius & honorem, & gloriam Deus permittit. ita enim priore ad Co-
» rinth. Epistola cap. X scripsit Apostolus. Fidelis Deus est; qui non patietur uos tentari supra id,
» quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum; ut possitis sustinere. Et in priore epi
» stola cap. I. B. Petrus. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari, in uariis ten-
» tationibus; ut probatio fidei uestræ, multo preciosior sit auro, quod per ignem probatur. Vide quæso quid ad Tobiam Tob. XII loquatur Angelus: Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. Quia igitur gratum habet hominem Deus; inter multa (à quibus tentari ille posset) eum coniecit; cùm tentatio præsertim, Ecclesiastici XXVIII, non secus probet ho-
» minis iustitiam; quàm fornax uasa figuli. Timenti autem Dominum (Ecclesiastici XXXIII) non
» occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit à malis. Hoc idem ex
D communi hominum existimatione protulit Arist. lib. secundo Rhetor. cap. V, ad finem inquiens τὸ δὲ θεῖον ὑπολαμβάνεται βοηθεῖν τοῖς ἀδικουμένοις. hoc est. His qui iniuria afficiuntur Deum, opitulari existimatur.

Ad obiectam quintam confirmationem, quoniam bonos malis affici, malos contrà bonis gaudere, conspicimus, respondetur. CAP. XIX.



QVAMVIS ex his, quæ hactenus dicta fuere: sequenti & quintæ confirmationi, quæ ab eo procedit, quod bonos malis urgeri, malos bonis potiri, sæpissimè uideamus: propter quod sibi nonnulli, Deos aut non esse, ut libro primo arguebatur, aut si sunt, ista nostra minimè curare, & cuncta temere euenire, persuaserant; putamus satis esse factum: ad exactiorē tamen dubitationis solutionē addimus paradoxum unum, & est. quòd ea, quæ uiri boni patiuntur, & si mala multis uideantur: re uera tamen mala non sunt, sed bona; longeque penitus meliora,

liora, quàm ſint bona illa omnia. Diuitiæ, honores, imperia: quibus frui improbos, & potiri E
ſæpe uidemus; ſua ſpecie duntaxat nos decipientia. quod non ex ſacris literis ſolùm, aut Christi,
& Apoſtolorum ſanctisſimis admonitionibus, probare locupletisſimè posſumus; qui ubique pau
pertatem, patientiam, odia, contumelias, morbos, carcerem, inediam, exilium, tormenta, ignes,
cruces & id genus alia, quæ homines delicatiores abhorrent, tanquam uera, & non fucata bo-
na ſemper commendarunt; & ad eadem exemplis magis, quàm uerbis efficacisſimè perpetuò hor
tati fuerunt. Nam per hæc ipſa ad id, quod nobis optimum eſt, hoc eſt ad æternam ſalutem, ad
patriam, & ad ſummam, optatisſimamque fœlicitatem & beatitudinem, quæ eſt bonorum om-
nium aggregatione perfectus ſtatus, & gloriam, iter nobis facilè præparatur. Vnde dicebat La-
ctantius, quòd uirtus per mala & probatur & conſtat, uitia per uoluptatem. Sed ex Gentilium e-
tiam monumentis idem confirmari poteſt. Plotinus contra Gnoſticos, multa ex iis, quæ uulgò
mala uidentur, bona eſſe locupletisſimè demonſtrauit. Seneca in lib. de Prouidentia. Nolite (in-
quit) obſecro uos expaueſcere iſta, quæ Dii immortales, uelut ſtimulos, admouent animis. Ca-
lamitas uirtutis occaſio eſt. Illos meritò quis dixerit miſeros: qui nimia fœlicitate torpeſcunt;
quos uelut in mari lento, tranquillitas itineris detinet. Quicquid illis inciderit, nouum ueniet.
Et paucis interpoſitis. Hos itaque Deus quos probat, quos amat; indurat, recognoſcit, exercet:
eos autem, quibus indulgere uidetur; quibus parcere; molles uenturis malis ſeruat. Erratis e- F
nim; ſi quem iudicatis exceptum; Sed ueniet, ad illum diu fœlicem, ſua portio. quisquis uidetur
dimiſſus eſſe, dilatus eſt. Qua Deus optimum quemque, aut mala ualetudine: aut luctu, aut in-
commodis afficit. Et aliquot interpoſitis. Dicant quicunque iubentur pati, timidis, ignauiſ-
que, flebilia; digni uiſi ſumus Deo; in quibus experiretur: quantum humana natura poſſet pati.
Fugite delicias; fugite eneruatam fœlicitatem; qua animi marceſcunt: niſi aliquid interuenit,
quod humanæ ſortis admoneat; uelut perpetua ebrietate ſopiti ſunt. Hæc Seneca. Non pigebit
etiam hoc loco ea referre, quæ libro ſecundo, proſa VIII de Conſolatione, ex Philoſophia, ſanctisſi
ma uerba retulit Boethius. Mirum eſt, quod dicere geſtio; eoque ſententiam uerbis explicare uix
queo. Etenim plus reor hominibus aduerſam, quàm proſperam, prodeſſe fortunam. Illa enim
ſemper ſpecie fœlicitatis (cum uidetur blanda) mentitur; hæc ſemper uera eſt; cum ſe inſtabile mu
tatione demonſtrat. illa fallit; hæc inſtruit; illa mendacium ſpecie bonorum mentes fruentium
ligat; hæc cognitione fragilis fœlicitatis abſoluit. Itaque illam uideas uentoſam, fluentem, ſui-
que ſemper ignaram; hanc ſobriam, ſuccinctamque, & ipſius aduerſitatis exercitatione pruden-
tem. poſtremò fœlix à uero bono deuios blanditiis trahit; aduerſa plerunque ad uera bona redu-
cens, uelut uno retrahit. An hoc inter minima æſtimandum putas; quòd amicorum tibi fidelium
mentes hæc aſpera hæc horribilis fortuna detexit? Hæc tibi certos ſodalium uultus ambiguoſ- G
que ſecreuit; diſcedens ſuos abſtulit, tuos reliquit. Quanti hoc integer, & (ut uidebaris tibi) for-
tunatus emiſſes. Hæc Boethius, non Theologum ſed Philoſophum agens. Quin Heſiodum (quod
Plutarchus etiam teſtatus eſt) iſta quæ mala communiter nuncupantur perſequutionem, pau-
pertatem & id genus alia tanquam Deorum dona ueneratum fuiſſe; diuitias uerò, Imperia, & hu-
iuſmodi tanquam fortunæ ludibria, cum Platone, Anaxagora, Thalete, & multis aliis Philoſo-
phis, contempſiſſe, notisſimum eſt. Non eſſem ego (dicebat in patriam reuerſus Anaxa-
goras) ſaluus, niſi poſſesſiones meæ periiſſent. Crates ille Thebanus, magnum auri pon-
dus in mare proiiciens, abite, inquit, malæ cupiditates. Ego uos mergam, ne ipſe mergar
à uobis. Democritus Philoſophiæ & contemplationi asſiduus, agros ſuos publica paſcua fie-
ri, paſſus eſt. Pythagoras cum uitam in primis optimam deligendam eſſe moneret; ei-
demque firmam aliquam anchoram perquirendam: diuitias, magiſtratus, honores, gloriam, an-
choras debiles, atq; imbecilles optimæ uitæ eſt opinatus. Socrates ſculptoris & obſtetricis filius
pauperrimus Archelaum Macedonem, Scopam Cranonium, & Eurilothum Lariſſeum aſperna-
tus eſt alto animo; nec aut miſſas ab eis pecunias accepit, aut ad eos proficiſci uoluit. Xenocra- H
tes miſſa ab Alexandro talenta quinquaginta recuſauit. Theophraſtus Phalerei munera alacri
animo eſt aſpernatus. Diogenes Sinopenſis in dolio, ſummum alioqui, maximumq; Imperato-
rem Alexandrum contempſit. Ieremias (ut ad noſtros redeamus.) et ſi impiorum uias proſpe-
rari quandoq; proſpiceret: de iuſtitia tamen diuina, & de eiuſdem prouidentia nullatenus dubi-
tabat. Eius uerba hæc ſunt ex cap. XII. Iuſtus quidem tu es domine, ſi diſputem tecum, uerun-
tamen iuſta loquar ad te, quare uia impiorum proſperatur? benè eſt omnibus, qui præuarican-
tur, & iniquè agunt? plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt, & faciunt fructum. ſed illico
ſubdit. Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. et quæ ſequuntur. quàm ingens autem
malum ſit, Deum à renibus: & à præcordiis abeſſe, Idem Deus per Oſeam Prophetam cap. IX.
clamat, dicens. Vhæ illis cum receſſero ab eis. Et per D. N. Ieſum Chriſtum eius filium Matth.
XII. Exclamans oſtendit. Quid prodeſt homini diuitiis affluere, & uniuerſum mundum lucra-
ri, animæ uerò ſuæ detrimentum pati? ut bene nos Pſal. XXXVI. admoneat propheta inquiens.

A Noli æmulari in eo, qui prosperatur in uia sua, in homine faciente iniustitias: quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Aggæi prophetæ hæc sunt in diuites uerba. Ponite corda uestra super uias uestras; seminastis multum, & intulistis parum, comedistis, & non estis satiati bibistis, & non estis inebriati; operuistis uos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregauit; misit eas in sacculum pertusum. Lazarus ab angelis in sinu Abrahæ collocatur; qui prius mendicus iacebat ad ianuam diuitis, ulceribus plenus, cupiens saturari micis; quæ cadebant de mensa eiusdem, & nemo illi dabat. Contra diues ille induebatur purpura, & bysso; & epulabatur quotidie splendide; sed paulò post (heu quàm paulò post, cùm totus uitæ nostræ cursus, ne puncti quidem, & instantis unius, si ad immensa temporum spacia, referatur, rationem habeat) mortuus est; sepultus est in inferno, inter tormenta; & qui splendidè quotidie prius epulabatur, mox guttam aquæ sibi à Lazaro dari exoptauit. Sic enim in Iob cap. XXI, legitur de diuitibus. Ducunt in bonis dies suos; & in puncto ad inferna descendunt; Et sap. V, Quid nobis profuit superbia? quid diuitiarum iactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa. Diuitiæ nanque (ut ex libro Prouerb. cap. XXX, colligitur) hominem ad negandum uel contemnendum Deum alliciunt. Quamobrem Ezechielis XVI, ostensurus Hierosolymis propheta suorum scelerum causam, in-
B quit. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius; & manum egeno, & pauperi non porrigebant. Iacobi V, Agite nunc diuites plorate, ululantes in miseriis uestris; quæ aduenient, uobis, diuitiæ uestræ putrefactæ sunt, & uestimenta uestra à tineis comesta sunt, aurum, & argentum uestrum æruginauit; & ærugo eorum in testimonium uobis erunt; & manducabit carnes uestras, sicut ignis; Et in priore ad Timoth. cap. VI, Apostolus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum, siue in muscipulam diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Quamobrem Psal. LXXII. Ecce peccatores ipsi, & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias. Et Prouerb. III, in sinistra Dei diuitiæ & gloria collocantur. Et Apocal. III. Dicis, diues sum, & ditatus sum, & nullius rei indigeo; & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus es. Hinc Luc. VI, exclamat Dominus, uæ uobis diuitibus, qui habetis consolationem uestram; uæ uobis, qui saturati estis; quia esurietis, uæ uobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Contrà Matth. V, Beati pauperes spiritu;
C Beati qui lugent; Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ideo Prouerb. XXVII, sicut in camino ignis probatur aurum; sic in afflictione probatur uir iustus. Et Esaiæ XLVIII, Excoxi te, & elegi te in camino paupertatis. Et Apostolus ad Timot. Est autem quæstus magnus pietas, cum sufficientia, haben tes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Vulgata sententia est, Diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Hesiodus nemini exprobrandam paupertatem præcipit; quòd Dei hæc etiam donum sit. Athenienses putabant impossibile simul esse probum, & diuitem. Quamobrem uirtutis testimonium, & probitatis ornamentum, paupertatem Phocion existimauit. Non prætermittam hoc loco auream Platonis sententiam; cuius, aduersus Seleucum, Plutarchus etiam meminit. Ei, inquit, qui uelit esse diues; non cumulandam pecuniam, sed minuendam esse cupiditatem. Et lib. de Philosophia Apuleius, Egestatem non abstinentia pecuniæ, sed præsentia immoderatarum cupiditatum gignit. Et capite II, libri primi de ordine August. Eo quisque egestatem patitur magis, quo magis appetit plura complecti. Et ideo ad quosdam Dionis amicos scripsit Plato, quòd locupletes beatos appellare, sit amens sermo, & infœlix: mulieribus puerisque conueniens. Nec
D propterea si Archelaus fœliciter regnauit tantorum malorum patrator; si Harpalus prædo, & Dionysius tyrannus prospere deprædati sunt; credendum est illa non fuisse omnia, ex diuina prouidentia, facta. Reminiscere quæso illius, quod legitur in libro Prouerb. cap. VIII, Per me reges regnant, & principes imperant: Et in Esa. cap. XLII. Quis dedit in direptionem Iacob, & Israel eis, qui prædabantur eum; non'ne Deus, cui peccauerunt? Etiam quod in libro Iob cap. XII, legitur; Abundant tabernacula prædonum; & audacter prouocant Deum; cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Sed quid si Deum prouocant. uide, quæso, quid libro primo Machab. cap. II, scriptum sit. A uerbis uiri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus, & uermis; hodie extollitur; & cras non inuenietur. Vnde & diuitem stultum sæculares copias cogitantem, & se exuberantiũ fructuum largitate iactantem, Luc. XII, arguit Dominus dicens, Stulte hac nocte expostulatur anima tua; quæ ergo parasti cuius erunt? Vt rectè Isaias cap. XXXIII, clamauerit. Væ qui prædaris, non'ne & ipse prædaberis? & Ecclesiastici, XXI. Non effugiet in rapina prædator. Et Amos cap. V. Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem; & prædam electam tollebatis ab eo; domos quadro lapide ædificabitis; & non habitabitis in eis; uineas plantabitis amantissimas; & non bibetis uinum earum. Addi poterant, pro complemento responsionis, aliqua tum de animæ immortalitate, & de nouissimo iudicio; in quo mali cruciatibus iudicandi, & boni bonis, & honoribus euehendi erunt; tum de imminentibus humanæ uitæ periculis, & fortunæ inconstantia

constantia ut impossibile sit, eum, qui peccat, sperare perpetuam impunitatem; quia nulla est in Orbe uniuerso perpetua hominis fœlicitas; sed scilicet. E

» *Vltima semper.*
» *Expectanda dies homini est; dicique beatus,*
» *Ante obitum nemo, supremaq; funera, debet.*

Exitus (dicebat lib. de Ira Dei Lactantius) est, qui arguit fœlicitatem; & nemo iudicium Dei potest nec uiuus effugere, nec mortuus. Habet enim potestatem & uiuos præcipitare de summo: & mortuos æternis afficere cruciatibus. Et ad finem eius libelli, inquit. Non faciunt beatum uitiosæ ac mortiferæ uoluptates; non opulentia libidinum incitatrix; non inanis ambitio; non caduci honores; quibus illaqueatus animus humanus, & corpori mancipatus, æterna morte damnatur. sed innocentia, sola iustitia, cuius legitima & digna merces est, immortalitas; quam statuit à principio Deus sanctis, & incorruptis mentibus; quæ se à uitiis, & ab omni labe terrena integras inuiolatasque conseruant. Huius præmii cœlestis ac sempiterni participes esse non possunt; qui fraudibus, rapinis, circunscriptionibus conscientiam suam polluerunt; quique iniuriis hominum, nefariis commissis, ineluibiles sibi maculas inusserunt. Proinde uniuersos oportet, qui sapientes, qui homines meritò dici uolunt; fragilia contemnere; terrena calcare; humilia despicere; ut possint cum Deo beatissima necessitudine copulari. Hæc ille. Si igitur scelera in hac uita Deus punit; suam nobis prouidentiam indicat; si non, aliam uitam superesse demonstrat. F Philon Iudæus & Platonicus in lib. de prouidentia, Legem fuisse apud ueteres, ait, de sacrilegis cremandis, uel præcipitandis, uel suffocandis; cumque Philomelus & Onomarchus, & Phaylus templum quoddam spoliauissent; paucis post diebus, absque iudicum opera, diuina quadam sorte, in tria hæc supplicia eos incidisse scriptum reliquit. Quamobrem in Decimo de Repub. admonet Plato, ut scelera deuitemus, cùm diuinos oculos, & manus effugere nequeamus.

Ad eandem confirmationem quintam iterum respondetur; & bonos in hoc etiam sæculo tantùm bonis gaudere; quoniam soli potentes, fœlices, & beati sunt; malos contrà malis affici, quoniam impotentes, & miseri sunt. aliquot rationibus, & illis quidem clarissimis, ex Boethio demonstratur. CAP. XX.



PRAETER eas, quas, superiori capite, tam ex prophanis, quàm ex sacris doctoribus, multas adduximus auctoritates; quibus non ea esse mala, quæ probi uiri patiuntur; nec ea esse bona, quibus improbi potiuntur, ostendimus. Nunc G sumus, rationibus aliquot, physicis & naturalibus, ex Boethio petitis, rursus demonstraturi, quòd bonis bona tantùm, malis contrà non nisi mala contingere possint. & quòd boni præterea tantùm sint in hoc etiam seculo beati, & fœlices; etsi multis miseri appareant; mali, & improbi contrà, miseri, & infœlicissimi sint; quamuis beati, & fœlices ignaræ plebi uideantur. Vt peruersa quædam à mentibus hominum, & confusa eruatur opinio; qua putant plerique, Deum uel negligere, uel præposterè satis hæc nostra procurare. Vt autem, quod intendimus, diligentius, euidentiusq; manifestum euadat; bonos ac probos uiros fœlices, & beatos, dum etiam à malis multa sustinere uidentur; prauos, atque improbos contrà, dum etiam, quod concupiscunt, perficiunt, miseros, atque infœlices esse, demonstrabimus. Duo autem in primis à nobis, ante demonstrationem, supponenda sunt; quæ cuilibet quàm notissima esse possunt. Vnum quòd omnis humanæ intentio uoluntatis, quamuis diuersis studiis deuiare uideatur, in beatitudinem tamen, & summum bonum, sua natura, inclinatur; atque contendit. Omnis enim (inquit Boethius libro tertio de Consolatione philosop. prosa secunda) mortalium cura, quàm multiplicium studiorum labor exercet; H diuerso quidem calle procedit; sed ad unum tamen beatitudinis finem, nititur peruenire. Id autem est bonum; quo adepto, nihil ulterius desiderari queat. quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaque intra se continens bona. Hoc est, quod in principio libri Ethicorum uoluit Aristoteles; cùm bonum diffiniendo illud esse dixerit, quod omnes & omnia appetunt. Hinc corollariè sequitur; quòd cuncti tam boni, quàm mali, improbi æque ac probi, ad finem unum, qui est beatitudo & summum bonum, peruenire conantur. Alterum, quòd duobus, quilibet humanorum actuum effectus, uoluntate scilicet, ac potestate, absoluitur; quorum si alterutrum desit, fieri, atque explicari non queat. Nempe si uoluntas deficiat; opus ne aggredimur quidem, si potestas, uoluntas frustratur. Hinc corollariè sequitur, ut si quis uelit quidpiam; non possit autem, quod cupiat; imbecillis, ac miser est, & infœlix; contrà, qui potest, quod cupit; ualidus, potens, atque beatus meritò dici potest. His præmissis. Sic arguitur.

A QVI indipiſcitur, quod appetit, potens, fœlix, & beatus eſt; ſoli boni, & probi uiri indipiſcuntur, quod appetunt, non mali, & improbi; ſoli igitur boni, & probi uiri beati ſunt, & fœlices. Prima propoſitio ut ex poſteriore ſuppoſito manifeſta derelinquitur; ita poſterior, & minor ex priore. cum enim omnis mortalium cura, quamuis diuerſo calle, in eundem tamen finem, qui eſt beatitudo, & ſummum bonum nitatur; bonum autem huiuſmodi, quod uerè bonum eſt, non adipiſcantur improbi, & mali. Non enim mali eſſent, ſi finem illum adipiſcerentur; ſed adeptione boni, bonos illos fieri, neceſſum eſſet; quemadmodum adeptione grammaticæ grammaticos, adeptione albedinis albos, fieri neceſſarium eſt; illud autem bonum, boni ſoli adipiſcantur; ſoli igitur boni, illud ſibi adipiſcuntur, quod optant; quod mali facere non poſſunt; ſequitur ergo concluſio; ut ſoli boni potentes, ac beati euadant; mali contrà, & improbi, impotentes, & miſeri relinquantur.

SI dixeris id ſummum bonum iudicatur; quod ſibi quiſque potiſsimum expetierit. Vnde tot tamq; diuerſæ exortæ ſunt de fœlicitate opiniones. Ad hoc autem, quod maximè expetitur, ut boni per uirtutum merita, ita mali ſæpè per uitiorum, & flagitiorum ſemitas, peruenerunt. Reſpondebo (ut interea de fœlicitate iudicii obliquitatem dimittamus) quòd nihil minus ſunt mali impotentes, & miſeri; quoniam ad id, quod exoptarunt, impotenter, & miſerè peruenerunt. quod declaramus exemplo. Sit finis quiſpiam unus, in quem duo contendant; quorum unus me-
B diis opportunis, & naturalibus utatur; alter uerò naturalibus uti non poſsit, ſed præternaturalibus, tantùm. qui naturalibus uſus fuerit, ſine dubio, ad finem benè, ualideque perueniet; atque ita dixerim fœliciter ac beatè; qui præternaturalibus contrà, infœliciter, impotenterque ac miſerè. Verbi cauſa. proponant duo forum accedere; quorum unus rectè diſpoſitus ſit, alter uerò pedibus obtruncatus, uel ſaltem inualidus exiſtat; ut ad inceſſum manibus fulciatur; quales multos paſsim nulli uidere non licet, ut & ſi in forum tandem peruenerit; ſero tamen, maximoque cum labore: & turpi quadam atque incompoſita totius corporis motione, aut, dixerim, potius traiectione, ut non beatus, & fœlix ex aſſequutione finis; ſed ex fatigatione, & præternaturalium inſtrumentorum abuſu, & ex multa laſsitudine, ex totius denique corporis incompoſita ac fœda diſpoſitione, infœlix ac miſer ab omnibus reputabitur; qui uerò pedum officio (quòd pedes ſint ad inceſſum opportuna, & naturalia inſtrumenta, & media, uſus fuerit; potens, ualidus, & beatus exiſtimabitur. Sed boni per opportuna & naturalia media, hoc eſt per uirtutes, mali per inualida, & præternaturalia, hoc eſt per uariarum cupiditatum expletionem, quæ præternaturalis diſpoſitio
C eſt, ad id, quod utrique expetunt, hoc eſt, ad id quod ſummum bonum iudicauere, contendunt. boni igitur tantùm potentes ac beati, mali contrà, imbecilles, & miſeri ſunt exiſtimandi. Quanta eſt ergo uitioſorum, improborumq; hominũ infirmitas, & miſeria; qui & ſi ad aliquod, quod expetunt, quandoque, & non niſi præternaturalibus inſtrumentis peruenerint; ad illud tamen peruenire nequeunt; ad quod eos naturalis ducit, ac penè compellit intentio. Quod eſt ſummum bonum, ſumma fœlicitas, ſumma beatitudo. Nequis autem leuia, aut ludicra præmia petere eos exiſtimet; quæ conſequi, atque obtinere non poſſunt; audias. circa nanque ipſam rerum ſummam, uerticemque deficiunt. in eo certè miſeris non contingit effectus; quod ſolùm, dies, noctesque moliuntur: In qua re bonorum uires eminere conſpicimus.

SECVNDA ratio, ad idem probandum, ſit iſta. Qui ſui naturam ſeruat; ac ita perficit; ut quaſi propriam naturæ ſuæ qualitatem tranſcendat; Potens eſt; & modo quodam fœlix, atque beatus: Contrà, ille, qui naturam ſuam non ſeruat; ſed ſuæ naturæ & præſtantiæ qualitates diminuit, ac deiicit; imbecillis, & miſer cenſendus eſt. Bonus naturam ſuam ſeruat; & naturæ ſuæ præſtantiam auget; malus contrà, in ſua natura non permanet, ſed ab eadem deiicitur. Longè igitur malo bonus potentior, ac fœlicior eſt. Propoſitio prior ex ſe ſatis manifeſta uidetur: poſterior uerò eo conſtare poteſt; quòd uirtute unaquæque natura ſeruatur, atque perficitur;
D humana quaſi in diuinam permutatur; uitio deiicitur atque corrumpitur. Mali igitur humanam naturam non ſeruant; & homines eſſe deſinunt; nec homines dicuntur niſi ſecundum quid; & cum additione diſtrahente; ad quem modum cadauer dicimus hominem non ſimpliciter, ſed cum additione, mortuum. In beluam nanque mali uertuntur; alienarum rerum raptorem, Lupum dixeris; linguoſum, canem; inſidiatorem, uulpeculam; iracundum, leonem; timidum, cuniculum; ſegnem ac ſtupidum, aſinum; inconſtantem, auem; libidinoſum, ſuem. Ita fit, ut qui probitate deſerta, homo eſſe deſierit; cum in diuinam conditionem tranſire non poſſit; in beluam conuertatur.

TERTIA ratio. Summo bono Deoque Opt. Max. nihil eſt potentius, cum omnia faciat; nihil beatius, cum eius participatione fiant cuncti beati; at is malum facere minimè omnium poteſt. Cum autem nullus hominum facere omnia ualeat; interea quilibet mala facere poſſit. ſequitur, ut aut Deo ſit aliquid potentius; id ſcilicet quod malum facere poteſt; quod non poteſt Deus (quod uel cogitare extrema dementia eſt) aut mala inter ea collocanda non ſiut; quæ per

aliquam potentiam fieri possunt; sed tantùm inter ea, quæ per defectum, & diminutionem uirtutis, & potentiæ agentis fiant. Qui ergo mala possunt, & patrant; longè minus possunt, quàm boni; cum id, quod illi posse uidentur, non posint, quoniam id per potentiam fieri non potest: sed tantùm per defectum potestatis, ut imbecilles illi, ac miseri meritò esse dicantur, qui aliena rapiunt; amicitiæ iura uiolant; innocentiæ insidiantur; rempublicam subuertunt; & alia id genus innumera committunt. E

QVARTA. Omnis potentia, quæ uerè potentia sit, inter ea, locum habet, quæ ritè expetenda sunt; omnia ritè expetenda, quoniam bona sunt, ad summum bonum, tanquàm ad quoddam naturæ suæ cacumen, referenda sunt: possibilitas patrandi sceleris, ad summum bonum referri non potest; igitur possibilitas illa, potentia non est. boni igitur tantum possunt. contrà improbi, qui mala possunt, & perpetrant, imbecilles, ac miseri perseuerant. Non enim eorum potentia, qua illi mala posse dicuntur, uerè potentia est; & quæ rite expetenda sit: cum inter bona, & inter ea, quæ ad summum bonum, ad quod bona omnia referuntur, referri non posit, sed sit impotentia defectus infirmitas, & miseria.

SI dicas, mali possunt; cum probis tot incommoda inferant. Respondebo, quòd possunt mala, quæ non possent, si in bonorum efficientia manere uoluissent. Et cùm mala tantummodo posint: malum autem sese, & sua natura nihil sit, cum sit tantùm boni priuatio, sequitur ut nihil improbi posint; etiam si, quodlibet, exerceant. F

QVINTA ratio. Si miserum est, praua uoluisse; potuisse miserius est; perfecisse autem, miserrimum. ut quemadmodum triplici infortunio insanus gladiator laborat; uno cùm gladium cupit, altero, cum posidet; tertiò, cum eodem temere abutitur, ita praui, triplici infœlicitate urgeantur necessum est, una, cùm praua cupiant; altera, cùm cupita possunt; tertia, cùm quæ possunt, perficiunt. Et eo infœliciores sunt, quò pœnam debitam magis effugiunt. Cum enim ultione, praui mores corrigantur; & ad rectum, supplicii terrore reducantur, consequens est, ut haud mediocre bonum sit ultio, & supplicium; præsertim cum de iustitia proueniat. Quod si miseriæ cuiuspiam bonum aliquod adiiciantur, boni admistione, fit miseria minor. Improbi igitur, qui suæ improbitatis minimè pœnam luunt; longè infœliciores sunt, quàm qui supplicia subeunt, cum sceleribus impunitatem addant, quæ quidem impunitas malum est; sicut enim puniri improbos iustum est, ita eosdem impunitos elabi, iniquum erit.

SEXTA ad idem ratio. Si improbi supplicio digni sunt, & qui supplicia demerentur, infœlices, ac miseri censendi meritò sunt; iniuriam facientibus, non patientibus, inferēdum supplicium iudices, ac leges decernunt, consequens est, ut longè infœlicior sit ille, qui iniuriam facit; quàm qui patiatur. improbi iniuriam faciunt, probi patiuntur. sunt igitur longè miseriores ac infœliciores improbi, quamuis Reges, aut Imperatores extiterint, ut omnino ex iis omnibus, illud liquidò consequatur; quòd ea, quæ bonis adueniant, aut sunt re uera bona, aut si aliqua sunt, quæ mala uideantur, uel quia affligant, uel quia à malis & improbis uiris infligantur, longè meliora sunt illis; quæ improbis ac flagitiosis uiris contingunt, quoniam occasiones uirtutum sunt; ut patientiæ, martyrii, & id genus aliarum; quibus ad summum bonum, quod omnes siue mali, siue boni semper appetimus, potenter ac fœlicissimè tenditur, & peruenitur; à quo improbi longè deiiciuntur, & quo nequam diuturnior est, eo longius ab eodem abiicitur, & in malorum profundam caliginem mente cæcus tandem demergitur. G

Nec bonis præmia in hoc sæculo deesse, ostenditur, nec malis supplicia, & ad quintam confirmationem Boethii responsio pulcherrima ponitur. & responsio finitur. CAP. XXI. H



IAM per duo præcedentia capita, bona bonis, mala malis euenire monstrauimus; in uno uidimus, quòd bona & mala, hoc est, illa quæ nobis bona, aut mala uidentur, sua specie nos decipiant, ut sæpe bona mala, & mala bona existimemus. Vnde fit, ut ea, quæ bonis adueniunt, mala, quæ malis, bona esse, sæpissimè arbitremur, cum tamen illa bona sint, & hæc mala, sua, ut diximus, specie utraq; nos effascinantia. In posteriore, offendimus, bonos esse potentes, & fœlices, & beatos; malos contrà, imbecilles, & infœlices, & miseros, & eo infœliciores, ac miseriores, quò impunes in sua improbitate, diuturniores sunt. In hoc capite, bonis ac probis uiris, sua in hac uita non deesse præmia, & malis similiter sua supplicia, ex Boethio demonstrabimus. Vnde consequens illud est, ut bonis bona tantùm, malis similiter solùm mala contingant. Et præterea ad dubitationem illam, cur bonis mala, malis bona contingant, præter ea multa, quæ dicta sunt, Boethii pulcherrimam, germanamq; responsionem afferemus. Sed tempus est, ut quod proposuimus, ostendamus. Finis certè, propter quem aliquid fit, præmium

li,

A est eius, quod dicitur fieri; Vt uerbi causa, præmium eius, qui in stadio currit, est corona. Nam propter eam, cursus est factus, sed beatitudo, ut superiori capite copiosè declaratum fuit, quæ est bonorum omnium excellentissima congregatio, est id, propter quod, ab homine præsertim in hac uita cuncta geruntur. Igitur eorum, quæ ab homine fiunt omnium, erit illa præmium, at illa (ut diximus) summum bonum est, & bonorum omnium aggregatio perfecta, igitur ipsum bonū est humanis actibus omnibus ueluti præmium commune propositum. Sed bonum à bonis separari non potest, ergo uiros probos sua præmia hæc sunt, bonum ipsum, non derelinquunt, quantumlibet mali sæuiant. Non enim (inquit Boethius) probis animis proprium decus, aliena decerpit improbitas. Adde quòd cùm beatitudo sit ipsum bonum, sequitur, ut qui boni sunt, quà sunt boni, sint etiam beati; at Deus est beatitudo ipsa: boni igitur Dii sunt, quadam participatione. Est igitur bonorum præmium ipse Deus, quod nullus deterit dies, nullius minuit potestas, nullius fuscat improbitas. Cum autem bonum & malum, pœna & præmium, è regione, & aduersa fronte dissideant; sicut probis præmium deesse non potest, sua probitas; qua homo beatus, & Deus quodammodo efficitur; ita improbos supplicium non deserit, sua improbitas, & nequitia; qua homo infœlix, & Deo odiosus redditur; quæ quidem improbitas & nequitia, ita ut hominem in beluam conuertat, non afficit modò, uerùmetiam uehementer inficit. Vide inquit Boethius, quid æterna lex sanciat. Melioribus animum si confirmaueris, nihil opus est iudice præmium deferente; tu te ipse excellentioribus addidisti; si studium ad peiora deflexeris, extra ne quæsieris ultorem; tu te ipse in deteriora detrusisti. Bonus supra naturæ suæ præstantiam euectus est; Deo iam per quandam participationem similis effectus. Malus infrà naturam suam deiectus est, & in beluam per quandam morum affinitatem conuersus. Et de hac ratione pulcherrima hucusque.

B

AD dubitationem illam cur bona malis, mala bonis adueniant; satis superque dictum fuisse uidetur, ne tamen ad eiusdem plenam dissolutionem, quidpiam posit amplius desiderari; Boethii libet formalem responsionem doctissimam, ac sanctissimam afferre. Inquit igitur Boethius; quòd non ea homines mentis integritate degunt, ut bonos à malis, probos ab improbis facilè dignoscere ualeant, sed sæpe probi sunt; quos improbos, & contrà, sæpe improbi, quos probos existimamus. Adde, quòd neq; recta mentis acie (ut in superioribus dictum fuit) à malis bona, aut à bonis mala discernimus; ut sæpe mala sint; quæ bona, & bona sæpe numerò sint; quæ mala esse iudicamus, quæ tamen omnia in primis diligenter perspecta esse oportebat; & tunc deniq; si bona, bonis, & mala malis non aduenirent; sed contrà bona malis, mala bonis contingerent; dubitare, cur à diuina prouidentia res præposterè disponantur. Cum autem animarum motus, unde actionum nostrarum probitas, & improbitas emanat, & inclinationes siue intētiones, & quid præterea cuiq;, & quando, & quo modo conueniat, Deus solus internoscat; omnium unus rector, & speculator. accommodat cuique, quod illi conueniens est; parcit ei, quem deteriorem facere posit aduersitas, bonis sæpe summa rerum potestas defertur; ut exuberans retundatur improbitas, quosdam remordet, ne longa fœlicitate luxurient, alios duris agitari sinit, ut uirtutes animi patientiæ usu, confirment. Vt rerum quidem, qui rectus est, ordo opinioni nostræ perturbatam, atque peruersam pariat confusionem; unde oriatur dubitatio, cur probis probra contingant; de qua iam copiosissimè diximus. Et ad quintam confirmationem hactenus.

C

Ad sextam confirmationem respondetur & auctoritates ex sacris literis adductæ exponuntur, & sermo de diuina prouidentia terminatur. CAP. XXII.

D



AD SEXTAM & ultimam confirmationem, quæ quibusdam sacræ scripturæ auctoritatibus procedit, superest ut respondeamus. Ad auctoritatem ex libro Iob, dicendum, quòd uerba illa non sunt sancti prophetæ Iob; sed amici eius Eliphaz Temanitis; qui multa alia obiecerat beato Iob erronea, & non consona ueritati. Ad Paulinam auctoritatem dicimus, nihil uelle ibi Paulum aliud; quàm innuere, Diuinam Prouidentiam, quamuis ad omnia etiam minima, se effundat; speciali tamen modo intellectualem creaturam atque hominem ipsum fouere, atque administrare, sibique eam peculiariter subiicere & eidem longè peculiarius, atque solertius quàm cæteris quibuscunque animantibus prouidere. Quamobrem in Abacuc cap. primo, B. Hieronymus, absurdum est, inquit, ad hoc Dei deducere maiestatam; ut sciat, per momenta singula, quot nascantur culices, quot'ue moriantur; quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo; quanti pisces in aqua natent, & qui ex minoribus maiorum prædæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei; ut dum prouidentiam eius, etiam ad ima detrahimus; in nos ipsos iniuriosi simus; eandem rationabilium, quam irrationabilium prouidentiam esse dicentes. Hæc Hieronymus. Quemadmodum autem inter animantes cæteras

teras hominem potisſimùm curat Deus: Ita inter homines, eos, qui boni, & probi ſunt, curare illum maximè tenet Eccleſia. Quamobrem in collecta quadam, ita decantatur, Sancti nominis tui domine timorem, pariter & amorem, fac nos habere, perpetuum, quia nunquam ſua gubernatione deſtituis: quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis. Et ideo de bonis, & iuſtis hominibus, apud prophetas ſæpè legimus; quòd ſunt Deo magnæ curæ. Pſal. IX & X, Oculi domini in pauperem reſpiciunt. Pſal. XXXII, Oculi domini ſuper timentes eum. & XXXIII, Oculi domini ſuper iuſtos. Quinimmo hoc ipſum indicauit nobis Ariſtoteles quando lib. Eth. X cap. X. dicebat; Si qua cura eſt rerum humanarum apud Deos (ut uidetur) rationabile eſt, eos re optima, & ſibi proxima gaudere. Adam parentem noſtrum Deus cognouit, dum in ea, (in qua creatus fuerat) permanſit innocentia; & poſt peccatum & innocentia amiſſa uidetur Deus illum ignoraſſe. illum nanque perquirebat dicendo; Adam ubi es? Altiori nempe modo (inquit alibi ſanctus Doctor) Diuina Prouidentia bonos gubernat, quàm malos. mali enim dum ab uno ordine prouidentiæ exeunt; ut ſcilicet Dei uoluntatem non faciant, in alium ordinem delabuntur; ut ſcilicet de eis diuina uoluntas fiat. Sed boni quantum ad utrunque ſunt in recto ordine prouidentiæ. Locus ex Matth. XXII nulla indiget expoſitione. Idem enim eſt ſenſus; qui eſt uerborum Petri Actorum X. Deus non eſt acceptor perſonarum. Curare nanque trifariam ſumitur: uno modo ut eſt ad finem ordinare; Altero, ut eſt habere cordi; Tertiò ut eſt perſonam acceptare. Primò modo curat omnia, boues, formicas, culices, & cætera quæcunque. Vnde Matth. X, Non'ne duo paſſeres aſſe ueneunt; & unus ex illis non cadet ſuper terram, ſine patre ueſtro. Secundo modo, humanam naturam tantùm, & probos uiros, ac ſanctos præcipuè. Tertio autem modo curat nihil, cum non ſit apud Deum perſonarum acceptio.

HAEC ſunt quæ nobis de duabus in principio noſtræ diſputationis, præcipuis rerum cunctarum propoſitis cauſis, uidelicet fato, & Diuina Prouidentia, cōpendii & breuitatis ſtudioſis occurrere uidebantur; quarum una quidem, quæ temeritati & contingentiæ naturæ aduerſa eſt, euerſa à nobis fuit; alteram uerò fortunæ & euentuum contingentiæ non repugnare, & ſi ſatis hactenus oſtenſum eſt, ſi quidpiam tamen pro contingentiæ rurſus, ab ipſa Diuina Prouidentia, & temeritatis defenſione, ac uendicatione, præter ea, quæ hactenus dicta ſunt, deſiderabitur, id & in ſequenti libro, & in octauo, qui toti formè; circa Diuinam Præſcientiam uerſabuntur, inueniri poterit. Nunc autem de Prouidentia quæ dicta ſunt, ſufficiant. Poſtquam igitur ea omnia (quæ rerum, & operationum non noſtrarum ſolùmmodo, ſed cæterorum omnium qualitercunque operantium principia ſunt exiſtimata, diligenter ſatis pro inſtituta breuitate, conſiderauimus; tempus iam eſt, ut argumenta, pro Stoicorum fato, & pro ineuitabili euentuum cunctorum neceſſitate ſuadenda, in principio diſputationis adducta. diſſoluamus; contingentiamque, & fortunam; & temeritatem, cum Diuina Prouidentia, & cum catholicorum fato (ut interea humanum arbitrium ſileamus) non ſolùm theologicè, ſed etiam phyſicè ſtare poſſe demonſtremus.

IVLII SIRENII CARRARII HIERONYMIANI, THEOLOGI, ET PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

De Fato liber ſextus.

In quo ad tres Stoicorum rationes, in principio diſputationis, hoc eſt in libro primo adductas reſpondetur; & in reſponſione ad tertiam, de diuina præſcientia, ad philoſophorum opinionem exactè ſatis, & copioſè agitur; & quia totus fermè hic liber ſextus circa diuinam præſcientiam inſumitur. ab ea propterea, liber inſcribitur.

Ad primam Stoicorum rationem, quæ fuit Diodori, ex Epicuro reſpondetur; & Epicuri reſponſio, ex Plotino Cicerone, & Firmiano, repræhenditur.

CAPITVLVM PRIMVM.



C POSTQVAM ea omnia, quæ principio noſtræ diſputationis conſideranda potiſsimùm nobis propoſueramus; & quæ cunctorum euentuum cauſas, eſſe & principia plerique omnes facile exiſtimarunt; fatum uidelicet, & diuinam prouidentiam, pro inſtituta breuitate, diligenter ſatis hactenus & phyſicè & theologicè contemplati fuimus; tempus eſt, ut ea, quæ dudum pro Stoicorum opinione, & pro ſuadenda cunctorum euentuum ineuitabili neceſsitate, adducta fuerunt argumenta omnia, & ad phyſicorum diſciplinam, & ad catholicam theologorum noſtrorũ ueritatem, dilucidè (quantum à nobis fieri poterit) ſincereque diſſoluamus. In his autem diſſoluendis, multa etiam, quæ & ad ſciolorum quorundam, pro ineuitabili rerum cunctarum euentu, argumenta tollenda, & ad completam, de diuina prouidentia, tractationem, & ad contingentiæ, & temeritatis naturam tuendam, mirificè faciunt, quæ à non nullis deſiderari facilè poterant, candidè elucidabimus.

AD Diodorum igitur, qui id ſolum, quod uel iam eſt; uel omnino futurum eſt; fieri poſſe putauit; ita ut uel ſit, uel futurum ſit nihil, quod non neceſſe ſit, uel eſſe, uel futurum eſſe; Epicurus diceret imaginatione illum decipi; cùm res contra ſe habeat; & ineuitabili neceſsitate efficia-
D tur, aut eueniat nihil. Diximus in ſuperiori, introduxiſſe Epicurum (ut Cicero in lib. de Fato poſuit) minutiſsimarum atomorum minimum quendam motum; quem ſine præcedente cauſa aliqua, fieri, exiſtimauit, per quem illa corpuſcula à catheto, & perpendiculari linea, declinarent per paulum, ad mutuam adhæſionem, & complexionem; quo rerum generationes, & complexiones extruerentur. Quicquid autem ſine præcedente cauſa fit, inquit Epicurus, nulla neceſsitate fit; immo quicquid præterea ortum ducit ab eo, quod fit ſine cauſa; nulla ſimiliter neceſsitate gignitur. conſequens igitur ſecundum Epicurum erat; ut non ſolùm non omnia, ſed ne quidem unum, in tota rerum uniuerſitate, ineuitabili neceſsitate fieret. Cuncta nanque inquit ille, ab hoc minimo motu ducunt originem, cauſa autem cur hunc motum ſine cauſa introduxerit Epicurus, eſt; quoniam cauſa motus atomi, eſt ſua grauitas; grauitas autem non obliqui, ſed recti tantùm motus eſt cauſa, & perpendicularis; & obliquo ad adhæſionem, & complexionem atomorum opus erat, relinquitur ergo, ut ſine cauſa ſit iſta declinatio atomi, à rectitudine. Et quoniam quod ſine cauſa fit; aut ab eo etiam originem trahit; non ſolùm ex neceſsitate non fit; ſed fit contingenter, & temere, Ideo cuncta contingenter, hoc eſt fortuitò, & temere, euenire tenuit Epicurus.

Epicurus. Quamobrem Lactantius, lib. de Opificio Dei, etsi alia ratione, atomorum, ut prius libro tertio dicebamus, mutuam adhæsionem, pro rerum generatione, & complexionem fuerit ille, ex Epicuro, imaginatus; dicit nihilominus idem ferè de Epicuro; quod aliàs de Empedocle dicebat Arist. animalia uidelicet nullo diuinæ mentis artificio, sed fortuitò esse nata. Dixit in principio mundi, alias quasdam innumerabiles animantes, miranda specie, & magnitudine, fuisse natas; sed eas permanere non potuisse; quòd illis aut sumendi cibi facultas, aut exeundi, generandique ratio defecisset. Et paucis interpositis. Adiecit, inquit Lactantius, aliud deliramentum, superiori congruens. Dixit enim neque oculos ad uidendum esse natos; neque aures ad audiendum; neque pedes ad ambulandum; quoniam membra hæc prius nata sunt; quàm esset usus uidendi, & audiendi, & ambulandi; sed horum omnia officia ex natis, extitisse. Sed redeo unde deciderat oratio. hoc igitur modo Diodori placitum repellere potest Epicurus; minimaque sine præcedente causa mutatione introducta, maximam se fati, immutabilemque necessitatem tollere potuit arbitrari. E

Altero præterea modo Diodori placitum, & rerum, euentuumque omnium ineuitabilem necessitatem Epicurus refellebat. Quoniam (ut ipse ait) in enunciationibus contradictoriis, de tempore futuro, ut in istis, relinquetur in Lemno insula Philoctetes. Non relinquetur in Lemno insula Philoctetes. nec ueritas, nec falsitas inest. Et si nanque disiunctiones ex contrariis, ueras esse existimauit, sicuti est propositio ista, Aut sauciabitur, aut non sauciabitur Philoctetes. neutrũ tamen eorum, quæ in huiuscemodi enunciationibus enunciatum est, uerum, uel falsum esse idem Epicurus est arbitratus: ex quo rursus sequitur; non cuncta, quæ eueniant, de necessitate euenire. argumentum igitur illud Diodori ex contradicentibus propositionibus, facillimè tollebat Epicurus. Cum arguis, cras aut metes, aut non metes, necesse est alterum. Respondet, quod & si propositio illa, cras aut metes aut non metes uera sit: assumptum tamen uidelicet, necesse est alterum, falsum est: quoniam illorum enunciatorum (cùm futuro tempore constet utrunque) neq; uerum neque falsum est ullum. illud nanque cras metes, aut illud cras non metes, neque uerum, neque falsum est. F

Epicuri responsio ex Plotino, Cicerone, & Firmiano, repræhenditur.

Cap. II. G



Verum enimuerò aduersus motum illum Epicuri minimum, quem sine causa fieri ille dicebat, Plotinus (ut in superioribus uidimus) insurrexit, quoniam si admittatur, animam libertate priuat, quam nihilominus liberam Epicurus statuerat. Cicero etiam in libro de Fato, aduersus eundem, Physici (inquit) omnes occlamaut. Quoniam nec sibi, nec Physicorum scholæ Epicurum constare, certum est. Sequitur enim, si quidpiam sine causa fiat, de nihilo posse aliquid fieri: quod nec ipsimet, nec cuiquam Physico unquam placuisse, constat. Quomodo autem id sequatur, non declarauit Cicero. Fortasis ex eo, quoniam si ex nulla efficiente causa fit motus; in nulla etiam materia præexistente poterit recipi: cùm materia, & subiectum motum ab efficiente, ea ratione recipiat: qua ens in potentia est: efficiens uerò ea ratione efficiat; qua est ens actu: quod si id, quod actus est, ad motum non de necessitate requiratur: longè minus illud, quod potentia est, ad eundem requiri uidebitur. Ex nihilo igitur fieri nonnihil poterit. immo ex nihilo, ortum ducerent singula.

Adversus illud etiam, quod de cõtradicentib. de futuro propositionib. idem Epicurus asseruit: posse uidelicet utrasq; simul contradictorias nec ueras, nec falsas esse. obiicit, iis uerbis, Cic. ò admirabilem licentiã, & miserabilem inscitiam disserendi. si. n. aliquid, in eloquendo, nec uerum, nec falsum est, certè id uerùm non est: quod autem uerùm non est; qui potest, non falsum esse? aut quod falsum non est, qui potest non uerùm esse? Hæc ille. Hoc autem quod obiicit Cicero in contradicentibus sibiq; inuicem pugnantibus propositionibus intelligatur, certè si una propositionum earum, quæ sibi inuicem contradicant, uera non est; non potest esse, quin illa sit falsa. similiter si non est falsa; impossibile est, ut non sit uera. Cæteroqui esse potest; ut aliqua propositio neque uera sit, neque falsa; ut utinam essem eruditus. propositionem sumendo fusius, quàm in principio libri priorum sumat Arist. scilicet pro ipsa elocutione, ut Cicero ipse facere uidetur. Firmianus item lib. de Opificio Dei, Epicurum repræhendit. primò. quoniam oculi nihil possunt aliud, quàm uidere; uidendi ergo causa nati sunt. non igitur ex motu sine causa facto temerè fiunt omnia. H

Secundò. si fortuitis atomorum concursionibus, eueniunt omnia, ut pote, quæ sine causa fiant, cur nunquam fortuitò accidit, sic coire illa principia: ut efficerent animal eiusmodi; quod naribus potius audiret; odoraretur oculis, auribus cerneret? Si enim primordia nullum genus

positionis

A positionis in expertum relinquunt: oportuit eiusmodi quotidie monstra generari: in quibus
» membrorum ordo præposterus, & usus longè diuersus existeret; cùm uerò uniuersa genera, &
» uniuersa membra leges suas, & ordines, & usus sibi attributos tueantur: manifestum est, nihil
» fortuitò esse factum. hactenus ille. Si nihil à natura temerè fiat, fit igitur quodlibet ratione quadam, & causa; ut Diodori rationem & placitum per introductionem motus facti sine causa euertere, Epicurus non possit, cùm dari motum huiusmodi sit impossibile.

Ad eandem Diodori rationem, ex Chrysippo, respondetur: Et Chrysippi responsio, ex Cicerone, & Aristotele reiicitur. Cap. III.



CHRYSIPPVS Stoicorum somniorum (dicebat Cicero) uaferrimus interpres (quem Zeno nunquam Chrysippum, sed Cesippum uocitabat) quamuis ineuitabilem necessitatem, in rebus cunctis, quantum poterat, tueretur: in rebus (inquam) cunctis, præterquàm in motibus uoluntatis, quos uoluntatis motus, à fati necessitate, liberos existimabat: & si in uerbis parum sibi constans
B delabatur in eas difficultates, ut in motibus etiam uoluntatis, necessitatem Fati confirmet inuitus: argumentum tamen Diodori dissoluere conatus est. Sed longè alio modo dissoluit, quàm fecerit Epicurus: conatus quidem est illud soluere; quoniam in diffinitione, & quidditate τοῦ δυνατοῦ id est eius, quod possibile dicitur (ut cap. sequenti fusius declarabitur) cum Diodoro ille minimè sentit, secus autem ab Epicuro dissoluit; quoniam ab eo, in hoc quod ait, aliquid fieri posse, sine causa; uehementer dissentit. Nam si hoc, inquit Chrysippus, uerum esset; possetque quidpiam sine sua antegressa causa fieri; sequeretur, non omnem enunciationem aut ueram, aut falsam esse; quod prorsus, repugnante Epicuro, impossibile Chrysippus rectè diiudicat. quòd eius oppositum sit apud Dialecticos ἀξιώμα, & cunctis animi quidam communis conceptus. Respondit igitur ad argumentum Diodori Chrysippus, Cum arguis: si Fabius uerbi causa oriente canicula natus est: non morietur in mari Fabius. si igitur primum, quod in connexo est, necessarium est; fit, ut quod sequitur etiam, sit necessarium. negat simpliciter Chrysippus argumentum: & addit præterea modum
C istum arguendi non ualere, nisi in causis naturalibus. ideo si naturalis est causa; cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest. si autem causa naturalis non est: non sequitur, ut in mari Fabius mori non possit. Sed ut modus arguendi, in omnibus, simpliciter ualeat: pronunciandæ sunt; inquit ille, huiusmodi coniunctiones non illo quidem modo, Si quis natus est oriente canicula, is in mari non morietur, sed isto. Non & natus est quis oriente canicula; & is in mari morietur, ita ut negatio, non cadat semper super ipsa connexione. Et huic opinioni atque huic modo pronunciandi, firmiter ita Chrysippus inhæsit, ut doceret etiam Chaldæos, hoc modo sua præcepta pronunciare.

» SED Chrysippum exclamans simul, atque irridens rectè reprǽhendit Cicero. O licentiam
» iocularem. Ne ipse incidat in Diodorum, docet Chaldæos; quo pacto eos, pronunciare sua præ-
» cepta, oporteat. Quæro enim si Chaldæi ita loquantur, cur Medici, cur Geometræ, cur idem re-
» liqui facere non possunt? Medicus in primis, quod erit perspectum in arte, non ita proponet: si
» cui uenæ sic mouentur, is habet febrem: sed potius illo modo. Non & huic uenæ sic mouentur,
» & febrem is non habet. Itemq; Geometres non ita dicet, si in sphæra maximi orbes sunt, medii
» inter se diuiduntur: sed potius illo modo, Non & sunt in sphæra maximi orbes, & hi non medii
» inter se diuiduntur. Quid est, quod non possit isto modo ex connexo transferri ad coniunctionum negationem?

D ADDE quòd cùm multa sint easdem res enunciandi genera, nullum est, inquit Cicero isto Chrysippi distortius.

TERTIÒ aduersus Chrysippum est Aristoteles, quoniam lib. primo Priorum cap. XXIII. & aliquot sequentibus, dat modos syllogismi hippothetici, inter quos primus est conditionalis ab assertione antecedentis, ad assertionem consequentis. exemplum, si dixero Socrates est homo, ergo Socrates est animal, sed modus iste nullus erit, si Chrysippi enunciationem sequamur. Qui plura uidere cupiat, legat librum Ciceronis de Fato.

ARISTOTELES præterea aduersus Epicurum, sectione secunda de Interpretatione in enunciationibus contradictoriis alteram partem ueram semper esse, & alteram falsam, ostendit. Et hoc præsertim in iis, quæ tempore præsenti uel præterito constant. At in iis, quæ futuri temporis sunt; unam quidem contradictionis partem ueram esse, uel fore, alteram uerò similiter falsam, ultro concedit; neutram tamen, quod Diodori, & Stoicorum sententiæ (ut cum ex toto isto libello, tum ex lib. de Fato, & ex cap. III libri primi Naturalium quæst. Alexandri; intelligi potest) apertissimè refragatur. præterquàm in materia, ita loquuntur Logici, necessaria, uel impossibili,

li, certè & determinatè ueram, uel falsam esse, uel fore permittit. Quapropter contradictionis E quæcunque pars euenerit; uel contingenter tantùm uel etiam temerè, & fortuito, non autem ineuitabili necessitate, illam euenisse, defendit. Quæ quidem Aristotelis dicta ita se habent, ut eorum aliqua Epicuri, qui cuncta temere euenire contendit; nonnulla Chrysippi, qui cuncta, præter motum uoluntatis ineuitabili necessitate euenire est arbitratus, & propositiones enunciandi distortum modum inuenit; omnia uerò Diodori, & Stoicorum communi sententiæ, repugnent. Quam rem ut aliquanto melius intelligamus; & ad argumentum Diodori, uberiorē responsionem habeamus, non ab re fuerit, si fusius paulò περὶ τοῦ ἀδυνατοῦ, hoc est de eo, quod possibile dicitur, disseruerimus; opinionesque Philosophantium uarias, de possibili recitauerimus.

Recitantur plures opiniones περὶ τοῦ δυνατοῦ, hoc est de eo quod possibile dicitur. CAP. IIII.



SCIENDVM igitur est; quòd de ipso possibili, plures extiterunt, in scholis Philosophorum, opiniones. Quidam fuerunt; qui diffinientes ipsum possibile; non rei subiectæ, & quæ possibilis dicitur, temporis uel modi, uel naturæ; sed efficientis tantùm uirtutis, & potentiæ rationem habuerunt. Et ii possibile, illud F esse dixerunt; quod in esse positum, nullam infert pugnantiā, siue contradictionem: hoc est dictu, quod ab aliqua potentia, ut ab illa saltem, quæ infinita est; fieri uel potest, uel potuit. Ita Ioan. Scottus in lib. Theologicarum sententiarum secundo, distinct. VII, ita in lib. tertio distinc. XIII, ita in libro quarto distinct. X, quæst. II, & sæpè alibi possibile diffiniuit; quin etiam ipse Aristoteles, & si infinitam uirtutem semper abhorruerit: non rarò tamen uisus est hoc modo diffiniuisse possibile. ut cum lib. primo priorum cap. XIIII, inquit, falso posito, & non impossibili, quod sequitur, propter positionem, falsum erit, & nō impossibile. & lib. VIII, Physi. auscul. parte sexta supra trigesimam, si ponamus possibile esse, nullum impossibile accidit. Multa etenim in Philosophia supposuit impossibilia in natura, possibilia autem ad intellectum, ex quibus, non solùm non impossibilia, sed necessaria collegit. Hoc autem possibile multi ex nostris Latinis possibile Logicum appellauerunt. Logicum inquā, non à Logica arte, quæ est de demonstratione, aut de ente rationis, & rem realem nō considerat: G sed à facultate, & potentia logica, idest, rationali, siue mauis dicere ratiocinatiua: quoniam apud intellectum saltem, & rationem, cùm nullam contradictionem includat, illud potest habere esse. ut sunt mons aureus, linea infinita, circulus sine materia sensibili, Adam esse, & id genus alia.

ALII contrà non ad uirtutem agentis, sed ad subiecti tantùm, & rei possibilis naturam, uel aptitudinem & potentiam respicientes, possibile illud solùm esse affirmauerunt; ad quod subiectum ipsum, & illud, cui contingere dicitur id, quod possibile est, habet aptitudinem & potentiam: & si aptitudo siue potentia illa sit nunquam in actum, & in lucem profectura. Exemplum. Palea in centro terræ existens, & cui etiam propter impedimentum impossibile sit ignem applicari: & cui nunquam reuera applicabitur, potest inquiunt isti, comburi. quòd aptitudinem, & potentiam, natura sua, habeat palea, ad incendium, etiam si accendetur nunquam. Et hæc opinio à Ioanne Gram. & ante Ioannem, ab Alexandro lib. primo Priorum, ubi de mistione ex una de contingenti, & altera de messe differit Aristoteles, Philoni ascribitur. B. Hieronymus lib. primò aduersus Pelagianos, & ante B. Hieronymum Cic. lib. de Fato. Chrysippo Stoico hanc opinionem utrique ascripserunt: ualde propterea in tractatione, περὶ δυνατῶν. hoc est de possibilibus, Diodoro (de qua re paulò post) aduersatus est Chrysippus. Visus quandoque fuit Alexander (ut H lib. primo Quæst. naturalium cap. III, finem uersus) Stoicis uniuersis hanc opinionem ascribere: ut & si quæ eueniunt, uel non eueniunt inneuitabili necessitate, secundum Stoicos eueniant uel non eueniant: multa tamen, quæ non eueniunt, dicantur possibilia: quia quo ad eorum naturā, & innatam aptitudinem, euenire illa possunt. & si quo ad causas efficientes, & quæ hanc innatam aptitudinem, quantum ad se attinet, in actū uocare possunt ea, quæ non eueniunt, euentu sint impossibilia; quoniam prohibitæ sunt ne illam potentiam ad actum deducant.

ALII sunt tertiò, qui & ad efficientis uim atque potentiam, & ad subiectæ rei aptitudinem, & ad tempus præterea, in quo id, quod dicitur possibile, eueniat; respici uoluerunt. Et iis tribus uidelicet efficientis uirtute, subiecti aptitudine, & temporis quadam definitione unà collectis ipsius possibilis naturam integrari crediderunt. Hi autem sunt bipartiti. Quidam nanque tempore solùm præsenti ipsum possibile metiti sunt: dixeruntq;, illud tantùm esse possibile; non quod non est, & potest esse; aut quod est, & potest non esse, hoc est, ea ratione qua non esse potest, sed id, quod tantùm est, atque actu tantùm existit. hoc est ea ratione, quæ actu est. Quod enim non est: quamuis uel futurum sit: uel etiam præterierit, possibile dici posse isti noluerunt. Protagoricis à Ioanne Gram. in commentationibus lib. secundi de Anima ad tex. CXXXVIII, ista opinio ascribi

A ascribi uidetur. Megarensibus ab Aristotele lib. nono Metaphysicæ tex. v. eadem imponitur. Hi autem sunt, inquit ibidem Alex. (si tamen expositio illa sit Alexandri) qui Zenonem sectantur, cõtra quos, Arist. loco citato inuehitur. Sed cum Zeno Stoicæ familiæ princeps uideatur; mirum, quod Stoicis (si Megarenses sunt, qui Zenonem sequuntur) uel in lib. quæst. naturalium, uel in lib. de Fato, non fuerit hæc opinio, ab ipsomet Alexandro, imposita, & ascripta.

Qvidam uerò & tempore præsenti, & tempore futuro, poßibile ipsum metiuntur, & terminant. Et hi rursus bipartiti sunt. Quidam enim, ut Diodorus, tempore præsenti, uel futuro necessitatem etiam absolutam siue ineuitabilem, in ratione poßibilis annecti uoluit; ita ut illud tantùm, apud Diodorum, & eos, qui illum sectantur, poßibile dicatur: quod uel nunc est, uel in posterum saltem omnino futurum est. Dat exemplum Alex. me Corinthi esse, iuxta Diodori opinionem, poßibile est: si uel Corinthi nunc sim; uel saltem Corinthi futurus aliquando prorsus sim; quòd si Corinthi neque nunc sim; neq; sim aliquando futurus; nec me Corinthi esse erat poßibile. Vt omnino in ratione poßibilis, necessitatis ratio absolutè & simpliciter sit annexa: si tamen quod reuera poßibile est, & quòd absolutè & simpliciter est necessarium, annecti inuicem possunt; & non potius uerum sit illud; quod in quæstionibus naturalibus probauit Alex. uidelicet, quòd illi, qui fatum idest seriem causarum ponunt unde cuncta de necessitate eueniant, & poßibilis, & contingentis naturam euertant. Hæc opinio ab Alexan. Stoicis ascribitur; & tum

B in lib. de fato, tum in quæst. naturalibus, ab eo, acerrimè, & doctißimè refutatur.

Arist. & qui Aristotelem sequuntur, ex materiæ aptitudine, quæ ad opposita est, ea ratione, qua ad opposita est, poßibilis naturam assumpserunt: cum quadam relatione ad efficientem causam ob eam rem, poßibile ipsum in plura genera partiti sunt, & aliquod poßibile æqualiter, aliquod poßibile ut in pluribus, aliquod ut in paucioribus dixerunt; & huius aliquod dicitur fortuna, aliquod casus. Vniuersum autem poßibilis genus præsenti, uel etiam futuro tempori alligari permiserunt Peripatetici quidem: sed modis ab Stoicorum opinione longè diuersis: ut præsenti, cum quadam euentus certitudine, & determinatione: futuro uerò nulla prorsus cum certitudine, & determinatione: de futuris nanque contingentibus nullam esse ueritatis certitudinẽ affirmant. quin etiam Peripatetici modis quibusdam necessitati poßibile aliquando coniunxerunt, quod libro octauo cap. ultimo, diligenter declarabitur. nunc autem tantùm dictum sit, quòd hæc necessitas quæ naturæ eius, quod poßibile dicitur, coniuncta est; non absoluta aut ineuitabilis necessitas est, sed euitabilis & cum conditione. Nam poßibile, quod cum tempore præsenti coniunxerunt peripatetici, duplicem ex conditione, cum necessitate habere connexionem ipsemet Arist. asseruit: longè tamen utranque ab ea (ut diximus) diuersam; quã posuerunt Diodorus, & Stoici. Vna (ut ipsemet Arist. secunda sectione libri Perihermeniæ scriptum reliquit) est:

C quatenus omne quod est, quando est, necessarium est esse. Altera est; quatenus omne, quod necessarium est esse, est etiam poßibile esse: quia si quod necessarium est esse, non esset poßibile esse, esset igitur impoßibile esse; quod absurdißimum esse constat. Et quamuis hæc posterior annexio, magis dici posset annexio necessarii cum poßibili, quàm poßibilis cum necessario; Quia tamen annexio est relatio: relatio autem mutua est, quod relatiua ad conuertentiam dicantur, ideo non solùm illam esse annexionem necessarii cum poßibili, sed etiam poßibilis cum necessario, dicere, nihil prohibet. Et huiusmodi poßibilis cum necessitate annexionem, annexionem per consequentiam appellare possumus. omnino enim (ut quarta sectione lib. Perihermeniæ docuit Arist.) ad necesse esse, sequitur poßibile esse. illam uerò necessitatis annexionem, qua id, quod poßibile est, dum est, necesse est esse, annexio ex suppositione communiter appellatur. utraque uerò annexio, & ex conditione; & ex suppositione, & per consequentiam dici potest.

Illvd poßibile, quod cum futuro tempore coniungitur, ad doctrinam Aristotelis, bifariam subdiuidi potest. Vno modo, quatenus quoddam quidem dicitur poßibile, quia non est quidem, potest autem esse: sed cum dicimus, potest esse, intelligimus, quòd sicut potest esse, ita po-

D test non esse; consideratur tamen ut potest esse, ut me currere. Et hoc proprie lib. primo Priorũ, cap. xii. ab ipso Aristotele contingens appellatur. Quoddam uerò poßibile dicitur; quia est quidem: sed potest non esse: sed cum posse non esse dicimus, uolumus dicere, quòd sicut potest non esse, ita põt esse; consideratur tamẽ ut potest non esse: ut me scribere; considerando sanè actũ meum scribendi, quatenus non esse potest. Et hoc propriè appellatur ab eodem, poßibile.

Altero modo rursus poßibile illud, quod futuro tempore metitur, ita potest diuidi; ut dicamus, quoddam esse poßibile, quoniam non est quidem, potest autem in futurũ esse; quoddam uerò quoniam est, potest autem in futurum non esse. Quod autem non est, & potest esse, & quod est, & potest non esse, est duplex; quoddam quod sicut potest esse, ita potest non esse, & sicut non esse, ita contrà esse potest: ut siue erit, siue non erit, contingenter erit, aut non erit; quoddam uerò, quod ex necessitate (physicè loquendo) & ineuitabiliter statutis temporibus ita potest esse quòd non potest non esse, & contrà ita potest non esse, ut esse nequeat. Horum poßibilium di-

uerſitatis ratio illa eſt. Quoniam illa, quæ non ſunt, & poſſunt eſſe, uel contrà quæ ſunt, & poſſunt E
non eſſe, duplicia ſunt. Nempe quædam ſunt, quæ ſui futuri eſſe, uel non eſse, cauſam neceſſariam
& ineuitabilem habent, ſicut eſt Lunæ Eclipſis, Solis ortus craſtinus, Veris & æſtatis aduentus,
uel receſſus etiam poſt aduentum, & huiuſmodi multa. Quædam uerò ſunt, quæ ſui futuri eſſe,
uel non eſſe, cauſam nullam ineuitabilem, aut neceſſariam: ſed contingentem tantùm, uel etiam
temerariam habent; priora illa, & ſi inter poſsibilia connumerari poſſunt: quod omne (ut paulò
ante dicebamus) quod neceſsarium eſt eſſe, uel non eſse, fore, uel non fore, ſit etiam poſsibile eſſe,
uel non eſse, fore, uel non fore. dicuntur tamen impropriè poſsibilia, propriè autem neceſsaria,
ſiue potius ineuitabilia. Et à Græcis (ut lib. quinto de Partibus animalium cap. v i. & in commen
tariis de Generatione & Corruptione, & in tractatu de Diuinatione per ſomnium, & alibi nota-
uit Ariſtoteles.) ἐσόμενα uocitantur, iſta uerò tantùm poſteriora, quæ ſui futuri eſſe, nullam cau-
ſam neceſſariam habent, inter poſsibilia & contingentia ſunt propriè, ſecundum Ariſtotelem,
cenſenda, & à Græcis appellantur μέλλοντα. Futura iterum, καὶ τὰ μέλλοντα, tum in duas tum
in tres partes diuidi poſſunt. in tres quidem, ut eorum quæ poſsibilia appellitantur; quædam ut
in pluribus, quædam ut in paucioribus, alia, ut ex æquo poſsibilia dicantur. In duas uerò quate-
nus poſsibilium quædam à materia, & ab agente per inclinationem, & propenſionem ſuæ natu- F
ræ eueniunt: quædam uerò ab agente ex electione, & arbitrio, & utraque duplicia ſunt: quoniã
agens aliquando finem, quem intendit aſſequitur, aliquando non. ſi aſſequitur, ſit poſsibile tan-
tùm, ſi non aſſequitur, & ſit agens per naturæ inclinationem, ſit poſsibile, quod caſus dicitur. ſi
eſt agens per electionem, ſit poſsibile quod fortuna appellatur. Sed de poſsibili hactenus.

Ad argumentum Diodori peripateticè reſpondetur. Cap. v.



OSVIMVS plures opiniones, & inſuper plures modos eius, quod poſsibile dici-
tur, nunc Ariſt. ſummi ſine controuerſia Philoſophi doctrinã ſequuti, & modos
ſingulos breuibus examinabimus & argumentum Diodori diſſoluemus. Pri-
mus modus fuſius ſumpſit poſsibile; quàm ad diſputationem noſtram ſit opus.
amplectitur enim etiam ineuitabilis neceſſarii naturam. Non enim contradi-
ctionem includit, immo uero maximè conſentaneum eſt, uti poſsibile ſit il-
lud eſſe, quod ineuitabili neceſsitate eſt.

Modvs ſecundus contrà arctius nomine poſsibilis utitur. nam et ſi ab aptitudine materiæ G
(ut libro ſecundo declaratum fuit) id quod poſsibile dicitur, reuera ortum ducit; ſunt tamen in-
ter poſsibilia nonnulla, quæ agentium impotentiæ aſcribuntur magis, quàm materiæ aptitudini,
ut ſunt temeritates, & monſtra. Cæterum ſatis ad ueritatem accederet modus, niſi auctores ſui
illum ipſum euertiſſent, ponentes, id quod non ſit, eſſe prohibitum fieri; non poſſe item fieri,
quod fieri prohibitum eſt. Vnde ſequitur, ut id, quod minimè ſit, ſit impoſsibile fieri, impoſsi-
bile igitur non autem poſsibile illud appellandum eſt, quod nunquam fiet.

Tertivs aut neceſsitatẽ magis, quàm poſsibilitatem ſignificat: neceſsitatem, inquam, ex
ſuppoſito, quoniam omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe; aut imperfectè admodum poſsi-
bilis naturam explicat.

Qvartvs neceſsitatem abſolutam & ineuitabilem indicat, ut deſtruat, ac euertat id, quod
poſsibile dicitur, non autem definiat aut declaret. Vniuerſi igitur hii quatuor modi ineptè ad-
modum id quod poſsibile dicitur declararunt; nonnulli etiam illud euerterunt. Supereſt modus
quintus, ut id, quòd poſsibile dicimus, penès Ariſtotelis ſententiam metiamur: & illa uerè, &
propriè cenſeantur à nobis poſsibilia: quæ tum per aptitudinem materiæ, tum per relationem H
ad agentem cauſam, & eſſe poſſunt & non eſſe; ita ut ineuitabilem, aut neceſſariam cauſam non
habeant: ſed contingentem tantùm, uel etiam incertam, & temerariam; ut ἀναίτια potius & ſi-
ne cauſa (ut uiſus eſt aliquando dicere Alexander, de temerario euentu) eſſe dicantur, quàm ex
cauſa neceſſaria, & ineuitabili. Cum igitur ea, quæ hoc modo poſsibilia ſunt: & quæ μέλλοντα
propriè nuncupantur, ante euentum, non habeant ſui euentus neceſsariam, aliquando etiam cer-
tam, & determinatam cauſam, & talem, quæ ab intercurrentibus cæteris cauſis impediri non
poſsit, ſed contingentem, aut etiam temerariam, & fortuitam, & admodum inualidam; nulla
propterea, ſecundum doctrinam Ariſtotelis, in huiuſcemodi futuris poſsibilibus pars contradi-
ctionis eſt, quæ certè, & determinatè uera, uel falſa cenſeri poſsit. Sed quælibet uera indifferen-
ter, uel falſa eſse poteſt.

Cvm arguis Duarum contradicentium propoſitionũ una, de neceſsitate uera eſt, altera falſa.

Dicendvm, quòd in illis propoſitionibus, quæ futuri temporis ſunt, & in materia neceſ-
ſaria, uel etiam impoſsibili, neceſse eſt quidem alteram definitè ueram eſse, & alteram falſam, ita
ut pars illa, & illa propoſitio, quæ uera eſt, falſa eſſe non poſsit, & contrà, quæ falſa eſt, uera fieri
minimè

A minimè queat. At in materia posſibili, uel contingenti, & ſi neceſſe ſit alteram ſimiliter eſſe ueram, uel falſam, neutram tamen determinatè, ſed cum diſiunctione tantùm hoc eſt, unam, uel alteram. ita uidelicet ut ea, quæ uera ſit, non ita ſit uera: quin poſsit eſſe falſa; & contrà ea quæ falſa, non ita ſit falſa, quin uera eſse poſsit.

CVM iterum arguis. Cras uel metes, uel non metes, neceſse eſt enim alterum. Si metes non forſitam metes, forſitam non metes: ſed omnino metes. Similiter ſi non metes, non forſitã non metes, forſitam metes: ſed omnino non metes. tollitur igitur id, quod dicitur forſan: & ipſa contingentia. igitur &c.

DICENDVM ad argumentum, per ea quæ à nobis de ipſo poſsibili, hactenus dicta fuere. Neceſse eſt nempe alterum, ſed (ut paulò ante dicebamus) cum diſiunctione aut hoc, aut illud; cum determinatione uerò huius, uel illius; neutrum. Cum proſequeris, cras ſi metes non forſitan metes, forſitam non metes; ſed prorſus & neceſsariò metes. Reſpondet egregiè Ammonius, ſecunda ſectione libri cui titulus περὶ ἑρμηνείας, hoc eſt de Oratione; & inquit. Cum ſupponis, te cras meſsurum, & arguis; ſi metes &c. Ad quem modum te cras meſsurum ſupponis? contingẽter'ne te meſsurum ſupponis; an ineuitabili neceſsitate? Si contingẽter, habemus propoſitum. Nam ſi contingenter metes: poteris non metere: ſi ineuitabili neceſsitate: petis principium, uiſq; tibi id ultro concedi; de quo eſt controuerſia: & quod tibi erat probandum.

B CVM rurſus altero ſumpto exemplo arguis. Morietur noctu in cubiculo ſuo Scipio, ui oppreſsus: propoſitio, eſt neceſsaria: quoniam id fore enunciat, quod uerum eſt fore; cuius ueritatem euentus rei probauit. ponas enim nunquam euenturum eſse, & non eueniſse: quod enunciat, propoſitio erit falſa, nedum neceſsaria.

DICENDVM quòd ab eo, quòd res eſt, uel non eſt, oratio dicitur uera, uel falſa, & pro ratione modi eſſendi ipſius rei, dici poteſt etiam neceſſaria, uel contingens, poſsibilis, uel impoſsibilis. Res autem etiam contingens, & poſsibilis, & ſi ea ratione ſit neceſſaria (ut libro octauo cap. ultimo fuſius declarabitur) qua in præteritum tranſiuerit; antequam tamen res, quæ futura enunciatur, euenerit, niſi cauſas neceſsarias & infallibiles, atq; ineuitabiles habeat; poteſt & euenire, & non euenire, & tunc præpoſitio neq; uera determinatè, neq; falſa eſſe poteſt, quando rem contingenter futuram enunciat, ſicut eſt illa, Morietur noctu, &c. falſum igitur omnino eſt, quod ante euentum fuerit uera. Nam ante rei euentum, neque uera, neque falſa erat. Si dixeris rei euentus probauit propoſitionem ſemper fuiſse in præterito ueram. Reſpondebo, falſum eſt ſed probauit tantùm: quòd in poſterum ſemper erit uera. hoc eſt, illis temporibus, quibus uos Stoici, neq; neceſsariam, neq; ueram illam eſse arbitramini. Euentus enim rei, qui euentus omnino contingens fuit, cauſas mortis Scipionis, noctu, & in ſuo cubiculo, & ui, præfuiſse neceſsarias,

C & ineuitabiles non facit, aut demonſtrat, quemadmodum oportebat: ad hoc, quod propoſitio illa ante euentum, eſset determinatè, & abſq; dubitatione uera.

AD Aſtrologorum exemplum de Fabio. Si natus eſt oriente canicula, non morietur in mari; igitur priore poſito, neceſse eſt ſequi poſterius. Si igitur in mari non moritur Fabius; non contingenter in mari non moritur; ſed de neceſsitate; & ita de cæteris omnibus rerum euentibus exiſtimandum eſt, cum cuncta certis ſideribus oriantur. Omnia igitur ineuitabili neceſsitate eueniunt.

DVO dicerent Peripatetici, Vnum, nullam in Fabio eſſe neceſsitatem nec conditionis, nec relationis, cur in mari mori ille non poſsit; etſi oriente canicula ille ſit natus. quod (ut ſuperius à nobis abundè dictum, & oſtenſum fuit) cœleſtia corpora (ad eorum opinionem) motu tantùm, & lumine, & nullo influxu, uel occulta qualitate agant. Et ideo etſi oriente canicula natus eſt Fabius; poteſt nihilominus in mari idem mori & poteſt non mori. Nihil enim ad mortem Fabii canicula. Irrident & rectè profectò hæc, & huiuſmodi cætera Caldæorum præcepta; & aſtrologorum deliramenta illi; qui Ariſtotelis præcepta, & diſciplinam ſectantur; & candide (ut decet quẽlibet) philoſophantur. Alterum, eſto ut genethliacis darent, natum cum oriente canicula, in mari

D mori non poſſe; & ſimul Fabium ortum fuiſſe oriente canicula; & concluſionem admitterent, Non poſſe in mari mori Fabium. Hanc tamen non moriendi in mari neceſsitatem, quæ in Fabio dicitur, non ineuitabilem illi dicerent; ſed ex conditione tantùm, & ſuppoſitione. Nam uno poſito aliud ſequitur. quod autem ponitur, Fabium uidelicet cum caniculæ ortu, natum fuiſſe; cõtingens eſt, potuit enim prius, uel poſterius naſci; ut prius uel poſterius in utero potuit concipi. Igitur id, quod inde ſequitur, non poſſe in mari mori Fabium, ineuitabiliter neceſſarium eſſe non poteſt; ſed tantùm ex ſuppoſitioue.

Ad idem Diodori argumentum ex Theologo reſpondetur. CAP. VI.



D ILLVD Diodori argumentum, Theologus diceret, Alteram contradictionis partem determinatè quidem, sed contingenter, ueram esse, alteram falsam, illam scilicet, quam ab æterno diuinus intellectus nouit, aut etiam fortasse statuit, ueram esse, uel falsam. Determinatè, inquam, si diuini intellectus præstantiam, quem latere nihil potest, non autem si causæ inferioris, à qua propositionis ueritas, uel falsitas emanat, infirmitatem & inconstantiam consideres; respectu cuius, ut incertus euentus est; ita nulla contradictionis pars uera determinatè, aut falsa, dici potest. Igitur ex contingenti semper, aliquando etiam temere, & fortuitò, euenit id, quod illa euenire denunciat. Ad quem autem modum cum contingentia, & temeritate non pugnet certa, & infallibilis, de euentu, apud Deum, & determinata cognitio; & superius aliqualiter diximus; & inferius in responsione ad tertiam rationē ubi de diuina præscientia erit sermo, & toto libro octauo sumus exactius declaraturi. Ad argumentum ex messe crastina, idem theologus diceret; quid philosophus dixit. Influxus similiter cœlestes irridet theologus, & damnat illa Chaldæorum præcepta omnia. Vt quod natus oriente canicula in mari, mori non possit. Natus signo aquarii piscator sit futurus, facundus, sed mendax, & instabilis, in cuius natiuitate conueniat cum Venere Mercurius. Miles, qui sub Marte sit natus, & aliàs huiusmodi uanas Chaldæorum præceptiones; quibus mendax oraculum Delphicum tunc subscripsit; cum militi interroganti, cur rei tam periculosæ operam ipse daret; responderit; Mars te genethliacus impellit. Hæc autem ne à fidelibus quidem audiri; sed contrà potius explodi, planeque reiici sapienter docet theologus. E F

Ad secundam pro Stoicis rationem, quæ fuit Chrysippi; & ex philosopho, & ex theologo respondetur. & argumentum Chrysippi nullum esse declaratur. CAP. VII.



D SECVNDAM rationem, quæ est Chrysippi, quoniam omnia, antecedentibus causis fiunt, hoc est, certa causarum serie fiunt omnia; quæ autem ex antegressa causarum complicatione fiunt; ineuitabili necessitate fiunt, cuncta igitur ineuitabili necessitate eueniunt. De causarum connexione exemplum est, apud D. Thomam, lib. tertio Contra gentes cap. XCIII, quod sumpsit ab Aristotele lib. sexto Metaph. parte VII. ut si dixerimus fore quempiam ineuitabili necessitate à latronibus occidendum; quoniam huius effectus præcedet causa, occursus latronum; huius etiam effectus causa præcedit, domo exire; huius alia causa, aquam inquirere; huius causa erit sitis; cuius causa erit salsorum comestio. Nam si posita causa, necesse sit effectum poni, qui effectus sit alterius causa, necessum erit, ut qui comedint salsa, sitiat; si sitierit, quòd aquam, uelit inquirere, quam si inquisierit, quòd domo exeat; si domo exierit, quòd occurrant ei latrones; si latrones occurrerint, quòd eum occidant. G

AD hoc igitur argumentum respondemus; atque quodlibet, ex antecedente aliqua causa, uel etiam ex aliquo causarum ordine, fieri, cùm Philosophis, & Theologis omnibus, ultro concedimus. Non enim probamus, in hoc loco, Alex. Aphrod. qui in lib. de Fato cap. VII, uisus est hoc negasse, quod non Chrysippus tantùm, & Stoici, sed omnes (ut diximus) sentiunt Philosophi, & Theologi: omnia uidelicet ex anteiactis causis proficisci. Cicero lib. secundo de Diuinatione subscripsit propositioni (inquiens) quicquid enim oritur qualecunque est; causam habeat à natura necesse est. Et paulò post. Illud exploratum habeto; nihil fieri potuisse sine causa. Plotinus in principio lib. de Fato, admonet, ut fieri aliquid sine causa, nullo modo debeamus admittere. Plato in Timæo. Quicquid (ait) gignitur, ex aliqua causa necessariò gignitur, sine causa uerò oriri quidquam, impossibile est. B. Augustinus libro primo de ordine cap. IIII. Nescio (inquit) quomodo animum non latet; nihil fieri sine causa. Iob cap. v. Nihil in terra sine causa fit. Nec minus cum rerum naturæ ratione fieri quidpiam sine causa pugnat (ut doctè, & copiosè prosa prima libri quinti de Consol. Philos. demonstrauit Boethius) quàm ex nihilo aliquid fieri, quod Physici omnes semper negauerunt. Galenus libro primo Methodi medendi cap. VII. nihil absque causa fieri, axioma (inquit) est indemonstrabile. Verùm & si cum philosophis (ut diximus) & Theologis omnibus, proloquium istud admittamus, ex antegressisque causis, & causarum complicationibus, fieri unumquodque asseramus; non tamen ineuitabili necessitate, unumquodque fieri, cum Physicis plurimis, & omnibus cordatis Theologis, rectè putamus. quoniam ex priore causa aut etiam connexione, ineuitabili necessitate, posterius non sequitur. Vnde necessum est, ut argumentum Diodori prostratum iaceat. Vt enim libro tertio dictum, & fusè declaratum fuit; in his, quæ uel natura, uel arte fiunt, non colligitur effectus ex causa; sed contrà, causa ex effectu. Si igitur connexus ille causarum, in eo sensu sumatur, in quo, illum H

sumpsit

A ſumpſit Chryſippus; ita ut ex cauſa inferre liceat effectum tanquam qui à ſua cauſa, ineuitabili neceſsitate, producatur; nullo modo acquieſcendum eſt Chryſippo dicenti; unum quodque ex antegreſſa cauſa fieri. Hinc enim ſequitur, & ex cauſis effectus ſemper inferri licere; & ea, quæ procedunt, ſequentia urgere, atque cogere. immo cum Cicerone ſentiendum erit, qui in libro de Fato cum Carneade, Chryſippi argumentum, contra auctorem ſuum hoc modo retorquendum, iudicauit, Si omnia antecedentibus cauſis fiunt; omnia naturali colligatione conſerta; contextaque fiunt; quod ſi ita eſt; omnia neceſsitas efficit; id ſi uerùm eſt nihil eſt in noſtra poteſtate. Eſt autem iuxta Chryſippi, & Stoicorum opinionem, aliquid in noſtra poteſtate; at ſi omnia fato fiunt, omnia cauſis antecedentibus fiunt; non igitur fato fiunt, quæcunque fiunt. quoniam non antecedentibus ſemper cauſis fiunt; quæcunque fiunt. Quod argumentum præcedentes cauſas illo modo intelligendo, quo intellexit Chryſippus, ut quod prius eſt ſuo poſterio, & ſequentis neceſſaria cauſa quamuis optimum, atque efficax ſine dubio ſit; & aduerſus Chryſippum concludat; atque demonſtret. illumque omnino urgeat; non ita tamen fuit à Carneade contra auctorem ſuum productum & illatum; ut uel euentuum eorum, qui aliunde quàm ab animi uoluntate procedunt ineuitabilem neceſsitatem labefactaret; uel propoſitionem illam, quod ex antegreſſa cauſa fit, de neceſsitate fiat, euerteret. utrique enim id eſt, & illi proloquio, quod fit,

B ab antecedente cauſa fit; & ineuitabili euentuum neceſsitati, Carneades ultro ſubſcripſit. Omnia inquam ex præcedentibus cauſis fieri dixit, præter animi, & uoluntatis motum. quoniam motus animi ſine cauſa fieri, ille exiſtimauit. Carneades nanque illa tantùm ex antecedentibus cauſis, fieri, putauit: quæ à cauſa extrinſeca fierent; non ea, quæ ab intrinſeca, ut pote à ratione, conſilio & electione, ut eſt motus uoluntatis. motus propterea animi (ut dictum eſt) ſine cauſa

» fieri, ipſe eſt opinatus. Sed abutebatur re uera (inquit Cicero) Carneades, communi conſue-

» tudine ſermonis: quemadmodum abutimur, cum dicimus uas eſſe inane. Non enim loquimur

» propriè, ut Phyſici, quibus inane eſſe nihil placet: Sed ita, ut uerbi cauſa, ſine aqua, ſine uino, ſi-

» ne oleo uas eſſe dicamus. Sic cum ſine cauſa, animum moueri dicebat Carneades: ſine antecedente, & externa cauſa, non autem omnino ſine cauſa moueri illum dicebat, quòd ab interna cauſa animum cieri ſit ille etiam opinatus. Verùm (ut ad rationem Chryſippi redeamus) ſi propoſitionem illam. Quod fit, fit ex antecedente cauſa. in ſenſu, in quo eadem Chryſippus uſus eſt, Alex. negauit: quatenus ſcilicet ex certis quibuſdam, & determinatis, æterniſque (ut opi-

C nati ſunt Stoici) naturæ neceſsitate manantibus cauſis, quas certæ quædam aliæ, & determinatæ cauſæ, & iſtas aliæ, ſerie quadam, & connexione perpetua, atque ineuitabili, de neceſsitate conſequerentur; fieri unumquodque Chryſippus putauit: ita ut cuilibet effectui certa, & determinata quædam aſcriberetur cauſarum ſeries: in qua poſterior & ſubſequens certam & determinatam præcedentem cauſam neceſſariò inſequeretur; quæ hanc ſibi proximam, & ſequentem propelleret, & hæc aliam ſequentem, & ita deinceps, ita ut ſicut illam præcedentem hæc non ſequi; ita ſe inſequentem eadem non propellere, non poſsit; & ſe haberent rerum cauſæ ad modum (ut lib. ſecundo Quæſt. naturalium cap. XXXV, uidetur dixiſſe Seneca) rapidi torrentis, in quo pars prior, & quæ ſuo principio eſt proximior, ſubſequentem ſibi proximam, ex neceſsitate propellit; & hæc aliam ſibi ſequentem proximam: atque ita deinceps ad rei euentum uſque procederetur. quo producto, nec tum quidem in cauſis perſiſtatur: Sed euentus iſte cauſarum ſeriei inſertus, aliam cauſam propellat; unde euentus alius procedat; & hoc in infinitum. Si inquam in hoc ſenſu Alex. illam Chryſippi propoſitionem negauit (quemadmodum credendum eſt illam negaſſe; quod ſatis manifeſtum eſſe illi poterit; qui locum illum perlegerit, & caput præterea quar-

D tum libri primi ſuarum quæſt. naturalium) Alexandrum bene feciſſe, optimeque ſenſiſſe affirmabimus. Non enim quippiam contingenter, uel temerè, & caſu, fieri poſſet; ſi rerum euentus hoc modo in lucem ederentur; ſed cuncta ſine dubitatione aliqua, impermutabili neceſsitate procederent. Non tamen contingenter quidpiam, aut temerè fit: quia ſine aliqua cauſa, & ſine aliqua cauſarum complicatione fiat; cum ſine ſua cauſa; & ſine aliqua cauſarum complicatione, (ut paulò ante dictum fuit) effectus poſsit eſſe nullus. Sed quia, antegreſſæ aliquæ cauſæ fortuitæ, & minimè neceſſariæ ſunt. Hoc nempe (ut lib. ſexto Metaph. parte VII conſtare poteſt) dicunt Peripatetici; cauſa nanque quæ præceſsit; non erat ad hunc euentum, qui ſequutus eſt, præordinata. Socrates ad Cynoſargos de ambulaturus exibat; Sed interea à Clinia, ad patrem Axiochum, de non timenda morte diſputaturus uocatur. ad quem modum capitis fractio contingenter, uel etiam temere fieri dici poteſt: tum quia non ſolùm ex caſu lapidis (ut nunc gratia exempli facta eſt) ſed multis etiam aliis cauſis fieri poterat. tum quia aliud tam homo ſiue præteriens, ſiue ſedens, quàm lapis deſcendens, intenderent. Quamobrem ſi teſtudinis deſcenſu fracto capite perierit Aeſchilus; uel ſi Icadio in ſpelunca exiſtenti, caſu lapidis crura ſint fracta; ſine dubio, temere, nedum contingenter, non tamen ſine cauſa eueniſſe quod euenit cenſendum erit. temerè inquam, ſi ad humanum ingenium uel ad proximam cauſam illius interitus,

uel

uel huius cruris tractio (Physicè loquendo) referatur : quod non ideo demissa fuerit testudo, uel descenderit lapis, ut illius caput, huius uerò crura frangerentur. at si ad primam causam, & ad Deum ipsum relatio fiat; ad quem modum & temerè, & non temerè id euenisse, tam Physicè, quàm Theologicè, dici potest, in superioribus à nobis declaratum fuit. dictum est enim superius; quòd nunc iteratò meminimus; effectum nullum ad Catholicorum Theologorum, & multorum Philosophorum sententiam, (si ad primam causam fiat relatio) temerarium simpliciter, & casualem esse posse. ad Peripateticorum nanque disciplinam, aliqui aliquo modo ad Deum etiam relati effectus dici possunt casuales, & temerarii : nullus autem absolutè, & simpliciter fortuitus, uel temerarius dici potest. Sed de iis prius abundè dictum est. E

Ad quem modum nitatur tueri arbitrium Chrysippus, & præterea quam ineptè illud tueatur, ostenditur. CAP. VIII.



CAETERVM Chrysippus, quoniam ex ratione sua, periclitari animæ nostræ libertatem uidebat; ut eam (quantum sibi fas erat) defenderet, causas bifariam partiebatur; ut alias perfectas ac principales; alias imperfectas & adiuuantes, & proximas nuncuparet. priores illas præpotentes existimauit; ita ut animi uoluntate excepta, cuncta cogerent, atque urgerent; posteriores uerò, fortè quòd imbecilliores essent, & infirmiores, allicerent tantùm & excitarent, non etiam cogerent. & ab istis solùm animus (inquit Chrysippus) noster mouetur quidem, sed nulla necessitate, nullaque ui cogitur, uel propellitur. Quum igitur multa animum irritent, uel alliciant; nihil est (inquit) quod illum cogat, necessitetque. quamuis enim appetitus animi ex antecedente causa fit, uiso enim necnon obiecti specie mouetur, atque excitatur; & quasi signatur, uisum tamen proxima, & adiuuans causa est quæ (ut dicit) non cogit, & impellit, sed excitat tantùm animum atque expergiscit; Sed ad reliqua uero ipse per se mouetur excitatus, animus. Rem duplici exemplo Chrysippus declarabat. Cylindro & turbine siue troco, quæ Cylindrum (inquit) protrudit; dat illi quidem principium motionis, hoc est illum ad motum excitat, sed non dat illi uolubilitatem : at excitatus natura sua uoluitur. Idem euenit turbini si quis uel solo uerbere illum tangat, & ad motum excitet. excitatus sanè in girum uertitur per se. Ad hunc modum uisum & obiectum uel potius simulachrum obiecti imprimet quidem, & quasi significabit animo speciem suam : propter autem simulachri impressionem appetere quidpiam uel non appetere, assentire cuipiam uel dissentire, in nostra animi potestate situm est; eoque (quemadmodum in Cylindro dictum est) ab extrinseco pulsus atque excitatus, ad id, quod reliquum est, id est ad assentiendum uisis, uel dissentiendum, suapte ui & natura mouebitur. G

VERVM enimuerò neque hoc modo animi libertatem tueri Chrysippus ualet; negare nanque non potest; quin causæ adiuuantes & proximæ principantium & antecedentium causarum seriem, & uim impulsúmque de necessitate sequantur, alioquin à cæteris causis sciunctæ essent atque diuulsæ, non ergo causarum ordo esset continuus atque perpetuus ab æternitate procedens. quod Stoicis maximum incommodum est.

SECVNDO quoniam secundum Chrysippum fit nihil, cuius non præcesserit legitima causa. aliqua ergo est causa motus animi, si uisum non est, alia igitur, sed quæcunque sit illa, non potest, ad Stoicorum decreta, modò mouere modò non mouere, aut nunc uno, nunc altero modo mouere. Hoc enim asserere inquiunt Stoici, est motum sine causa introducere, & Mundi administrationem euertere. illa ergo animam ad motum, & ad huiusmodi modum animum impellet atque urgebit.

TERTIO quoniam posita ab eo exempla arbitrio non fauent, immo contrà aduersantur maximè, qui nempe Cylindrum aut turbinem protrusit; fecit ut Cylindrus & turbo ineuitabili necessitate circumuolueretur : quòd motum alium illi non habeant, sed pro impulsus ratione non circumuolui non potuerunt. uisum ergo, si stamus in exemplo, quoniam animum excitat mouetque ineuitabili necessitate dabit ipsi animo uel assensum, aut dissensum; ut si à uisis modo alio moueri, uel excitari ille non possit. dabit inquam assensum animo, uel dissensum non cum disiunctione; sed alterum determinatè. unde nulla in animo relinquetur libertas. uel aliquid ingenerabit animo, quod utraque illud fuerit, quod assensus uel dissensus, mediata uel immediata causa erit ineuitabiliter. Aut igitur dicendum est animum non moueri uisis (quod Chrisippus negat) aut si mouetur, ad assensum denique uel dissensum, hoc est ad eorum alterum determinatè moueri, contra Chrysippum, necessarium erit. Quamobrem rectè Cicero ad finem lib. de Fato, contra Chrysippum collegit, uel non fieri omnia præcedentibus causis, uel si fiant, Fato fieri, aut asensiones animi uel disensiones omnino aut sine causa, aut Fato & ineuitabili necessitate fiant. H

A ADDE quòd Platonici (ut libro quarto de Immortalitate animorum cap. II. refert Ficinus) appetitum asserunt à cogitatione excitari; cogitationem uerò à fatali illius animæ lege. Vnde & appetitus erit à fatali lege; assensus autem, & dissensus species sunt quædam ipsius appetitus.

QVARTÒ Stoici (ut cap. XIII libri de Fato retulit Alexander) etsi causarum differentias cōstituant plurimas; ut quasdam appellent fatales, alias consatales, alias habituales, alias contentiuas, alias concausas, alias adiuuantes, alias alio modo; de omnibus tamen, circa unamquampiam causam, circunstantibus eisdem causis, dicunt, impossibile esse; ut id quod inde euenit; interdum sic, interdum uerò aliter eueniat; alioquin sequeretur inquiunt, ut esset aliqua causa: quæ motum aliquem non haberet. Visa autem inter causas numerantur; non igitur ad Stoicorum placita, interdum uno, interdum alio modo agere & operari possunt; igitur uel diuersis modis certè agere possunt si causæ solummodo adiuuantes sunt, aut si eodem semper modo agunt & operantur; certe Fato, & ineuitabiliter semper agunt, quod semel egerunt, ut à uisis, & ab eorum effectibus, & effectuum effectibus necesse sit idem & eodem modo generari, & effici; ut uel non satis apte à Chrysippo causæ adiuuantes dictæ sint; quasi hæ nō urgeant animum, sed tantùm excitent,
B aut quomodocunque appellitentur; animum ad assensum tandem uel ad dissensum cogant. Suis igitur principiis malè cohærent dicta Chrysippi. Dicendum igitur ad rationem Chrysippi, quòd etsi fiunt singula ex progressu causarum, non tamen fato fiunt omnia; quoniam non fato & necessitate ineuitabili causæ præcesserunt. Et hæc ad Chrysippi argumentum, data responsio, non decretis Philosophorum tantùm eorum inquam, qui probè & rectè philosophati sunt, sed catholicæ etiam ueritati accommodata est, & consona. Sed ad rationem Chrysippi hactenus.

Ad tertiam pro Stoicis, & pro ineuitabili rerum cunctarum euentu rationem; quæ ex diuina præcognitione procedit; & ad primam assumpti confirmationem, ex Aristotele respondetur; & Deum ista non cognoscere, asseritur, & quare. CAP. XI.



C AD TERTIAM rationem Stoicorum, quæ ex diuina præcognitione procedit; quæ maximi semper apud Stoicos ponderis fuit, & momenti; in qua, tota ferè susceptæ disputationis difficultas collocata uidetur; ex cuius dissolutione, totius huius fermè nostræ inquisitionis absolutio plena dependet; iuxta Philosophorum dogmata prius, posterius uerò, hoc est libro octauo, iuxta theologicam ueritatem, respondebimus; atque de diuina ipsa præscientia, quantum & nostræ inquisitioni congruum & intellectus tenuitati tributum fuerit; diligenter considerabimus. In præsenti quidem libro, ad philosophantium, ut dictum est, opinionem, in octauo uerò, ad catholicorum Theologorum indubiam ueritatem. Philosophi igitur multi ut Stoici & Academici fuerunt (sicut superius tum in primo libro, tum in tertio, cum de fato disserebamus, prædiximus) qui ex diuina præcognitione (nam Deum cuncta ab æterno, præcognoscere, & præordinare sunt isti & quidem rectè arbitrati) omnia ineuitabili necessitate fieri, nec aliter quàm fiant, posse fieri; uel aliter quàm eueniant; posse euenire perperam existimauerunt. Qui non solùm assumptum, hoc est Deum cuncta exactissimè præcognoscere; unde rationem istam, & istam connexionem, & argumentum, intulerunt, Si deus cuncta infallibili cognitione præcognoscit, cuncta ineuitabili necessitate eueniunt, admiserunt; sed eodem etiam, tanquā ariete ualidissimo, contra secus opinantes obstinatissimè usi fuerunt. Aduersum quos, sicut prius tertio libro, multis, & his firmis rationibus, & quæ maximè urgent, dimicauimus; contingentiæque, atque temeritatis naturam acriter defendimus, resque multas, multosque
D rerum euentus non solùm contingentes, sed fortuitos & temerarios esse demonstrauimus; ita nunc Aristotelis doctrinam insequuti, contingentesque & fortuitos euentus defendentes, & argumentum ipsum, & ea, quæ ad illius uel approbationem, uel probationis confirmationem, adducta fuerunt; omnia facillimè dissoluemus. Duobus autem modis in horum dissolutione è regione diuersis incedere possumus, tum admittendo, tum negando assumptum. Videtur enim, meo iudicio, problema dialecticum in doctrina Arist. An Deus hæc materiata, & singularia cognoscat; affirmarūt multi egregii Peripatetici, alii negarunt. & tā hi, quàm illi apparentib. probabilibusq; rationib. ex libris Arist. petitis usi fuerunt. Alex. Aphrod. nobilissimus alioquin Arist. interpres in lib. de Fato. cap. XVI, modum inter hos, quos diximus, extremos, medium & tertium uisus est inuenisse, cum asserere uideatur, Deum cuncta singularia etiam, & materiata cognoscere ea præter quæ contingenter futura sunt, ea uidelicet ratione, qua sunt contingenter futura. Quoniam ista de futuro contingenter præcognitio cum natura rei contingentis, ut contingens est, pugnare uidetur. Cæteroqui admisso etiam aliquando antecedente & Deum cun-

cta

cta tam contingentia, quàm non contingentia cognoſcere, conſequentiam ſiue connexionem idem Alexander negauit. Quinimmo ſi præcognitio, inquit ille, contingentiam tollit; præcognitio ipſa eſt impoſsibilis. Quoniam contingentiam eſse eſt neceſsarium, quod quamuis in ſe, & ad rei ueritatem, ſit optimè factum; an tamen ad Ariſtotelis opinionem bene factum ſit, indicent alii. Mihi profectò conſequentia, Phyſicè loquendo, neceſsaria ſemper admodum uiſa fuit. Non enim Phyſicè, ut dictum eſt, loquendo ſecus euenire poterunt ſingula; quàm à Deo præcognita ſunt; ſi ea Deus ad amuſsim cognoſcat. de ipſo autem antecedente, à cunctis, quos ego nouerim Peripateticis dubitatum ſemper fuit, quòd uel nihil extra ſe, uel ſaltem non hæc ſubcœleſtia intelligere Deum, crediderint ferè cuncti interpretes Ariſtotelis, quod libro duodecimo primæ Philoſophiæ, parte prima ſupra quinquageſimam, et lib. ſeptimo Ethicorum ad Eudemum propè finem, ipſemet ſatis expreſſè affirmaſſe uidetur. quod ipſum libello de Mundo, maximorum quorundam regum ut Cambyſis, Xerſis, & Darii exemplo, quos (ut dicebat) opus quodlibet dedeceret agnoſcere; copioſè ſatis iterum confirmauit. Et ideo Auerroes in Destruct. diſput. x dubio primo, Deum (inquit) cognoſcere ſingularia, ſunt uerba; quæ ſufficientiora apparent ex improuiſo; quàm uerba Philoſophorum: Et diſput. XII, dubio III. Veri inquit Philoſophi, non attribuerunt Deo ſcientiam, neque in particularibus, neque in uniuerſalibus: Et Alexandermet (ſi tamen illa expoſitio ſit Alexandri) libro duodecimo Metaphyſicæ, parte XXXVI. primum intellectum extra ſe quidpiam intelligere negauit. Quamobrem Cicero libro ſecundo de Diuinatione magis fortaſsis quàm Alexander uiſus eſt cum Ariſtotele ſenſiſſe; quando conſequentiam, atque deductionem admiſit quidem; ſed aſſumptum abiecit. Et eius falſitatem, ex futuro quopiam contingenter euentu, oſtendere nitebatur. Ita nanque loco citato Cicero ſcriptum reliquit. Nihil enim eſt tam contrarium rationi, & conſtantiæ, quàm fortuna; ut mihi ne in Deum quidem cadere uideatur; ut ſciat quid caſu, & fortuitò futurum ſit. Si enim ſcit; certè illud eueniet; ſin certè eueniet; nulla fortuna eſt; eſt autem fortuna; rerum igitur fortuitarum nulla eſt præſenſio. hactenus Cicero. Carneades quoque negauit Apollinem poſſe aliqua præcognoſcere, niſi illa, quorum cauſæ uel præceſſerunt, uel ſaltem ita naturales, & efficaces ſunt; ut nec cauſæ impediri, nec euentus ab aliis cauſis proficiſci poſsint. Verùm etſi futuri duntaxat contingenter euentus meminerit Cicero; diuinæque illud tantùm præcognitioni oppoſuerit; cenſuit tamen ille; nullam eſſe, apud Deos, rerum cognitionem; nullamque itidem procurationem; quòd rerum humanarum cognitionem diuinam, & procurationem contingentiæ, & temeritati, nec non hominis arbitrio, aduerſari ſit ille arbitratus.


HVNC igitur modum dicendi, quem Ariſtotelis doctrinæ magis accommodatum exiſtimo, nunc ſequutus, quatenus uidelicet nullam rerum iſtarum, apud Deum, cognitionem extare affirmat: & ad argumentum, & ad ſingulas argumenti confirmationes, Peripateticè dicemus. Quid nanq; ad idem penès Ethnicorum quorundam Theologorum decreta, dicendum ſit, qui aſſumptum admittunt, & cuncta Deum præcognoſcere confitentur, paulò poſt tum ex Platone, tum ex Iamblicho declarabimus.

RESPONDERET igitur ad argumentum Ariſtoteles, & deductionem quidem cum Cicerone admitteret: quoniam ſi rerum omnium Deus cognitionem habeat & hanc (ut par eſt) infallibilem, omnia ineuitabili neceſsitate, citra dubium eueniunt: antecedens uerò negaret penitus. quum illud primo loco probaretur: quoniã alioqui Deus negligens, & ignarus uideretur. Deum ignarum, & deſidem eſſe, non concederet Ariſtoteles, etiam ſi harum rerum cognitionem non haberet. Rerum enim iſtarum notitiam Deum ideo non habere diceret, non quia uel ignarus, uel negligens ſit; uel quia in earum cognitionem nitatur, & non ualeat, ex impotentia: ſed quia diuinæ præſtantiæ, ſummæq; illius perfectioni, huiuſmodi de rebus tam indignis, tamq; inconſtantibus cognitio repugnare cenſeatur. Quemadmodum enim ex hominum quidem Principum dignitate non eſſe dixeris, cuilibet operi incumbere: ut uerbi gratia exercitus Ducis, aut Vrbis præfecti, atq; etiam domus primarii faſciculum ſarcinarium componere. Ita Deorum dignitati hæc materiata, elementaria uiliſsima opera intelligere, abſonum, & incongruum eſſe, cenſuit Ariſt. Cognitioni autem diuinæ non ſolùm pluſquàm humanæ ille tribuit; ſed tantùm tribuiſſe certum eſt, ut illam, cùm humana conferri non pateretur. Eſt enim illa perpetua, continuaq; fœlicitas, circa nobiliſsimum, perfectiſsimumq; obiectum (quod propria eſsentia eſt) ſemper intenta, ſuprema rerum omnium cauſa, & aliis admirandis modis excellens adeò, ut cùm eadem, ex huius Philoſophi ſententia, humanam cognitionem, qui ſit mentis compos, conferre aliquo modo uel poſsit, uel audeat nemo.

Ad ſecundam aſſumpti confirmationem reſpondetur; & hæc ſubcœleſtia Deum non cognoſcere, & ſi ſit rerum omnium cauſam, aſſeritur.

CAP. X.

Quum

A 
Vum secundo loco assumptum probatur, quoniam Deus & prima rerum omnium causa est, & sapientissimus, ergo res omnes cognoscit. Si enim ea non cognosceret, quorum est causa, non posset esse sapientissimus: concedit Aristoteles, Deum esse primam rerum omnium causam; eundemq; sapientissimum; & quàm quæuis alia causa, in effectum quélibet magis efficientem, effluentemq;, atque, si in scholis eius dicere liceat, illabentem magis, non tamen omnem effectum, omnemque rerum euentum cognoscere illum admittit. ratio est illa, quam diximus, quia hæc singulariũ, caducarumq; rerum, & euẽtuum cognitio imperfectionem, indignitatemq; quandam habere annexam ipse putauit: omnis autem imperfectio & indignitas ab illa præstantissima, & dignissima natura, ab illaq; summa perfectione abigenda est. esse uerò causam primam, & esse sapientissimum, & in effectus omnes magis quàm alias causas influere, nullam prorsus (quod in tractatu de Diuina Prouidentia ad opinionem Aristotelis, D. Ioannes Franciscus Picus minus aduertit) imperfectionẽ, uel indignitatem claudere, cõstantissimum est.

SI dixeris est rerum & effectuum omnium causa: & seipsum perfectè cognoscit: ergo & effectus cunctos, cum perfecta relatiui notitia, sine correlatiui cognitione haberi non posit.

RESPONDEBO, Proclum super Parmenide cap. XXXII. hac ratione, aduersus Peripateticos usum fuisse; sed illam nos superius cap. XXVIII, quarti libri, ex Auerroe lib. duodecimo diB uinæ Philosophiæ commentatione LI. dissoluimus; in quo loco, ita scriptum ille reliquit. Deus
» scit omnia, secundum quòd scit se tantùm, scientia in esse; quod est causa eorum esse, uerbi gra-
» tia, qui scit calorem ignis tantùm; non dicitur nescire naturam caloris existentis in reliquis cali-
» dis, sed iste est ille, qui scit naturam caloris, secundum quod est calor. Et similiter primus scit na-
» turam entis, in eo quod est ens simpliciter. Hæc Auerr. quibus quid ad difficultatem Peripateticè
» dicendum sit, relinquitur manifestum.

CVM arguis, si ista Deum ignorare posuerimus; constituenda erit superior aliqua causa, quæ cuncta præcognoscat, & Deum dirigat, ne erret ignarus. Dicendum, argumentum nullum esse; quia omnis substantia, quo natura sua prior est; est etiam præstantior, & dignior, ideo à prima suprema, & perfectissima, & propter eius excellentiam, & propter rationem ex Auerroe, paulò ante redditam, negaret Aristoteles harum rerum cognitionem; nec propterea, ignarum Deum, aut errabundum existimare debemus, quum æternis, & inobliquabilibus legibus cœlum mouet; cuius motu, & lumine, immutabili ordine, mundum uniuersum administrat.

C CVM rursus idem ex opposito consequentis suadere conaris; quòd non posit Deus esse sapientissimus, & ea (quæ producit) ignorare: negamus iterum argumentum; quoniam sapientiam non in multarum rerum, sed in eminentissimarum causarum & potissimùm, in ipsius entis, quatenus ens est cognitione statuit Arist. at Deus ipse perfectissimum ens, & eminentissimam rerum omnium causam, id est seipsum cognoscit; seipsum igitur tantùm cognoscendo sapientissimus Peripateticè existimabitur.

Ad tertiam confirmationem assumpti respondetur; & Deum tametsi æuo aut etiam æternitate metiatur, ista tamen non cognoscere Peripateticè asseritur; & obiter non omnia, quæ abstracta esse dicuntur, intelligere, declaratur. CAP. XI.


D RATIONEM tertiam pro confirmando assumpto deductam, quoniam tempus ad æuum reducitur: igitur, quæ tempore re explicantur, omnia potest uirtus æuo mensurata cognoscere. Arist. ad æuum tempus reduci; & quæ diuersis temporibus complectuntur; eodem illa omnia æuo complecti, concederet; non tamen consequentiam admitteret; ut quæcunque, quæ uirtus tempore mensurata, tribus temporibus, nouerit, uno æuo uis illa cognoscat; quæ æuo ipso metitur. Cuius causa nulla alia est; nisi, quam diximus, summa illius uirtutis perfectio, & illius naturæ dignitas, atque præstantia incomparabilis. Hoc loco obiter amicè lector notabis (quod superius etiam admonuimus) æuum propriè ex sententia Aristotelis, in Commentariis de Natura cœlesti, lib. primo non Deum solùm, sed substantias omnes, omnes inquam, non abstractas solùm, sed generabiles etiam, & corruptibiles (non quidem qua generationi, uel corruptioni obnoxiæ sunt) sed qua duntaxat substantiæ sunt, & naturæ quædam quæ suo modo existunt semper, & permanent, metiri; quod ipsæ rerum substantiæ, ut substantiæ sunt (quas Metaphysicus quidditates appellat) à materia (ut in tractatu nostro, de Subiecto Metaphysicæ copiosè, & dilucidè demonstrauimus) abiunctæ, & per essentiam separatæ sint. Hoc autem prænotato, quàm futile sit argumentum, ab æuo, & tempore, ad ea, quæ æuo, & tempore mensurantur, facilè comprehendi potest; cùm multa æuo mensurari dicantur: quæ ne

cognoſcunt quidem.

Si obiicias, quoniam abſtracta per eſſentiam omnia, ad Ariſtotelis opinionem, intelligunt; qui igitur audeo ego aliqua aſſerere abſtracta; quæ nihil intelligant aut cognoſcant? E

Dicendum falſum eſſe, quòd abſtracta per eſſentiam omnia intelligant: nec iſtud aliquando docuit Ariſtoteles; Sed hic eſt unus, ex maximis erroribus, commentatoris Auerrois in lib. duodecimo Metaphyſicæ XXXVI commento, & in lib. ſecundo de Cœlo commento LXI, & in lib. de Subſtantia Orbis cap. ultimo, & in lib. Deſtruct. paſſim, & in tota breuiter ſua Philoſophia diffuſus. Verum eſt tamen; quòd illa abſtracta per eſſentiam, quæ præter hoc, quòd per eſſentiam abſtracta ſunt; aliquid etiam per eſſentiam agunt, & operantur; intellectus ſunt. at illa, quæ agunt nihil; ſed eſſentiæ tantùm ſunt, & quidditates; nec intelligunt, nec aliquid aliquo modo cognoſcunt. Melius igitur feciſſet Auerroes ſi propoſitionem ſic enunciaſſet; omnis potentia per eſſentiam abſtracta, intellectus eſt; quoniam in ratione potentiæ actionem & operationem intelligimus. ad quem modum aduerſarius arguebat. Virtus cognoſcens tempore menſurata, tribus temporibus uniuerſa cognoſcit, præſentia, præterita, & futura; ea igitur illa uirtus cognoſcet; quæ æuo metitur; quoniam cuncta temporum curricula æuum complectitur. Sed iam diximus non urgere argumentum; ex diuinæ & naturæ, & cognitionis præſtantia. F

Ad quartam aſſumpti confirmationem reſpondetur, & cur Deus iſta non cognoſcat, aliæ à prioribus cauſæ aſſignantur. Cap. XII.



Ad quartam eiuſdem aſſumpti confirmationem, quoniam nihil obſtat diuino intellectui, quin omnia cognoſcat, igitur &c. Reſpondeo, non ideo non intelligit Deus omnia; quòd quippiam diuino obſtet intellectui; ſed aliis multis de cauſis. primo, quia, ut dictum ſuperius, & repetitum ſæpè fuit, diuinæ repugnat perfectioni, & dignitati, res omnes, materiatas præſertim, & tam uiles cognoſcere. quemadmodum enim humanæ imperfectioni, & intellectus noſtri tenuitati in lib. primo minore Primæ philoſophiæ perfectam, & abſolutam de diis cognitionem repugnare, aſſeruit Ariſt., quòd ad diuinas mentes contemplendas, non ſecus quàm oculus ueſpertilionis, ad lumen Solis, hallucinetur, & hebeſcat intellectus noſtri natura; ita diuinæ præſtantiæ, ſupremæq; illi, atque perfectiſsimæ naturæ iſtam de rebus uiliſsimis cognitionem repugnare; tum lib. duodecimo Prioris philoſophiæ, tum alibi idem affirmauit. G quòd uilis nimis, atque abiecta, & inconſtans prorſus ſit rerum harum cognitio.

Secundo, quoniam materia quo minus de caducis omnimodam cognitionem Deus haberet; ſi etiam habere ille poſſet & ſuæ auguſtiſsimæ naturæ ea non repugnaret, obſtaret. Non quidem quæ Dei, ſed quæ ipſius obiecti cogniti eſſet pars. cognitio etenim & ſcientia ab actu formali eſt; materia autem prima quamuis ex ſe ens actu ſit; quia tamen omni forma prorſus, ſi illius naturam ſpectes, lib. primo Phyſicarum auſcultationum carere probatum eſt. propterea iuxta Ariſtotelis decreta, ex ſe, naturaque ſua prorſus cognoſci nõ poteſt. Quod autem ex propria, & intrinſeca ſua natura cognoſci non poteſt, ab aliquo intellectu etiam diuino cognoſci non poterit. Quemadmodum enim Chimera, Centaurus, & id genus alia, quibus repugnat eſſe, niſi fortaſſe imaginarium, &, ita dixerim, Chimericum; per aliquam potentiam, etiam diuinam, ad aliud eſſe, quàm imaginarium, deduci non poſſunt. Ita quibus ex interna aliqua cauſa, & naturæ proprietate intelligi poſſe repugnat; ab aliquo intellectu, quicunque is ſit, percipi illa non queunt. Non enim diuinus intellectus (ut cap. XVI lib. de Fato admonuit Alexander) poteſt eſſe impoſſibilium. Ad quem modum Theologus fateretur; hominem non poſſe à Deo effici rudibilem, quòd iſtud humanæ omnino naturæ repugnet; ideſt quoniam res ipſa effici non poteſt. Quamobrem Angelus Luc. primo, beatiſsimam uirginem ſalutans, non dixit; apud Deum non eſſe aliquid impoſsibile; ſed ait, non eſſe impoſsibile apud Deum, omne uerbum; ideſt quodcunque quod contradictionem & pugnantiam (ita exponunt Theologi) non includat. Quicquid enim contradictionem implicat, uerbi, dicunt illi rectiſsimè, rationem habere non poteſt. H

Diceret præterea Ariſt. (& hæc eſt tertia cauſa) eſto etiam quòd hæc à Deo ſublunaria cognoſci poſſe fateretur; & materia iſta non obſtaret diuinæ intelligentiæ, numeroſam tamen atque infinitam generabilium & corruptibilium quantitatem diuino intellectui obſtare; quo minus omnium, quæ in Orbe uniuerſo, & ſunt uel fiunt, & facta fuerunt, & fienda ſunt, cognitionẽ Deus habeat (ſunt nempe hæc uniuerſa infinita ad Ariſtotelis opinionem, qui Mundum æternum arbitratus fuit) quòd infinitum ad decreta eiuſdem ab intrinſeca, & propria ſua natura, ideſt qua infinitum eſt, ignotum ſit. Quod enim ut paulò ante de prima materia dicebamus, de ſe & ex propria ratione, & intrinſeca natura ſua ignotum eſt; ſicut per nullam potentiam fieri poteſt cognoſcibile; ita à nulla potentia etiam diuina cognoſci poteſt. Infinitæ autem ſucceſsiua quadam ſerie, & per-

A perpetua generatione sunt, ad mentem Aristotelis res sublunares; quòd mundus æternus sit, nec generari uel creari, nec corrumpi, uel ad nihilum redigi aliquo modo possit.

ADDE quòd futurum contingens, (quatenus contingens futurum est) est ignotum; ut ne Deus quidem præcognoscere illud, ante euentum ualeat.

SED arguis; plura igitur Sol illuminaret, quàm Deus intelligeret. Absurdum enim uidetur, ut uis rei materialis uim immaterialem, nedum diuinam excedat.

DICERET Arist. in pluralitate potentiam, atque imperfectionem semper includi. omnis autem etiam minima, uel leuissima imperfectio, ab illo supremo perfectissimoq; diuino intellectu, penitus est abigenda.

ADDERET. Quoniam Deus quid unum omnibus quibuscunque, quæ à Sole passim illuminantur, simul collectis, excellentius, præstantius, & augustius, quod propria essentia est, quæ rerum omnium prima, & præcipua causa est & cuncta eminentissimè continet; intelligit: hinc propterea sufficiens potest sumi argumentum, ad Dei potentiam ostendendam, maiorem eam esse, in cognoscendo, quàm sit in illuminando uirtus Solis. Hæc sunt, quæ & ad tertiam rationem Stoicorum, & ad omnes eas confirmationes, quibus eiusdem rationis antecedens, Deumque euentuum omnium præcognitionem habere, probari uidebatur, respon deret Arist.

B SI obiiciatur, quòd ista non stare uideantur cum multis, quæ à Simplicio, à Ioanne Gram. ab Ammonio, à Syriano, ab Alexandro, & à multis Græcis (ut nunc Latinos mittamus) Aristotelis interpretibus de diuina cognitione dicuntur; qui Deum omnia etiam materiata cognoscere, Arist. aliquando asseruisse, fateri uisi fuerunt.

RESPONDEBIMVS, quòd quemadmodum de prouidentia diuina non idem senserunt omnes de Aristotele Aristotelis expositores; sed diuersi diuersa, Ita de diuina iidem cognitione ab inuicem dissenserunt. At quemadmodum in tractatu de Diuina prouidentia, eam selegimus opinionem, quæ magis ad Aristotelis doctrinam nobis accedere, & occurrentes difficultates facilius auerruncare uidebatur, ita nunc eam, de diuina cognitione, sequuti fuimus opinionem, quæ dogmatibus eiusdem Philosophi nobis uisa fuit accommodatior; ut mittamus interea, quòd multi eorum Arist. interpretum, qui omnia illum cognoscere asseruerunt; non ut in se esse habent singula, & distinctè, sed uel ut quadam specie diuino intellectui præsentia fiunt; uel ut eminenter in essentia diuina, siue tanquam in perfectissimo ente, siue tanquam in prima, & præcipua, & efficacissima causa cuncta continentur Deum cognoscere putauerunt; cum qua cognitione stat Deũ
C singularia ista, ut sunt singularia, & ut in tempore sunt, nescire. Et de responsione ex Arist. ad tertiam Stoicorum rationem, & de diuina præscientia, ex eiusdem monumentis præclarissimis, hactenus.

Ad idem tertium Stoicorum argumentum, quod ex diuina rerum cunctarum præcognitione procedit, ex Platone respondetur: & in hoc cap. Platonis ad argumentum ipsum responsio tantùm ponitur.

CAP. XIII.

VPERESSET, ut quid, ad hanc tertiam Stoicorum rationem, & ad omnes illas pro confirmatione assumpti, & Diuinæ rerum cunctarum præcognitionis assertione, deductas rationes responderet Christianus & Catholicus Theologus, ui
D deremus. Assumptum nanque, & ad eius probationem, rationes omnes ductas ultro libensque ille admitteret: in deductione autem solùm, & connexione eidem difficultas esset, & labor aliquis. Nempe quemadmodum illationem, atque argumentum Aristoteles (ut uidimus) admittebat: negabat autem argumenti assumptum: ita cordatus Theologus contrà, antecedens toto pectore confitetur, negat autem deductionem, & consequentiam. Verùm quoniam naturali tantùm intelligentia duce, in eandem fermè cum Theologis nostris, Platonici quidam magni nominis Philosophi deuenerunt sententiam: modumque (quo fieri potest) ut cum certa, & infallibili rerum cunctarum, apud Deũ, præcognitione, in rebus iis singularibus, & materiatis, contingentia, & temeritas; & in homine uoluntatis & arbitrii libertas seruaretur, doctissimè quidem, sed an ad mentem Platonis, nescio, atque quàm pulcherrimè exposuerunt. Ideo quod magno nobis erit usui, istorum præclarissimorum philosophorum, ad idem argumentum, responsionem prius exponemus; secundo deinde ab hoc libro, illam tandem, quam solam ueram, catholicamque esse tenemus, exhibebimus. Veruntamen si etiam, antequam præstantissimorum horum Philosophorum responsionem attingamus; quid Plato ipse, ad hoc idem argumentum, responderet, breuissimis prius uiderimus; rem utilẽ simul ac iocundam, non ab re, studiosis omnibus nos facturos confidimus. Eorũ igitur,

qui Platonis Philoſophiam ſequuti fuerunt; quidam, admiſſo antecedente, conſequentiam, ipſamque connexionem minimè receperunt. Quidam uerò admiſerunt utrunque. Concordes nanque ſunt Platonici omnes in aſſumpto. Sed de connexione, uarii uaria ſenſerunt. Nobis, quod ſine contentione, & cum omni eorum, qui ſecus ſentiant, pace dictum uolumus, in hac grauiſsima difficultate, de ſententia Platonis, dicendum uidetur; quòd non ſolùm aſſumptum, Deũ ſcilicet omnia cognoſcere; ultro & lubens ille concedit; ſed tum propter diuinam de rebus omnibus præcognitionem, curam, prouidentiam, & præuidentiam, quæ falli non poteſt, tum propter illam ſecundarum (de qua prius fusè diximus) tum ad primam, tum ad ſe inuicem, cauſarum annexionem, quam Plato non aſpernatus eſt, conſequentiam etiam, cuncta uidelicet, ea præter, quæ ab humana uoluntate, ueniunt, & dependent, ineuitabili neceſsitate, euenire, Plato non abiiceret. Illa etiam, quæ ab humana uoluntate eueniunt, ex neceſsitate, ad Platonis dogmata, euenire, multis forſitan non ſine ratione uideri potuit. Sed hanc diſputationem Platonicis relinquamus. Et ad quem modum uniuerſa Deus, ex Platone, cognoſca oſtendamus. E

Ad quem modum ex Platone cuncta Deus cognoſcat, declaratur. CAP. XIIII.



DE PLATONE communiter traditum eſt; & in Parmenide, Pythagoreos imitatus, apertè ſe ſatis expoſuit; per ideas, ideſt per quaſdam rerum uniuerſales cognitiones, cuncta Deum cognoſcere. per uniuerſales inquam cognitiones, ideſt per cognitiones, quæ rerum uniuerſitatem quandam, ac multitudinem, & in ſe ipſis aptiſsimè, unitiſsimeque comprærhendant; & eandem multitudinem diuino intellectui diſtinctiſsimè repræſentent; quæ quidem uniuerſales cognitiones, indiuidua illa, quæ in Orbe uniuerſo ſunt, ſui natura, præcedunt; nec in indiuiduis ſunt; cum abiunctæ à materia prorſus ſint; ſed tantùm ipſarum participatione conſiſtere hæc indiuidua dicuntur. Vniuerſales hæ cognitiones, & ideæ, ante ipſam etiam rerum productionem & Mundi conſtitutionem, ſi Mundi fabricam (ut nõnulli Platonici dicere uiſi ſunt) Deus aliquando incœperit in mente diuina (ita dixerim) inſertæ ſunt; & ab eadem, ſuo modo, ideſt modo à nobis prorſus inexplicabili, & ſi de modo etiam iſto aliquid paulò poſt dicturi ſumus, emanant; in eademque, dum emanant, permanent. Nec ideæ ſolùm ab ea, ſed inferiores etiam mentes, & Dii ſecundi ſuo modo deriuant atque dependent. Ad has igitur ideas, Deus ſummus diique cæteri omnes, & natura ipſa, in harum rerum generatione, & productione tanquam ad exemplaria quædam collimant; & per eas cuncta Deum cognoſcere Plato & platonici confitentur. Vnde in Parmenide Ficinus cap. 11, Platonem unà cum Pythagoricis, multitudinem in primo ente poſuiſſe aſſeruit. Ideæ nanque rerum diſtinctæ inuicem ſunt. niſi enim eſſent diſtinctæ, res diſtinctas præſentare non poſſent. per ideas igitur, eo, quo dictum eſt, modo, uniuerſales, & diſtinctas, res uniuerſas Deus cognoſcit. Niſi enim inter ſe ideæ differrent, unica eſſet idea. differunt autem (ut Platonici quidam dixerunt) ex natura rei, & ratione formali. quamuis interea in Deo, uel (ut quidam opinati ſunt) in anima Mundi, & in eodem impartibili, cunctæ ſimul ſint: ſemelq; totæ. Neque ſe inuicem ullo pacto confundunt. Sunt enim mutua communione mirabili coniunctæ, & mirificè, ſua quadam proprietate diſiunctæ. Neque aliunde habent, ut diſtinctæ ſint, quàm unde habent, ut ſint. Non enim reſpectus illi, quales quales fuerint, quibus ideas multiplicari dicimus; ab ipſis rebus ortum ducunt; ſed ab ipſo intellectu diuino, ſuam ad res & propriam eſſentiam comparante. Et ſi idearum nobis ortum aliquo modo diuinare ſit fas; à naturis rerum, & formis, non ut in materia, ſed ut in mente diuina ſunt, ſunt autem ut res ipſæ ſingulæ Deum imitari poſſunt; hoc eſt dictu, ab ipſa mente, & ab ipſa eſſentia diuina, in quantum res ipſas, rerumq; rationes, & quidditates, intra ſe comprærhendit (eatenus autem eas intra ſe comprærhendit; quatenus ab eiſdem ſe imitabilem cognoſcit) producuntur. Et à prima, ſupremaque mente, ad mentes inferiores, emanant; in ipſaque nihilominus priore (ut diximus) ac diuina mente perpetuò remanent. per quas, ut in Deo permanere dicuntur, Deum omnia cognoſcere, lubens Plato ipſa confiteretur. Ita enim & de antecedente, & de conſequentia, atque de uniuerſa ratione tertia Stoicorum mihi uidetur eſſe ad Platonis opinione exiſtimandum. F G H

Idearum productio, & rerum in Deo cognitio, ex Platone, declaratur. CAP. XV.

A ERUMENIMVERÒ, quo res, quæ certè difficillima eſt, melius queat intelligi; altius paulò iterum repetamus; & idearum generationem, earumque in diuinis mentibus unitatem, uel multitudinem, & in eiſdem mentibus, per ideas rerum præcognitionem declaremus. Vnde in euentibus, ineuitabilem neceſsitatem deriuare, nulla difficultate, deprehendere poterimus. Primùm igitur, Deum eſſe intelligamus, ſine principio aliquo, & fine; à quo tanquam à prima omnium ſupremaque cauſa cætera & principium, & finem ſumant; aliqua quidem & gradus, & uirtutis, & præterea temporis, ut iſta noſtratia, & ſubcœleſtia; aliqua uerò ſui gradus & uirtutis & præterea ſempiternitatis, ut cœleſtia cuncta & ſuperiores illæ mentes. Dependent enim ſecundum Platonem, & Ariſtotelem, omnia ſiue caduca, ſiue ſempiterna, à primo.

SECVNDÒ, res cunctas Deum exiſtimemus intelligere, per primam rerum omnium, & ſupremam cauſam, & per earum principium primum, quod eſt ipſemet Deus, intelligat inquam res omnes, in hoc ſigno ſecundo, non quidem ut res in ſe, & realiter ſunt, nondum enim habent eſſe, in natura, ſed tantùm in ipſa diuina mente: ſed ut ab ipſo Deo, & opifice primo produci & emanare poſſunt. poſſunt autem eo modo ab ipſo produci; quo Deus ipſe cernit; poſſe res ſingulas, certo aliquo gradu, imitari diuinam formam, & bonitatem. Et dum ita cernit; dumque uariam ſuæ bonitatis fieri poſſe participationem, & captum intelligit; ideas producit. quæ, ut diximus,
B ita diſtinctæ ſunt; ut diuinæ partipationis gradus diſtincti ſunt. Per has autem ideas res (ita dixerim) ideatas intelligit. Vt ecce dum intelligit formam ſuam, per modum uitæ, non autem cognitionis (ut utar exemplo Ficini lib. ſecundo de Immortalitate animorum cap. XI.) imitabilem, concipit formam, ideamque plantarum, & ſimul plantam intelligit. dum uerò imitabilem per modum cognitionis quidem, ſed non intelligentiæ, propriam animalis ideam concipit; per quam intelligit animal, atque res cæteras, earumque ideas eordem pacto concipit, & intelligit; ut diuerſo gradu, poſſunt res illæ Deum ipſum imitari. Verum eſt, quòd res aliquas intelligit diuinam naturam poſſe per ſe imitari; aliquas uerò, ſiue quia re uera habeant non eſſe potius, quàm eſſe; ſiue quia eſſe imperfectiſsimum, & à diuina natura alienum ualde, non per ſe, ſed per aliud tantùm eandem imitari poſſe comprehendit. ideo res quaſdam per ideas proprias, ideſt eas, quarum ideæ propriæ ſunt, & quas diximus diuinam per ſe naturam imitari; quaſdam uerò, eas ſcilicet, quas diuinam per ſe naturam imitari non poſſe diximus, per aliarum rerum ideas, Deus intelligere dicitur.

TERTIÒ: poſt idearum generationem, ſiue creationem, & emanationem, & poſt rerum harum
C per eaſdem ideas, intelligentiam, res extrinſecus Deum producere imaginemur; eo ſanè modo, quo diuinam naturam poſſe eas imitari, per ideas, tanquam per quædam fiendarum rerum exemplaria, ille pridem intellexit.

QVARTÒ demum res uniuerſas, non ſolùm ut eſſe, ille & diuinam naturam imitari poſſunt; ſed ut iam ſunt, & ut iam, ut poſſunt, Deum imitantur; per ideas cognoſcere illum dicamus; quarum (ut dictum eſt) exemplaria ideæ ſunt. Nam idea à Platonicis diffinitur, exemplar rei agendæ. De qua diffinitione paulò poſt nonnulla diſſeremus. Sed (ut paulò ante dictum eſt) non eodem omnia modo per ideas Deus intelligit; quoniam non eodem modo omnia Deum imitantur, uel imitari poſſunt: ſed quædam per ſe, quædam per aliud. Vnde bona quidem, & quæ natura conſtant, & abſoluta ſunt, per ideas proprias, mala uerò, per bonorum; ſingularia, per ſpecierum; partes, per totius; accidentia, per ſubſtantiarum; artificialia, & præter naturalia, & quæ contra naturam accidunt, per naturalium; materiam, per formæ; priuationes, per habituum; relationes, per abſolutorum; fœda, & turpia, per rerum pulchrarum; ut luti, per aquæ; & terræ ideas; non per diſcurſum, & ratiocinium, ſed ſimplici intuitu, & cognoſcere Deum, & eorum cauſam eſſe, & ea efficere, uel per ſe, uel per deos æthereos, & per eorum inſtrumenta corpora cœ-
D leſtia, uel per Dæmones, qui Deorũ pediſſequi, ab Academicis, nuncupantur, Plato eſt arbitratus.

In mentibus diuinis omnibus, ſunt rerum omnium ideæ; ſed in alio, & alio numero. Idea præterea in diffinitur, & diffinitio breuiſsimis exponitur. CAP. XVI.

ERUMENIMVERÒ non eſt hic ſilentio prætereundum; quòd Platonicorum nonnulli, & inter recentiores Ficinus, libro decimo ſexto de Immortalitate animorum, capite primo, in diuinis mentibus omnibus, ponunt ideas; tanquam radios quoſdam diuinæ mentis; ſed quo propinquior mens unitati diuinæ fuerit; eo magis una, & ſimplex mens eſt; quo remotior contrà, propinquior per pauciores ideas intelligit, remotior per plures; non tamen per pauciores ideas pauciora uident mentes ſuperiores, quàm faciant inferiores, quæ per plures ideas intelligunt. medicus nempe peritiſsimus futuros in ægrotante caſus unico præuidet ſigno; quos

pluribus ſignis uix imperitus diſcernit; & unico nutu intelligit ſagax miniſter; quid iubeat domi- E
nus; tardiores multis indigent uerbis. Quamobrem tum propter recentis radii ſimplicitatem, tum propter ſublimium mentium unitatem, mirabilemq́ue earum perſpicaciam, in angelis, & Diis ſuperioribus paucisſimas ſed communisſimas ponunt, hoc eſt non communia, ſed plurima, & illa diſtincta præſentantes ideas. plures uerò magisq́; ſpeciales per ordinem in ſequentibus; in primo autem, & ſummo Deo unicam. Rem exemplo, non multum ab exemplo Ficini diſtante, declarabimus Sit, uerbi cauſa, in Deo idea entis unica, in propinquiore ſibi mente, duæ ſint ideæ entis, ideſt idea ſubſtantiæ, & idea accidentis. Et quoniam accidens duplex eſt, abſolutum, & relatiuum, in tertia & proximè ſequenti mente ſint tres ideæ, ſubſtantiæ ſcilicet, accidentis abſoluti, & accidentis relatiui. eo uidelicet modo, quo relatio habere poteſt, ideam. Quoniam rurſus ſubſtantia duplex eſt, corporea & incorporea; ſint in mente quarta entis ideæ quatuor, una ſubſtantiæ corporeæ, altera ſubſtantiæ in corporeæ, tertia accidentis abſoluti, & quarta accidentis relatiui, & ita deinceps deſcendendo, idearum multitudinem proſequamur. Deus per unam ipſius eſſe ideam, quæ ipſa Dei natura eſt, intelligit omnia. Vna nempe Dei eſſentia, una eſt idea idearum omnium uicem gerens, Vnde Orphicum illud

» Ζεῦς εἶδος πάντων, ideſt, F

Ivpiter ſpecies omnium ſiue (quod idem eſt) idea omnium perq́ue hanc unicam ideam, cũcta Deus circunſpicit, diſtinctisſimeq́ue contuetur, & tanquam Sagittarius ſingula, ad ſuos fines dirigit, ad unum denique cuncta. Quoniam uerò cunctæ ideæ, in primo, una forma ſunt, in ſecundo multæ; ideo Plato contemplatus, & colores in lumine circa lucem; & lineas in circulo, circa centrum; inquit in epiſtolis, multiformes ideas abſolutè diſtinctas circa primum rerum principium eſſe potius, quàm in primo. Et in lib. de Repub. ſeptimo, ideam boni pulchrarum eſſe cauſam idearum, aſſeruit; hoc eſt, ipſum bonum, in cuius idea ideæ omnes ſunt, eſt illarum idearum cauſa; quæ quidem ideæ in ſequentibus mentibus multæ, & abſolutæ, inuicem differentes ſunt. Sed redeat unde diſceſsit oratio. Cuncta igitur ad eum, quem diximus, modum Deus intelligit, & cognoſcit. Eſt enim rerum cunctarum idea; & cauſa Deus, & diuina eſſentia; non cuncta (ut dictum eſt) ſingularia iſta, & materiata; immo neque ſpecies cunctas, & genera, per diſtinctas ideas, Deus ille ſummus, à quo Deos cæteros dependere Plato eſt opinatus, nouit. Quoniam diſtincta & materiata indiuidua, & ſpecies, & genera, unicam in Deo ha- G
bent ideam; unicam etiam habent cauſam primam, Deum ipſum. Adde quòd diſtincta indiuidua non habent, in mente aliqua ſuperiore, diſtinctas ideas; ſed quæ ſunt ſingularia eiuſdem naturæ, unicam habent ideam. Eſt enim idea (ut teſte Proclo Xenocrates diffiniebat) cauſa exemplaris eorum, quæ ſecundum naturam conſiſtunt. hanc diffinitionem Ficinus in Parmenide cap. XI, ita exponebat. Dicitur [cauſa exemplaris] quoniam cauſa finalis eſt ſuperior ſcilicet ipſum bonum; cauſa uerò propriè efficiens quodammodo eſt inferior (eſt nanque artifex exemplar ideale ſuſpiciens, media eſt cauſa ipſa exemplaris. dicitur [eorum quæ ſecundum naturam conſiſtunt] quoniam non eſt idea ſingularium; non enim ſecundum naturam conſiſtere ſingularia dicuntur à Platonicis, cum non ſemper illa conſiſtant; nec eorum quæ, uel per artem, uel præter naturam ſunt; ſed harum ſingularium rerum diſtinctas, & inuicem differentes ideas (ſi in his ideæ nomine uti liceat) habent inferiores dii; & quo inferiores, eo plures habent, & magis differentes; ita ut ſuperiores diſtinctas (ita dixerim) ideas generum, inferiores ſpecierum, dæmones uerò (ſicut ſuperius in tractatu de prouidentia dicebamus) ſingularum indiuiduarumq́ue rerum cognitionem, & curam, & (ſi dicere liceat) diſtinctas ideas habere dicuntur. H
Diximus autem [ſi dicere liceat] quoniam formæ indiuiduales, quæ ſunt in materia, non ſunt ſecundum Platonicos ideæ, ſed idearum umbræ, & ueluti ueſtigia quædam. Quamobrem non tantùm habet Deus ſummus, qui ueram habet rerum omnium, notitiam, & prouidentiam, rerum harum ſingularium; ſed & Dii alii inferiores, & dæmones; quamuis non omnes omnium; ſed quidam quidem omnium, & quo ad aliqua tantùm; ut Dii inferiores, & minores; quidam uerò aliquorum tantùm, & quo ad aliqua tantùm, ut dæmones; qui, quoniam inter Deos à Platone, & Platonicis habentur; dicere poſſumus; quòd ſicut ſupremus Deus hæc omnia per unicam, & ſimplicisſimam ideam, diſtinctè cognoſcit; ita uniuerſum reliquum Deorum genus; Diiq́ue ſimul omnes cæteri, cuncta, qua in Orbe uniuerſo ſunt, eo modo, quo eſſe habent, etiam materiata, & ſingularia, & minima quæque, & maxima, magis, & minus, pro intellectus perſpicacia diſtinctè cognoſcunt. Sed quidam pro ratione dignitatis, & naturæ excellentiæ, per pauciores, quidam uerò per plures ideas, nunquam tamen qui per pauciores, aut minora intelligunt, aut magis confuſè; ſed contrà & plura, & diſtinctè magis.

A De diuina Præscientia ex diuina Prouidentia de qua pridem dictum est, & nonnulla hoc loco declarantur, & Platonicè considerantur.

CAP. XVII.



E DEORVM cognitione ab eorum etiam prouidentia fieri potest aptisśimè ex Platonicis argumentum, de qua quidem prouidentia diuina & Augustinus lib. VII de Ciuitate Dei, Et Gregorius Nyssenus libello de Prouidentia, & Iamblichus lib. de Mysteriis, & Proclus in Timæo, & in lib. cui titulus de Theologia Platonis, & Marsilius Ficinus in argumento Apologiæ Socratis, & lib. de Immortalitate animorum, atque sæpius alibi, & omnes ferè, qui sunt de Schola Platonis, disertè, ac copiosè satis dixerunt. Quin etiam D. Thomas quæst. XXII primæ partis, non nulla de eadem, ex Nysseno, & Platonicis, disseruit. Nos & si superius Platonis, de diuina Prouidentia, opinionem pluribus exactè satis & diligenter exposuerimus; non grauabimur tamen breuibus idem repetere; quo & menti res firmius inhæreat; & de B diuina scientia copiosior, exactiorque habeatur cognitio. Triplicem nempe, ut prius dicebamus, secundum Platonis opinionem, Diuinam Prouidentiam esse, Platonici ferè omnes asseruerunt. Nos autem cùm ex multis aliis Platonicæ Philosophiæ locis, tum ex Epinomide, in quatuor illam partes diuisimus, & unam Deorum æthereorum esse diximus, id est duodecim Mundi principum; qui mentes sunt animarum duodecim sphærarum. qui quidem primò & principaliter rebus omnibus, & ex consequenti, Orbi uniuerso, quo ad aliqua, ut si, uerbi causa, dixerimus; quo ad ea, in quibus indiuidua, pro integritate, & perfectione uniuersi, communicant; & quantum ad uniuersales, & communisśimas, ut pote substantiæ, uitæ, motus, generationis & huiusmodi causas, prouident; atque eo, quo prouident, modo, res cunctas etiam cognoscunt; in uniuersali uidelicet; non quidem in potentia, & per species à singularibus abstractas; sed (ut paulò ante declarauimus) per rerum uniuersales ideas, & communes; & quo Dii illi summo Deo propinquiores sunt; eò, per magis uniuersales & magis communes cognoscunt. quæ in ipsis quidem inferioribus Diis, à mente diuina & prima pro ratione propriæ cuiusque naturæ & propriæ cuiusque perfectionis, insertæ, & ante ab ipsamet eo, quo prius dictum est, C modo, productæ sunt. Hanc prouidentiam Diis illis præsertim attribuisse uidetur Plato; qui cœlestibus corporibus, & Mundi duodecim maximis sphæris præsident; potisśimumque Animæ Mundi; quam in diuersis Philosophiæ locis, Plato diuersis modis nominauit. In Philebo nanque Iouem ducem illam appellauit. In sexto de Repub. ἀνάγκην, id est, Necesśitatem. In lib. de Regno, Fatum. Plotinus Venerem illam quandoque uocauit, per quam (quoniam Mundi animam animam primæ materiæ esse existimauit,) cuncta, quæ mundana hac fabrica continentur; & quæ aliquo modo materia constant; etiam si nobis inanima & sine uita uideantur ut aurum, argentum, æs, stannum, lapides, & huiusmodi uiuere tamen Plato est opinatus. alludens forsitan Moisi, qui dixit, in principio Gen. [& Spiritus Domini ferebatur super aquas] ut per aquam, materiam primam intelligamus; quòd omnem formam facillimè aqua recipiat; & per Spiritum, animam mundi. ferri autem super aquam Spiritum, idem sit, quod primæ materiæ uitam, ab anima Mundi, tribui. de qua Mundi anima in lib. de Dogmate Platonis ita scriptum reliquit Apuleius. Cœlestem illam animam fontem animarum omnium optimam, & sapientisśimam uirtutem esse genitricem; subseruire fabricatori Deo, & præstò esse ad omnia, inuenta eius annunciat. hæc ibi. In hac ipsa propterea mundi anima, aliqui in dogmatibus Platonis non ignobiles, rerum ideas (ut dictum superius fuit) non autem in summi, ac supremi Dei intellectu, sed tantùm circa Deum ipsum collocauerunt. Quem supremum intellectum nihil extra se, nihil nisi D seipsum, nihil nisi unum, quod est supra Ens & res, obiectiuè intelligere sunt isti rectè satis arbitrati; qui maximè unus est; à quo omnem multitudinem, & ipsam etiam dualitatem abigi iubent; ut nequaquam & seipsum, & res ut duo sunt; & per duas ideas, sed seipsum tantùm & unicam tantùm ideam formaliter intelligat, & cognoscat. reliqua uerò seipso, & unica, quæ ipsemet est, idea, siue per eminentiam, siue per extremam quandam suæ notitiæ contingentiam & terminum omnia. In primo nanque & supremo intellectu Ideas quidem posuerunt; sed (ut prius diximus) supra omnem intelligentiam, & sub unica forma, omnes. In primo uerò post supremum illum, intellectu, & ut nostri dicerent, in angelo primo, eas omnes rursus posuerunt, & in quodam numero, sed paucisśimo; intelligibiles quidem sua natura, nobis autem uix. In aliis tertiò intellectibus, à corporum commercio, separatis, ideas intellectuales posuerunt. In ipsis animarum, uel diuinarum, uel etiam humanarum mentibus, insitas ideas posuerunt; quas animales ideas uocarunt; in uegetali natura, naturales ideas statuerunt; formas denique in materia. Primus igitur intellectus, quoniam per unicam ideam quæ propria essentia est, intelligit, & ab ea sola, tanquàm à proprio obiecto mouetur; seipsum propterea tantùm obie-

E

ctiuè dicitur, intelligere. quoniam autem se perfectè intelligit; ideo se principium, & causam rerum cunctarum intelligit; at non potest se ut causam, & principium perfectè intelligere; nisi ea etiam quorum principium, & causa est, intelligat. Est autem rerum cunctarum causa. Cuncta ergo intelligit: non quia à quibuslibet moueatur ille intellectus (mouetur enim tantùm à propria essentia) sed quoniam ad ea illius cognitio tamquam ad imum & extremum suæ intelligentiæ terminum, peruenire dicitur. Quamobrem optimè de Deo dicebat Orpheus πάντα ἐσορᾷς καὶ πάντα ἐπακούεις, καὶ πάντα βραβεύεις, id est, omnia intus inspicis, omnia intus audis, omnia distribuis. Sed redeo ad prouidentiam, ex qua, ut diximus, de rerum, apud Deos, cognitione, fieri potest aliquo modo, sufficiens Platonicis argumentum. Cognitio (dicebat Ficinus in Parmenidem) & prouidentia per cuncta equè procedunt. Hæc, quam Diis æthereis demandari diximus, ita in uniuersum prouidentia, bipartiri potest; quatenus & corpora cœlestia, & Dii eisdem assistentes, præsidentesque propria quædam munera, ad rerum curam, & prouidentiam obire censeantur; etiam si Deorum æthereorum instrumenta, cœlestia ipsa corpora & sphæræ uniuersæ esse dicantur. habent enim singula animas proprias, sensibus etiam nonnullis præditas; Quinimò singulæ stellæ distincta esse animalcula, Platonicis pluribus uisum est. Vt à Diis illis superioribus, substantiam, & uitam, à cœlestibus corporibus, & animabus, motum, & generationem

F

hæc subcœlestia, à nonnullis Platonicis habere dicantur. Tertia prouidentia rerum singularium est, & particularum, distinctarumque specierum; ut hominis, bouis, cupressi, abietis, auri, argenti, & id genus aliarum; quæ etiam partiri potest; quatenus, uerbi causa, homo bifariam considerari potest; & ut est natura quædam & species, à cæteris speciebus, uel rerum generibus, distincta; & ut distincta sub se indiuidua ipsa contineat. Et quocunque modo consideretur; à duobus generibus animalium eidem prouidetur; ab homine & à Dæmone, homo homini, equus equo: hi parentes, istis, filiis, illi agricolæ illis plantis (ut rectè se habeant) prouident. Dæmones uerò alii aliis rebus similiter prouident; ut quidam homini non capræ, alii capræ non homini, uel cupresso. Et inter eos, qui homini; alii alias hominum nationes curant: inter eos etiam qui nationem eandem, alii alios homines curant. alius enim Socratem, Plotinum alius; ita nanq; in Dialogo, cui titulus de Regno, ubi loquitur de temporibus regni Saturni, scriptum ex interprete reliquit Plato. tunc sanè totius circuitus princeps, curatorque primùm Deus extitit, ut nunc per uarias mundi plagas, singulæ ipsius partes à Diis principibus distributæ sunt. Animalium quoque genera gregatim distincta, dæmones quidam tanquam diuini pastores sortiti sunt; quorum quisque ad munus suum obeundum, sufficiens cum esset; singuli singulis, sicut ille uoluit, præ-

G

ficiebantur; quibus præerat ipse. Hæc plato. Dæmones tum ab astris, tum ab elementis, denominationem suscipere, Platonici uoluerunt; an etiam ab eisdem, ortum ducant, controuersia est inter ipsos. Quamobrem dæmonum, inquiunt, alii dicuntur Saturnii, alii Iouii, alii Solares &c. Rursum alii ignei, alii aerei, alii aquei. Quibus Deos æthereos, & in primis summum Deum curam platonici istarum subcœlestium rerum in particulari, ac prouidentiam delegasse ferunt. Apud Platonem propterea sæpe legimus, Socratem à Dæmone proprio etsi non ad quodpiam pulsum, ab aliquopiam tamen repulsum, & uetitum. Non enim (inquit Apuleius) impulsore egebat Socrates; quòd uir, apprimè perfectus esset per se ipse ad omnia congruentia sibi officia promptus; sed prohibitore nonnunquam: si quibus fortè conatibus eius periculum suberat; ut monitus præcaueret; ac omitteret cæpta in præsentiarum; quæ tutius uel postea capesceret; uel alia uia adoriretur. hactenus Apuleius. Lib. primo de Diuinatione refert de Soctate Cicero; quòd cum apud Delium malè pugnatum esset Lachete prætore; fugeretque cum ipso Lachete; ut uentum est in triuium; eadem, qua cæteri, uia fugere Socrates noluit. Quibus quærentibus cur non

H

eadem uia pergeret? detineri à Deo dixit; tum quidem ii, qui alia uia fugerent, in hostium equitatum inciderunt. Hæc Cicero. Prohibebat Timarchum Socrates, ne discederet à cõuiuio; discessit, & occisus est. Charmides in Nemea, uetante Socrate, certauit; & certasse, pœnituit. Critoni contrà Socratis cõsilium, rusticanti, arboris ramulus percussit oculum. Prohibebat etenim semper Socratis dæmon. Inde exactiores Platonis expositores, Dæmonem illũ Socratis tũ igneũ, quia ad res altissimas contemplandas Socratem euehebat: tum Saturnium fuisse, asseruerunt: quòd à rebus sæpè illum euocaret, ac repelleret: propelleret autem nunquam. Quemadmodum enim inquit super Alcibiade Proclus, apud Orpheum Apollo præest Baccho; reuocans eum à processu in Titanicam multitudinem: sic Socratem reuocat semper eius Dæmon, qui pedissequus est Apollinis. Intellectus enim noster, est numinis Apollinei proles. Hactenus Proclus. tantam autem de nobis huiuscemodi Dæmones curam suscipiunt (ut Porphyrius lib. secundo de Abstinentia ab esu carnium, ex Platone, disseruit) ut nos nunquam deserant; nec circa nos officia sua quandoque intermittant: sed indesinenter bona boni Dæmones nobis procurent: & imminentia pericula uel propellant: uel pro facultate significent; tum per somnia, tum aliis modis: ita ut si possent nobis significata discerni, omnes improborum machinas probus quisque depræhenderet: atque deuita

ret.

A ret. Hi nanque ſignificant, inquit, omnibus: ſed non quiuis ſignificata cognoſcit: neque quilibet
» ſcripta legere ualet: ſed qui literas ante didicerit.

Svnt præterea dæmones quidam, qui humanarum rerum (quantum ad ea, quæ ad externam Deorum religionem pertinent, & ad ipſum cultũ, ac cærimonias) curam habere uidentur. qui à nobis etiã (inquit in Epinomide Plato) aliquando conſpiciuntur: ſed conſpecti ſe citiſsimè occultant: admirationemque quandam, ideſt religionem (ita mihi uidetur Plato interpretandus) humanis mentibus inferunt. qui etiam (inquit) ueluti ad aures loqui nobis aliquando uidentur; obuiantq́ue nobis, potiſsimùm cum è uita migramus. Vnde (ſubdit) multa multis ſacris, & priuatim, & publicè his opinionibus inſtituta ſunt; inſtituenturq́ue in poſterum. præter hæc tria Deorum genera, quibus diuinam prouidentiam partiri diximus, eſt ſummi Dei prouidentia: quem Deorum opificem, ac parentem appellauit Plato. qui Deorum omnium, rerumq́ue cunctarum quas Dii cæteri & minores curant, prouidentiam, & curam longè maiorem, quàm illi habeant, longeq́ue diligentiorem procurationem, atque circunſpectiorem habere dicitur. Cunctis etenim rebus, tam caducis, quàm æternis, tam uiſibilibus, & corporeis, quàm incorporeis, & inuiſibilibus moderatur; cunctaque illis diſtribuit; quæ eiſdem adueniunt; & (ut uno uerbo dicam) ita metitur, dirigit, temperat, ac ordinat uniuerſa; ut ab eius ordine excidere quidquam ſit impoſsi-
B bile. Sed de his exactè ſatis, & diffuſè à nobis, in ſuperioribus, dictum fuit. Si igitur cognitionem ex prouidentia, in Diis argumentari liceat, quum ſummus Deus omnibus omnia exhibeat, ac prouideat: Dii minores omnibus aliqua; dæmones quædam aliquibus: ſine dubio conſequens erit, ſummum Deum cuncta perfectè cognoſcere: Deos minores cuncta quidem, ac non ita perfectè; ſingulos dæmones quædam tantùm, & modo quodam. Quum autem (ut ex Platone ſæpe dictum fuit) Dei ſcientia rerum cauſa ſit: & agat Deus liberè quidem, ſed ex neceſsitate: & rerum euentus præueniat (Nam ideo inferior uirtus cupit, ut alibi dixit Ficinus, quia eam ſuperior cupere decreuit) cui dubium, quin cuncta, ad Platonis opinionem, ineuitabili neceſsitate proueniãt? quod autem ideo inferior uirtus uelit; quia ſuperior uelle eam decreuerit; uerbis Marſilii Ficini
» libro decimotertio de Animorum immortalitate cap. v. lubens oſtendam. Non (inquit ille) quan
» do angelicus animus optat mirabile aliquód opus conficere: puta citare uentos: ſtatim ſuperiores cauſæ huic fauent uoto; & noua cupiunt; quando nouaanimus affectauit; ſed contrà, quoniam cœleſtes idipſum decreuerunt; iſte cupit. Quo'nam pacto? futurorum uentorum ſtat in ſupernis numinibus, præuidentia. Hæc ille. Sed de diuina præſcientia, ad Platonis ſententiam, &
C quàm ſit illa, penès Platonicos, optima connexio: qua ex diuina rerum cunctarum præcognitione, ineuitabili cuncta neceſsitate euenire colligitur, hactenus.

Tollitur dubitatio, Si ex Platonis ſententia eueniunt cuncta impermutabili neceſſitate (quod & in ſuperioribus & nunc iteratò demonſtratur) quid egemus dæmone cuſtodiente, uel admonente? Cap. XVIII.



Ervm his, quæ de diuina tum præſcientia, tum prouidentia Platonicè dicta fuerunt, quis obiiciet: quorſum à dæmone cuſtode admonendus erat, uerbi cauſa, Socrates, pro uia uitanda, uel pro aliquo labore non ſuſcipiendo; uel quorſum admonendi ſunt à cuſtodibus ſuis cæteri homines, ſiue pro religione, ſiue pro periculorum cautione, uel quorſum rerum noſtrarum cura aliqua ſuſcipienda, uel à nobis, uel à Diis inferioribus eſt; ſi cuncta, ad opinionem Platonis (quod ſuperiori capite oſtenſum fuit) pro ineuitabili, impermutabilique ſummi Iouis ſententia, & pro eiuſdem æternæ legis imperio, ineuitabili, atque impermutabili neceſsitate
D nobis eueniant?

Ad hanc dubitationem dicendum eſt. Non fruſtrà ſecundum Platonem, & eius ſectatores, admonentur à dæmonibus homines: etiam ſi penès eos, fato cuncta & ineuitabili neceſsitate eueniant. duplici ex cauſa. prima, Quoniam & in decimo de Repub. & in Phædro, & in Timæo, & ſæpe aliàs, humani arbitrii libertatem tueri Plato uidetur: quod in libro de Humano libero arbitrio à nobis fuſius declaratum fuit. In libro decimo de Legibus admiſit ille; fieri aliqua à natura, alia à fortuna, nonnulla ab arte; & alias fortunam, inter cauſas obiter incidentes, numerauit. ne igitur pro arbitrii libertate, ab æternis legibus errarent homines; admonendus erat quiſque à ſuo dæmone, tunc potiſsimùm cum ad errorem ſe parabat.

Secvnda. Quoniam & dæmones, & Dii inferiores cuncti, fati legibus, & ſummi Iouis imperio, in primis obnixè procurant; ut ea, quæ in fatis, ideſt in ſummi Dei decretis ſunt; à nobis, ſicut & à cæteris inferioribus cauſis, perficiantur. ne à fatis, & à diuina ſententia, nos, qui mortales, & terreni ſumus; & à Deo tantùm diſtamus; ut eius iuſſa capeſcere niſi per internuncios non ualemus, aliquo modo delabamur. Cunctarum etenim ſubcœleſtium rerum curam, Diis

inferioribus, & dæmonibus, supremus Deus credidit; ut per eorum ministeria, ea, quæ sunt in fatis, & quæ diuina sunt prius lege sancita, ne quid à regno diuinæ prouidentiæ delabatur, perpetuo tenore perficiantur. Ad huius autem rei fidem faciendam, operæ precium fuerit, ut ex Apulei libro de Dogmate Platonis, testimonium afferamus: is enim loco citato ita scriptum reliquit. Prima quidem prouidentia est summi, exuperantissimique Deorum omnium: qui non solùm Deos cœlicolas ordinauit: quos ad tutelam, & decus, per omnia mundi membra dispersit: sed natura etiam mortales Deos; qui præstarent sapientia cœteris terrenis animantibus, ad æuitatem temporis ædidit: fundatisq; legibus reliquarum dispositionum ad tutelam rerum, quas quotidie fieri necesse est, Diis cœteris tradidit; unde susceptam prouidentiam Dii secundæ prouidentiæ ita grauiter retinent; ut omnia etiam, quæ à cœlestibus mortalibus exhibentur, immutabilem ordinationis paternæ statum teneant. Dæmones uerò, quos Genios & Lares possumus nuncupare; ministros Deorum arbitrantur, custodesque hominum, & interpretes, si quid à Diis uelint. Hæc ille.

SED denuo replicabis, quomodo ex Platonis sententia, eueniunt fato omnia: si aliqua (ut paulò ante ex Platone diximus) à natura, aliqua à fortuna, aliqua ab arte proueniunt?

DICENDVM, quòd rerum causæ, iuxta doctrinam Platonis in Timæo (ut superius etiam ex Chrysippo Cilice dicebamus) multi generis sunt, principales, & secundariæ, quas forte Chrysippus, adiuuantes appellabat; nos similiter adiuuantes causas, illas dicere possumus, quas Arist. proximas uocitat; & quia hæ multæ, & uarii generis sunt: ideo harum aliquæ naturales, aliquæ fortuitæ, aliquæ artificiales nobis uidentur: & penès has aliqua uidentur fœti à natura, aliqua ab arte, aliqua à fortuna. Sed hæ nihil possunt aduersus primas, & principales; quæ fatales sunt. Et inferiores istæ ac proximæ, & adiuuantes, ut à superioribus diriguntur, ita efficiunt, ut omnia tandem fato ineuitabilique necessitate fieri ex Platone ac Platonicis dicere possimus, quod in Epinomide explicare satis asseruit Plato, cum dixit, tres Parcas perfectum illud conseruare, quod singuli Deorum optimo consilio deliberarunt. Illud obiter hoc loco notatum uolumus, & lib. quarto & lib. decimo de legibus & alibi, pro fato usum fuisse sæpe Platonem fortunæ nomine. sed de responsione Platonis ad tertiam Stoicorum rationem & de diuina tum præscientia, tum prouidentia, secundum Platonicorum opinionem, hactenus.

Ad idem tertium pro Stoicis argumentum, quod ex præcognitione diuina procedit, ex Iamblicho cognomento diuino, respondetur: sed in primis quinque pro responsione, prænotantur.

CAP. XIX.



VIDIMVS quid ad illam, ex præcognitione, ualidam certè, & multum efficacem rationem, Platonici communiter responderent; qui ineuitabili euentuum necessitati magis, quàm temeritati aut contingentiæ fauere uidentur. Et prius quid ad eandem rationem Peripatetici dicerent; abundè uideramus: qui contrà ineuitabilem necessitatem, ab his præsertim subcœlestibus, & indiuiduis rebus, abigunt; contingentiæ autem, & temeritati & doctè, & sapienter plurimum patrocinantur: super est ut uideamus, quid ad eandem dicerent Philosophi illi, qui assumptũ recipiunt; connexionem aũt, & argumentum minimè omniũ admittunt: qui (ut superius diximus) cũ diuina rerũ cunctarũ præcognitione, & præuidẽtia, ac prouidentia, & cũ ea, quã de reb. his subcœlestib. Dii, & dæmones habere dicuntur, procuratione, fortunã, & casum, & uniuersam denique temeritatis, & contingentiæ naturam, bene & eleganter tutati sunt. Eximii quidem igitur sunt Philosophi, & Ethnici Theologi, & ipsi Platonici; qui assumptum quidem, hoc est Deum omnia præcognoscere, admittunt; sed deductionem, & consequentiam, hoc est, igitur cuncta eueniunt ineuitabili necessitate, non recipiunt; sed abiiciunt longissimè & ad hanc rationem Stoicorum, ita doctè (sed an idem senserit Plato, uiderint alii) ita sapienter respondent; ut catholicam nostrorum Theologorum responsionem exhibere, simul atque exactè satis declarare, uideantur. Iamblycho cognomento diuino, Porphyrii platonici discipulo, istam, quam modo laturi sumus pulcherrimam, doctissimamque responsionem, secunda sectione libri de Interpretatione, Ammonius Alexandreus, & alii plerique alibi ascripserunt. qui certè Iamblychus, in hac difficultate, & in ipsa de diuina præscientia tractatione, atque in modo exhibendo, quo cum diuina rerum cunctarum præcognitione, ac præuidentia, temeritatis, & contingentiæ natura commodè, stare possit; uel Platone superior, uel saltem exactior, ac diligentior & captu facilior extitisse uidetur. quod quiuis, ex his, quæ, & superius abundè diximus, & iamiam dicturi sumus, facilè iudicare poterit. Sed ad istam responsionem exponendam, & luculentissimè

A mè declarandam, de eiusdem diuini Iamblichi sententia, nonnulla prius annotasse, necessarium est.

PRIMVM. Quòd in qualibet cognitione quatuor sunt, Vis cognoscens, Res cognita, Ipsa cognitio, & quartò modus cognoscendi. Aug. lib. nono de Trinit. cap. ultimo. A cognoscente, inquit, & cognito paritur notitia. ubi ex his quatuor tria tantùm expressit; uidelicet uim cognoscentem, rem cognitam, & ipsam cognitionem. Eadem numerat Ioannes Grammaticus lib. primo Priorum cap. XIII dum inquit; quòd cognitio est actus cognoscentis circa rem cognitam. Addidit autem diuinus Iamblichus quartum, scilicet cognoscendi modum; quia cognitionem omnem, si præsertim de ea, quæ per intellectum fiat, loquamur, eam autem interea quæ per sensum uisionis fit, de qua Aristoteli cum Græcis fuit semper contentio, secluserimus, intus suscipiēdo fieri, existimandum est. Res autem, quæ in aliquo recipitur, ut prius libro tertio fusius declaratum fuit, per modum recipientis naturæ recipitur. Hanc quartam conditionem D. Thomas lib. secundo Metaph. in textus XIIII expositione, dum ad quamlibet cognitionem, determinatam asseruit, cognoscentis ad cognoscibile proportionem, requiri, expressisse uisus est.

SECVNDVM, quod notare oportet, est. Quòd uis cognitrix, siue ipse cognoscens ad rem, quæ cognoscitur, trifariam comparari potest. Vel enim res cognita præstantior est ipso cognoscēte; uel minus præstans, uel æquè præstans. Exemplum, Canis cognoscit Dominum suum, res cognita cognoscente præstantior est. Idem cognoscit carnem, offam, & alia, quibus uescitur; nunc contrà; res cognita cognoscente est minus præstans. cognoscit item canem alium à se; nunc cognoscens est æquè præstans rei cognitæ. Exemplum aliud, ut rem propius attingamus, Intellectus humanus cognoscit Deum; sed cognoscens est re cognita minus perfectus. cognoscit etiam speciem coloris, nunc contrà est magis perfectus, quàm sit res cognita. Seipsum item cognoscit, uel homo hominem, nunc ipse cognoscens est rei, quæ cognoscitur, æquè præstans.

TERTIVM præmittendum & adnotandum est, Quòd cognitio ad rem cognitam, siue, quod idem sit, modus cognoscendi ad illam cognitionem, quæ ipsi rei, ex sua natura conuenit, trifariam, similiter enarrari potest; quoniam & magis præstans, & minus præstans & æquè præstans cognitioni cognoscendi modus esse potest. Exemplum, Socrates mulam, quæ est in equili Platonis; quam nondum uidit; per illam uniuersalem propositionem, Mula omnis est sterilis, sterilem esse cognoscit. Modus iste cognoscendi per uniuersalem propositionem, & per æternam quandam cognitionem (omnis enim uniuersalis cognitio, æternis temporibus uera est) præstantior est, quàm sit res ipsa cognita; siue, quod idem nunc dictu putemus, quàm sit cognitio illa; quæ sua natura debetur ipsi rei cognitæ materiatæ, & corruptibili, & singulari; ut singularis est. Cum non nisi caducam de re illa, & fragilem, & singularem cognitionem, quatenus res ipsa, quæ cognoscitur, singularis, & caduca, & fragilis est, habere Socrates non possit. Vnde ea ratione qua caducam, & cito perituram cognitionem, de huius mulæ sterilitate, modo quodam æterno, per uniuersalem scilicet propositionem, quæ perpetuæ ueritatis est habet Socrates; ille dicitur hanc cognitionem habere, modo præstantiori, quàm sit ipsa cognitio; quæ ipsi rei singulari ex natura sua debeatur. Socrates rursus Deum cognoscit. Sed hic modus cognoscendi longè imperfectior est, quàm res ipsa, quæ cognoscitur sit; atque quàm sit cognitio illa, quæ rei illi cognitæ ex sua natura respondet. Noster sanè intellectus modo suo potius, quàm pro rerum natura, & earum ratione, res ipsas intelligit. Vt quemadmodum corporum formas; quæ singulares sunt, in materia mersæ, diuisæ, confusæ, infectæ, mobiles modo quodam uniuersali, absoluto, simplici, distincto, puro, ac stabili intelligit, ita contrà, Deum, & angelos, qui stabiles sunt, à materia absoluti & suo modo simplices, & cum materia, & uario ac multiplici ratiocinio concipit & intelligit. Humanus tertiò intellectus suam essentiam contemplatur; Angelicus suam; diuinus propriam. Hic modus cognoscendi adæquatur fortasse cognitioni ipsius rei. Diximus fortasse; quoniam intellectus quippe diuinus proculdubio, quantum cognoscibilis est; omniq́ue cognitionis modo, quo cognosci potest, seipsum prorsus cognoscit. in qua cognitione modus cognoscendi penitus æquatur, & rei cuius est; & illi cognitioni, quæ rei respondet; quoniam diuinus intellectus eam de seipso cognitionem habet; quæ haberi potest; & quam de se est natum obiectū illud generare, quam cognitionem Theologi nostri compræhensionem appellauerunt. An uerò humanus intellectus, & angelicus, seipsos illo modo cognoscant; & sese compræhendant; atque modis omnibus, quibus cognosci possunt, se intelligant; dubium est. De qua re & apud Fulgentium lib. secundo ad Trasimundum Vandalorum regem, & alibi fortasse opportunius uideri poterit. Satis sit ista nunc gratia exempli adduxisse; ut aliqualem modum haberemus; quo, cognitio de aliqua re, & modus cognoscendi inuicem æquè præstantes sunt, animo saltem, & intelligentia consequeremur.

QVARTO loco sciendum est, Quòd in diuina etiam cognitione, secundum Iamblichum suo modo sunt ista omnia. Nam in ea est uis cognitrix, diuinus intellectus, est res cognita homo, lignum,

gnum, lapis, diuina eſſentia, & breuiter diuini intellectus obiectum, nulla facta in præſentiarum de obiecto mouente, uel terminante diuiſione. eſt cognitio ipſa, qua hominem & res alias diuinus intellectus cognoſcit; eſt tandem ipſe modus cognoſcendi, qui etſi à nobis ſit inexplicabilis, eſt tamen diuinæ naturæ quàm decentiſsimus. & inter omnes, qui excogitari poſſunt præſtantiſsimus atque auguſtiſsimus. E

QVINTO & ultimò loco notandum ſupereſt, quòd etſi ſint quatuor illa omnia, ut dictum fuit, in diuina cognitione; quæ in humana ſunt; ad ea tamen, quæ intellectus diuinus, diuinaque mens, ac diuinæ mentis præſtantia cognoſcit, non niſi duobus modis uis iſta cognoſcens comparari poteſt. Non enim aliqua re cognita minus præſtans, & minus perfecta uis diuina cognoſcens eſſe poteſt: ſed eſt omnino uel æquè præſtans, ſi ad naturam ſcilicet, & eſſentiam propriam fiat illius relatio, uel magis præſtans, ſi ad aliud quoduis obiectum diuinus intellectus comparetur. Modus ſimiliter cognoſcendi diuinus ad ipſam rei cognitionem, biſariam rurſus tantùm comparari poteſt, uel enim eſt cognitioni, quæ rei congruit, æquè præſtans; ad quem modum, propriam eſſentiam Deum cognoſcere diximus; uel magis præſtans; quomodo cætera omnia à ſe diuinus intellectus cognoſcit. Diximus in ſuperioribus, hominem nonnulla iſto modo cognoſcere; ut & cognitio & modus cognoſcendi, re (de qua eſt) ſit excellentior. Si igitur nonnulla, modo cognoſcendi præſtantiori, quàm rerum cognitioni congruat, homo cognoſcere dicatur; exiſtimare quoque debemus, Dæmonem ſiue angelum, hæc omnia modo, quàm faciat homo, adhuc præſtantiori, comprætendere, atque intelligere poſſe; & quo ſuperioris ordinis Dæmon fuerit, pro ratione ſuæ perfectionis, eadem rurſus, quæ homo, & dæmon inferior modo fœliciori cognoſcere poteſt. Supremam uerò uirtutem, diuinamque tandem mentem, modo prorſus reliquis cæterarum quarumcunque uirtutum cognoſcentium modis omnibus longè adhuc auguſtiori, illuſtriori, fœlicioriquè id eſt modo quàm perfectiſsimo, eadem intelligere poſſe, penitus cenſendum erit. Semper enim quod cognoſcitur, pro cognoſcentium ratione, magis uel minus perfectè cognoſcitur; quòd cognitio non rei cognitæ naturæ, ſed uirtutis cognoſcentis perfectioni, uel imperfectioni reſpondeat. quam rem in diuerſis potentiis eiuſdem ſubiecti libro quinto, proſa IIII de Conſolat. Philoſoph. his uerbis perbellè declarauit Boethius. Omne (inquit) quod cognoſcitur; non ſecundum ſui uim, ſed ſecundum cognoſcentium potius comprætenditur facultatem. Nam ut hoc breui liqueat exemplo, unam eandemque corporis rotunditatem, aliter uiſus, aliter tactus agnoſcit. ille eminus manens, totum ſimul iactis radiis intuetur; hic uerò cohærens Orbi, atque coniunctus, circa ipſum motus ambitum, rotunditatem partibus comprætendit; ipſum quoque hominem aliter ſenſus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia intuetur. Senſus enim figuram in ſubiecta materia conſtitutam, imaginatio uerò ſolam ſine materia iudicat figuram. Ratio uerò hanc quoque tranſcendit; ſpeciemque ipſam, quæ ſingularibus ineſt, uniuerſali conſideratione perpendit. Intelligentiæ uerò celſior oculus extitit. Supergreſſa nanque uniuerſitatis ambitum, ipſam illam ſimplicem formam, pura mentis acie, contuetur. Hæc ille. Sed de iis quæ prænotanda erant à nobis hactenus.

Nonnulla ex prænotatis colliguntur; & tacita ſuboriens dubitatio tollitur. CAP. XX.



EX IIS, quæ ſuperiori capite prænotata fuerunt colligunt multi præclariſsimi, doctiſsimique Philoſophi. & in primis Iamblichus Theologus Ethnicus, & Academicus; quem inter alios Alexander etiam Aphrodiſieus libro de Fato cap. XVI, necnon Ammonius Alexandræus ſectione ſecunda de interpretatione, præſtantiſsimi Ariſtotelis interpretes, & maximi Peripatetici ſequuti fuiſſe uidentur: Deum præſentia, præterita, futura, poſsibilia, impoſsibilia, neceſſaria, non neceſſaria, contingentia, temeraria, & (ut uno uerbo dicam) cuncta, quæ in Orbe uniuerſo non ſolùm ſunt; ſed quæ etiam in præteritum fuerunt, uel in poſterum erunt, uel eſſe poterunt, modo quodam nobis quidem ineffabili, atque incomprætenſibili; diuinæ uerò ſuæ naturæ, ac tantæ maieſtati, quàm congruo, ac quàm decenti, cognoſcere, id eſt, & cognitione ualde perfectiori, auguſtiorique; & modo cognoſcendi longè præſtantiori, longeque excellentiori; quàm ſit & modus eſſendi rerum, & ipſa cognitio, & modus cognoſcendi, qui rebus ipſis, quantum ad res attinet, debeatur; & qui ipſarum rerum naturæ reſpondeat. Ratio eſt, quia & cognitio, & cognoſcendi modus (quod etiam ſenſit Ariſtoteles ut prius, libro tertio, in reſponſione ad ſecundam rationem pro Fato, & ineuitabili rerum cunctarum neceſsitate, deductam, à nobis notatum fuit) modo eſſendi reſpondet; non quem habet res cognita; ſed quem habet uirtus rem ipſam cognoſcens. Quamuis enim res multæ ſint ſua natura præſtantes, atque illuſtres; quæ à nobis, quantum ad res attinet, cognitione ſimiliter clara & illuſtri deberent intelligi;

A ligi; quia tamen sensibus caliginosis utimur, & mole corporea grauati hebetes sumus; adde quo niam atris, nubilosisq; phantasmatibus, atque obscuris tenuibusque specierum, ac uisorum simulachris, colligatas, implicatasque habemus nostri intellectus operationes, res propterea sua natura quamuis illustrissimas, non nisi modo quodam subobscuro, & caliginoso; & qui germanæ quidem rerum illarum cognitioni impar omnino, nostræ autem infirmitati, & impotentiæ par, & congruus sit, cognoscere possumus.

NEQVE hic mihi obiiciat quæso Peripateticus quispiam; quod lib. primo minore Supremæ philosophiæ tex. IIII, rem unamquamq; ita se habere ad hoc, ut cognoscatur; sicut eadem se habet ad esse, asseruerit Arist. quoniam, ut in disputatione de Subiecto Metaph. alias diximus, Metaphysicus quatenus Metaphysicus est, res, non penès nostrum modum intelligendi, sed penès suam naturam, & suum modum essendi, singulas contemplatur. Est autem omnino confitendum, rebus præstantioribus, modum, ex natura sua, cognoscendi præstantiorem, cognitionemque, pro ratione præstantiæ suæ, fœliciorem correspondere. Sed si à nostro intellectu res istæ sublimes, & abstractæ percipiantur (quòd re cognita ipse cognoscens longè imprꝗstantior sit) modo longè imperfectiori, uel quàm rebus illis ex natura sua conueniat; uel quàm uiliora multa cognoscantur, à nobis, illæ percipientur; quæ tamen si ab excellentissimo, præstantissimoque, atque diuino intellectu comprætendantur; contrà fieri, & præstantiore cognitione, &
B præstantiori, quàm illis sua natura conueniat, modo, cognosci, sine dubitatione, existimandum erit. Vt omnino uerùm sit illud, quod dicebamus; cognitionem scilicet, & modum cognoscendi, uirtutis cognoscentis excellentiæ, non rei cognitæ naturæ, & essentiæ correspondere. Et cum modus omnis, quo mens diuina res cognoscat, pro ratione præstantiæ uirtutis cognoscentis, sit augustissimus, atque perfectissimus: supra cuiusque rei naturam, & essentiam, & cognitionem, & modum cognoscendi proprium, & qui rei cognitæ debeatur, modo scilicet, quo possunt, illustriori omnino, augustiorique, ab intellectu diuino intelligi cuncta, ac comprꝗhendi dicemus. Deum igitur, cùm uirtus sit sine dubio augustissima, omniumque præstantissima, tanto, tamque excellenti, fœlici, ac admirabili modo res omnes cognoscere, modo cognoscere fateatur, quispiam dubitare non debet, quum rerum cunctarum naturam mirum in modum Deus excellat; eisdemque excellentissimè supereemineat; ac eas post se infinito propemodum interstitio derelinquat.

C

Modus diuinæ cognitionis ex prænotatis exponitur.

CAP. XXI.



HIS itaque sic se habentibus, diuinus Iamblichus Deum asseruit cognoscere omnia præterita, præsentia, & futura; Sed modo (ut dictum est) omnia excellentissimo & à nobis inexplicabili: idest modo non ipsis rebus, sed suæ maiestati congruo, atque decenti. quem, ut possumus, explicabimus. Cognoscit itaque præterita, sed non tanquàm præterita; & futura, sed non tanquàm futura; quoniam ut sensit Iamblichus, & ante Iamblichum Timæus, & ante Timæum Parmenides, non est apud Deum, fuit, uel erit; sed tantùm, est. Illa igitur omnia ita cognoscit; tanquam præsentia, intueatur. præsentia quinetiam non tanquam præsentia nouit; hoc est, non tanquam in instanti uolubilitatis, & temporis rapacissimi præsentia, sed in instanti constantissimæ permanentissimæque æternitatis. Cuncta ergo modo illustrissimo intelligit, atque augustissimo. Item diuisa omnia percipit quidem, sed modo indiuisibili; multifida, sed unitè; quanta, sed sine dimensione; temporanea, sed æuiternè; generabilia, sed ingene-
D rabiliter; corruptibilia, sed æternè; fluxibilia, sed sine fluxu, & modo quodam stabili; contingentia, & indeterminata, sed determinatè; fortuita, & temeraria, sed definitè; & (ut semel finiam) cuncta non per discursum, & ratiocinium aliquod; & modo rebus ipsis cognitis conuenienti; sed ueluti ex alto prospectans, digniori, fœlicioriquе, quàm conditæ sint; quamque esse in se habeant; atque quàm rebus ipsis ex sua natura conueniat; in instanti æternitatis, quam æternitatem æuum appellant sæpe Philosophi, unico actu, & simplicissimo Deorum natura cognoscit, ac intuetur. Quinimmo non rerum essentias, atque naturas solùm & actiones: sed uirtutes etiam, momenta, & inclinationes, seu propensiones, & aptitudines ad agendum, uel patiendum omnes, tam quæ secundum naturam, quàm quæ contra & præter naturam & effectus cunctos, qui eueniunt, aut euenire possunt; tanquam ex arce, uel tanquam è specula, modo quodam excellentissimo Dii ita prospectant; ut ea etiam quæ præter naturam, & quæ monstruosa, & quæ casualia, & quæ temeraria nobis sunt; à Diis & uisa, & præuisa eueniant; & necessitati eatenus illa, quamuis temeraria sint, coniuncta Dii uideant; quatenus & si non principaliter à Diis, & à natura sint huiusmodi intenta, & procurata; quia tamen rerum naturis, quæ per se, quia ad Mundi

Mundi uniuersi integritatem istæ necessariæ sunt; à Diis intenduntur, & procurantur, siue ad opportunitatem, siue ad ornatum superaddita ista uidentur; ad Orbis uniuersi propterea, quamuis per accidens, integritatem, & perfectionem facere etiam ista censentur. Vnde à Diis modo quodam illa procurari, & intendi, negare non possumus; quatenus uidelicet ad Orbis uniuersi (ut dictum fuit) integritatem, aliquo modo & incolumitatem uel ornatum faciunt. Immo quod admiratione dignum est; ipsa etiam impossibilia, & quæ esse nequaquam possunt, non solùm aliquo modo esse; sed quodammodo de necessitate esse Dii iubent; non in rerum quidem natura, & extra causas suas: quas neque habent; neque (cùm impossibilia sint) habere possunt; sed in ipsa Deorum cognitione; cum non solùm necessaria, & contingentia, & possibilia, sed modo uidelicet diuinæ naturæ congruo, impossibilia etiam Dii cognoscant. quam quidem Deorum cognitionem, quia Deorum essentiam suo modo illa consequitur, & comitatur, quamuis rei impossibilis sit, necessariam tamen esse, nullatenus dubitare debemus. Consimilem, de modo cognoscendi Deorum, habet de Platone sententiam Proclus; qui ad finem lib. primi de Theologia Platonis, Deorum perspicientiam cuicunque cognitioni supereminere asseruit; et Deos prætere a, cognoscere totum simul & partes, entia & non entia, æterna & temporanea, communia & propria, absurdissima etiam & infinitudinem suscipientia; & denique ipsam primam materiam. F
Post quæ omnia subdit; modum cognitionis Deorum, humano ingenio inexploratum, imperceptibilemque esse; & ipsis duntaxat Diis perspicuum. Hæc est aurea diuini Iamblichi de diuina præcognitione sententia; à nobis (quantum fieri potuit) & longè quàm ab aliis expositoribus (ni fallor) clarius, & explanatius recitata.

Nunc demum argumentum illud, quod ex diuina præcognitione procedit, ex Iamblicho dissoluitur. CAP. XXII.



VERVM enimuerò iis etiam, quæ ex Iamblicho, de diuina cognitione dicta fuerunt, non obstantibus, dubitaret hoc loco quispiam, Si futuros contingentes euentus; qui ancipitis naturæ sunt; immo & temeritates, & casus omnes Deorum natura, & diuinus intellectus, qui decipi & falli non potest, determinata (ut ex Iamblicho dictum fuit) & certa ac definita cognitione antequàm eueniant, præcognoscat, quomodo non firma permanebit illa superius ad principium nostræ disputationis tertio loco pro Stoicis illata deductio, & argumentum; in quo dissoluendo iamdudum sudamus; omnia scilicet ineuitabili necessitate euenire? quod per multa connexa ex Cicerone etiam confirmauimus. G

HVIC quidem dubitationi respondet doctissimè diuinus Iamblichus; à quo nonnulla fortè sumpsit Alexander lib. de Fato cap. XVI, Non esse ea, quæ iam sunt, aut etiam quæ præterierunt non fuisse, uel ea, quæ olim euentura sunt, non forè possibilia, uel impossibilia necessaria, uel contingentia, fortuita, uel temeraria, ex ipsa diuina cognitione. alioquin, cùm Deus omnia præterita, præsentia, & quæ futura etiam sunt, possibilia, impossibilia, necessaria, & contingentia, fortuita, & temeraria cognoscat, uel omnia necessaria, uel omnia contingentia, uel fortuita similiter & temeraria omnia, uel omnia possibilia, uel omnia etiam impossibilia essent. si rès (inquam) ab ipsa diuina cognitione, aliquampiam huiuscemodi naturam, & denominationem sortirentur. At non ita profectò se res habet. Ea nanque, quæ possibilia, uel impossibilia sunt; similiter ea, quæ necessaria, uel contingentia sunt; non ideo (ut dictum fuit) necessaria, uel contingentia; possibilia, uel impossibilia dicuntur, aut sunt; quod à Deo sint, uel non sint, uno uel altero modo cognita, uel etiam præcognita; sed contrà, quoniam ex propria, & intrinseca natura sua, quam tamen naturam à Deo Opt. Max. sortita sunt, talia sunt, ideo ut talia, & non alio modo, à Deo intelliguntur, uel intelligi possunt; siue iam sint, siue fuerint, siue futura sint. ut homo, exempli causa, ex intrinseca natura sua; quam illi Deus contulit, quoniam rationalis est, à Deo ita rationalis esse intelligitur; quòd non tamquàm irrationalis, sed solùmmodo tamquàm rationalis ab eodem intelligi potest. H

QVAMOBREM possibilia solùmmodo tanquam possibilia; impossibilia, tanquam impossibilia; necessaria, tanquam necessaria; contingentia, tanquam contingentia; temeraria, & fortuita, tanquam temeraria & fortuita; & cuncta breuiter qualia qualia sunt, tanquam talia à Diis cognita; & cum futura sunt; præcognita ab eisdem, esse dicuntur; & si eueniunt, qualia sunt, euenire illa est existimandum. Non enim in euentu, speciem, & naturam transmutant. Et ideo contingentia, & quæ naturæ ancipitis sunt; quòd contingentia, & naturæ ancipitis sint; & quòd euenire, uel non euenire per se ipsa sua natura possint; immo etiam quando, & quibus modis euenient, uel non euenient, Deus intelligit. Nec si eueniunt, aliter quàm sunt, id est aliter quàm suæ naturæ congruum est; & aliter quàm quatenus uel contingentia, uel temeraria sunt, euenire

A nire possunt. Nec similiter si eadem Deus intelligit; aliter quàm sunt, id est aliter quàm ut contingentia, uel ut temeraria sunt, à Deo intelligi possunt. Nam si secus & contrà quàm sunt, res ipsas diuinus intellectus cognosceret; falleretur sine dubitatione. At falli nullo modo potest. Idem quoque censendum est de necessariis, & possibilibus: omnia nanque eo modo, quo uel sunt; uel esse possunt, & quo denique illis esse congruit; à Diuino intellectu pro diuinæ perfectionis ratione; etiam ante eorum euentum præcognoscuntur planeque intelliguntur, & in rerum natura suis temporibus producuntur, & eueniunt; id est possibilia, ut possibilia, & modo possibili; necessaria item, ut necessaria, & modo necessario; contingentia similiter, ut contingentia, & modo contingenti; temeraria eodem modo, & casualia, ut temeraria, & ut casualia, & modo temeritati, & casui conuenienti; in rerum natura secundis adhibitis causis & in lucem eduntur, & à Deo Opt. Max. intelliguntur. Et quamuis id, quod contingens, & temerarium est; modo rei contingenti, & temerariæ congruo, euenturum sit; cui nihil magis quàm præfixa, & determinata ratio aduersari uidetur. Diuinus tamen intellectus ob ineffabilem excellentiam suam, certè, & distinctè ita præcognoscit; ut apud diuinum intellectum error, uel temeritas, B uel casus locum nec habeat, nec habere possit. causas nanque antecedentes & consequentes omnes, ex quibus euentus contingens, uel temerarius tandem futurus est; & ipsarum causarum nexum, & complexionem contingentem, uel etiam temerariam, ab æterno diuinus intellectus determinatè, & liquido præuidit, & præcognouit. Alioquin si ex diuina præcognitione, dicerentur aliqua necessaria; illud statim aduersus Stoicos (dicebat Alexander) sequeretur absurdissimum quòd non solùm possibilia, & contingentia, sed quòd impossibilia etiam, necessaria essent. impossibilia enim Dii cognoscunt, & præcognoscunt. quo quid, quæso, cogitari, potest inscitius? & à ratione magis alienum?

Tangitur dubitatio in dictis Iamblichi quoniam ad huc uidentur cuncta ineuitabili necessitate euenire; & soluitur. CAP. XXIII.



C SED dubitabis rursus aduersus Iamblichum, Quoniam Deus, rei contingentis est causa. Est enim (ut sæpius dictum fuit) rerum omnium causa; à qua res singulæ, & ipsæ rerum causæ suam naturam sortitæ sunt: & in serie antecedetium, consequentiumque causarum, siue necessaria sit, illa series, siue contingens, siue etiam fortuita, & temeraria; prima causa semper existit. sed quum secundum Stoicos, & ipsum etiam Platonem, ἀνάγκη, idest necessitas, Deus dicatur: se qui uidetur; ut non nisi necessaria causa sit eius; cuius est causa. contingentiæ enim natura, adeo, prorsus tollenda est; tum quòd non quandoque uelit, quandoque non uelit: sed uelit semper, quidquid uult: & liberè quidem, tametsi necessariò uelit, tum quòd nihil diuinæ naturæ contingat, & accidat. sed quidquid Deo conuenit, qualitercunque illud conueniat, de necessitate conuenit: & non conuenire non potest. ea igitur quæ contingentia, & quæ à nobis temeraria dicuntur, ineuitabili necessitate, & modo sibi non conuenienti cum Deus, qui (ut diximus) à nonnullis maxima necessitas nuncupatur, illorum causa sit, sed modo potius necessario, & rei necessariæ congruo, euenire dicendum erit.

RESPONDET ad hanc dubitationem, quam ipse præuiderat, Diuinus Iamblichus inquiens: Deum quarundam quidem rerum causam esse: quarundam uerò non causam, sed concausam. Aeternarum nempè duntaxat rerum, & earum tantùm, quæ necessariæ sunt, est causa: temporalium uerò, & contingentium, & casualium, & earum breuiter omnium, quæ aliter se habere possunt, causa non esse dicitur, sed concausa. Quorum autem Deus concausa est, quamuis ipsa diuina natura in se necessaria sit; & nihil eidem conueniat, quod non de necessitate conuenire dicatur; D ita ut ex necessitate, etiam sit rerum contingentium, & casualium concausa, non est tamen ipse causa necessaria. Dicere nanque Deum ex necessitate esse causam, longe diuersum est ab eo, quod dicimus Deum esse causam necessariam, si illud uerũ est, hoc falsum. quod si etiam necessaria causa esset: non sequeretur propterea, ut modo necessariò temeraria euenirent, & contingentia; sed uel propter aliquot subordinatarum, efficientiumque causarum imperfectionem, & contingentiam; uel propter eius, ex quo quid efficitur, imbecillem naturam, & inconstantiam; quòd ex informi materia, quæ formam omnem naturaliter appetat, efficiatur: contingentia, & temeraria contingenter euenirent, & temere, quoniam ad euentum necessarium, primam causam necessariam causam esse, non sufficit; quemadmodum ad conclusionem necessariam, priorem propositionem esse necessariam sat minimè est. Deus igitur, & prima contingentium rerum causa, aut contingens causa est; aut modo contingenti causat, non autem modo necessario; siue (ut dicebat Iamblichus) concausa est; non autem causa.

SI dicas, ad omnes istas causas cum quibus concausa Deus est, euentus rei (ut dictum olim fuit)

fuit) ineuitabili necessitate sequitur (impossibile est enim omnibus alicuius effectus positis causis, quæcunque sint illæ causæ, siue necessariæ, siue contingentes, & temerariæ, effectum non euenire) ergo quomodocunque dicatur Deus esse causa, uel concausa; idem semper sequetur, quod prius, omnia uidelicet etiam secũdum Iamblichum ineuitabili necessitate euenire. Nullus enim euentus in esse ponitur; cuius antea non præcesserint suæ causæ omnes. E

RESPONDET ad istam dubitationem Ammonius. quòd quamuis euentus rei, ad suas omnes causas relatus, sit necessarius; de necessitateque (ut libro octauo cap. ultimo à nobis uberius declarabitur) ita eas consequatur; ut non sequi, & non euenire ille non possit. necessitas tamen ista, conditionis necessitas est, & suppositionis; non autem naturæ rerum, uel causarum; quæ contingentiæ & temeritatis naturæ repugnet; quatenus scilicet quibusdam positis causis, effectus de necessitate sequitur; & non sequi non potest. at illæ causæ in ordine sæpe, & serie causarum, temere, & casu, nedum contingenter, positæ sunt. Quod autem ex conditione necessarium est, ut in commentariis de Generatione & Corruptione lib. secundi, ad tex. LXVII patere potest, absolutè, & simpliciter, & per se, contingens est. Rem declarabat duplici exemplo Ammonius. Primum ex medico, qui in principio ægritudinis, dubius est de sanitate ægroti, uel morte; quòd hæc uel illa euenire indifferenter possit: procedente uerò tempore, de sanitate, uel morte idem certè, & determinatè prognosticat: huius scilicet, uel illius uitæ, uel mortis in ægroto positis causis: ad quas uita, uel mors de necessitate sequatur. secundum ex sphæra, quæ in plano æqualiter constituto posita contingenter, indifferenterque, & moueri, & non moueri potest: sed paululum plano eleuato, uel depresso, omnino non moueri illa non potest. F

Tangitur alia pulcherrima dubitatio, aduersus ea, quæ ex Iamblicho dicta sunt; quæ ex oraculorum perplexitate procedit, & ad eam duæ ex Syriano responsiones afferuntur; & tertia ex Ioanne Grammatico & Luciano, quarta ex Porphyrio, quinta additur ex Carneade. CAP. XXIIII.



SED adhuc aduersus diuinum Iamblichum, eruditissimè dubitabis. Si Dii futuros contingentes, & temerarios euentus, certissima (ut dictum fuit) & determinatissima, infallibilique prorsus cognitione præcognoscunt: cur ab oraculis (sunt enim oracula Deorum responsa) ambiguas, & incertas sæpenumerò antiquitas responsiones habebat. ut fuit illa, quam χρησμῷ κιβδήλῳ hoc est, ambiguo uaticinio, habuit Asiæ Rex. Cræsus Halym penetrans magnam peruertet opum uim. illa rursus, quam Pyrrhus habuit. Aio te Aeacida Romanos uincere posse. & illa, quam Nero habuit de cauendo anno septuagesimo tertio, quæ amphibologicæ sunt; & in duas partes facillimè ita deflecti possunt; ut & in perniciem Pyrrhum & Cræsum & Neronem adduxerint; & à Diis de rei euentu dubitantibus, non autem certè illum præcognoscentibus, exhibitæ uideantur. G

DVAS ad hanc dubitationem attulit Syrianus responsiones. Vna est quòd de simplici Dei cognitione longè aliter, atque de ipso oraculo, siue de ipso uate, & Propheta existimandum est. (Oracula quippe per Prophetas homines, & uates, ut ex historiis facilè perspicitur, & sequenti quidem libro fusius, plenius uerò libro nono & ultimo declarabitur, & responsionem Dii plerunque per se dabant; plerunque Deorum responsa uates, siue Propheta excipiebat, & afferebat interrogantibus, eademque nonnunquam interpretabatur. Dii enim ex se futuros quoscunque, (ut sæpe & dictum, & repetitum fuit) euentus certissimè, exactissimeque præuident, & præcognoscunt; at eosdem Prophetæ, siue uates non ita, ut Dii ipsi, norunt exactè & clarè; sed eos eatenus illi percipiunt; quatenus à Diis ipsis illustrari illos, irradiarique contingit. ea autem, quæ à quopiam illustrari, irradiarique uidemus, ab ipsius illustrantis perfectione deficere necessum est. Cum enim cuncta ferè, quæ in Orbe uniuerso sunt, à Sole (ut patet) illustrentur, atque irradientur; quid illud, quæso, in tota rerum uniuersitate est; quod Solis claritati comparari, nedum æquari potest? In Propheta igitur, uel in Pythia, & uate, non adeo, ut in Deo est, certa recipitur de euentu contingenter, uel temerè futuro, præcognitio; quòd nonnisi à Diis aliquo modo irradiatus, illuminatusque ista uates præcognoscat, atque prædicat. Quamobrem si cum aliqua obscuritate, illud idem, quòd à Diis accipit, pronunciat; nulla debet esse admiratio: nec apud nos propterea aliqua debet oriri suspicio, uel dubitatio. An Dii futuros quoscunque euentus certè, & exquisitè præcognoscant. Circa finem primi libri de Theol. Platonica uatibus similiter, in oraculorum responsionibus, falsi quidquid irrepserit, Proclus ascripsit. eius uerba Latinè proferam, post multa, quæ de Deorum cognitione, & perspicientia ille disseruit, ista subiecit. Quamobrem H «

A » obrem si in Deorum responsis, aliqua intercesserit falsitas: non à Diis, sed à susceptoribus, aut in-
» strumentis, seu locis, uel occasionibus fieri, existimanda est. Hæc enim omnia, ad diuinæ cogni-
» tionis communionem, opem conferunt. Diisque quàm proximè accommodata, puram ipsis
» innixæ ueritatis illuminationem suscipiunt. propter inhabilitatem autem, longe à Diis reiecta,
» iisdemque inconcinna, ueritatem ab eis prouenientem, denigrant; & offuscant. Hæc ille. & de
» prima responsione hucusque.

ALTERA Syriani responsio est. Responsiones ambiguas per Prophetas, & uates, à Diis ali-
quando dari: non quia Dii ambigant; & minus certè euentum rei præcognoscant: sed quia au-
dientium utilitati, atque (quantum fas est) indemnitati præconsulunt; ne scilicet, uel cum malæ
fuerint, & contra consulentium uota responsiones, in præceps illi ferantur; uel contrà, cum bo-
næ fuerint, nimis præ gaudio uani, & gloriabundi efferantur.

DANTUR etiam, ut nos tertiam, quam in Ioue Tragœdo Lucianus, & in lib. primo cui titu
lus Posteriorum, Ioannes Grammaticus attulerunt, responsionem addamus; ancipites aliquan-
do, & obscuræ ab oraculis, & ab ipsis oraculorum Prophetis responsiones; ad hominum ingenia
exercenda. sicut illa fuit à Delphico Oraculo, Deliis peste laborantibus, data, de duplicando al-
taris cubo. In qua re cum multorum fuissent prius exercitata ingenia; præceptore Platone, cu-
B bum tandem Delii duplicare nouerunt. Dii enim nobis natura mobilibus, ita utuntur; nosq; &
nostra omnia ita gubernant, & administrant, ut nobis omnia pro nostra uel dignitate, uel utilita-
te, & tribuant, & prouideant.

SED Porphyrius (ut tribus responsionibus quartam addamus) lib. de Oraculis, candidissimè
» ad illud, quod dubitatum est, respondens, Sciendum, inquit, Deos quoque sæpè mentiri; nam
» explorata, certaque futurorum perspicientia, non hominibus tortuosa modò, sed & Diis ipsis in-
» certissima, plurimisque referta ambagibus est. Quia si cui Deo uerum præscire contingit; non
» tamen omnibus contingit horis. hactenus ille. Hoc autem ideo dixit Porphyrius; quia ex cœ-
lestium motuum atque luminum obseruatione, & ex certa eorundem configuratione, oracula, &
dæmones, & uates ipsos futura prædicere, opinabatur.

ADDAMUS ex Carneade Stoico responsionem quintam, quod Dii ambiguas responsiones
attulerunt; quoniam ea, quorum causæ aut naturales non sunt, aut non præcesserunt, deos
C cognoscere non possunt. Duas, præter has quinque, quas hactenus attulimus, ad hanc ean-
dem dubitationem solutiones, inferius daturi sumus; quarum unam ex nostris Catholicis Theo
logis, alteram uerò ex Aristotele desumemus: interea quæ ad dubitationem dicta fuerunt, suf-
ficiant.

Peroratio solutionis diuini Iamblichi.
CAP. XXV.



ISTA est pulcherrima ad tertiam, pro Stoicis, rationem, & doctissima diuini
Iamblichi, admirabilisque, & propemodum diuina responsio: à qua an Plato
dissentiat; cum Platonicorum placitis ualde accomodata uideatur, qui aliquan
do contingentiam in rebus admittunt; aliquando auferunt, iudicabunt alii.
Plato (ut de Platone dicā quod sentio) uerbis admittere, & in sententia eam tol
D lere, mihi uidetur. certè paucis admodum immutatis, Peripateticorum illo-
rum opinioni, qui rerum cunctarum distinctam in Deo cognitionem tueri co-
nantur, deseruire affatim poterit. Quid nanque ab Ethnico Philosopho, quid à Gentili Theolo-
go, de diuina præscientia præclarius ingeniosiusque dici, uel etiam excogitari poterat? à quo pa
rum adeo nostrorum Theologorum euariat responsio, & sanum de scientia diuina iudicium; ut
nisi certum indubitatumque Catholicæ responsionis, & ueritatis auctorem Spiritum sanctum ha
beremus; à fontibus Iamblichæ Philosophiæ illorum & responsionem, & iudicium emanauisse,
propemodum affirmare, possemus. diuinam præscientiam explicat, oracula tuetur, contingen-
tiam & temeritatem mirificè defendit, & quàm aptè coeant hæc omnia demonstrat, & quasi ob
oculos proponit. Theologorum nostrorum responsionem opportunius tunc forsitan expone-
mus; cum de Prophetia postquam & ex Iamblicho, & ex Syriano, & ex Ioanne Grammatico, &
Porphyrio facta fuit de illa, & de prophetis, et uatibus mentio aliqua, & de ea passim & Philoso-
phi, & Theologi tam Ethnici, quàm Catholici, aliàs ita comminiscantur: ut si ea quæ prophetata
sunt eueniant, ineuitabili necessitate ut potè ex Deorum decreto & diuina scientia, quæ falli non
potest, euenire communiter, ut uideo, & uulgò existimetur, quatuor illa, Quis scilicet sit pro
pheta; & à quo sit; & quid sit ipsa prophetia; & quartò, an quæ à Prophetis euentura prædicun-

tur, ineuitabili necessitate eueniant, & iuxta decreta Philosophorum, & iuxta nostrorum sententiam Theologorum prius compendio disseruerimus. Nam an sit (quòd clarissimè pateat & à nemine sit dubitatum) consultò prætermittemus. Eo autem libentius hæc in præsentiarum, de Prophetia disputabimus: quòd diuinæ præscientiæ, de qua iam aliquem sermonem, ex Philosophis, habuimus, & ampliorem libro octauo ex Theologis catholicis, habituri sumus, pars aliqua, & quidem maxima, Prophetia esse uideatur; ut ita ex Prophetia, sicut ex diuina præscientia necessitatē aliquam de futuro contingenter euentu suspicari nemo non queat: magis & ratio quo magis prædici, ac Prophetari effectus aliquos non posse quis existimauerit; nisi iidem sint ineuitabili necessitate euenturi; ac ineuitabili aliqua causa in lucem euasuri. Iam igitur, quod faustum, fœlixque sit, de Prophetia sermonem aggrediamur. E

IVLII SIRENII CARRARII HIERONYMIANI, THEOLOGI, ET PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

De Fato liber ſeptimus.

In quo de Prophetia ad opinionem phyſicorum prius, deinde ad catholicam veritatem, agitur.

Quis Propheta dicatur ſecundum philoſophorum placita. CAPVT PRIMVM.



QVONIAM prophetia, pars eſt (ut dictum fuit) diuinæ præſcientiæ; de qua præcedenti libro ad Phyſicorum opinionem, abundè ſatis diſſeruimus; & ex prophetia ſiue ex oraculis ineuitabilem rerum cunctarum neceſsitatem multi, & in primis Stoici inferre conati ſunt; ad noſtram propterea diſputationem, & ad plenam de Fato inquiſitionem, & indagationem, de prophetia ipſa conſiderare (quantum ad uindicandam ab ea, tanquam à fatali neceſsitate, temeritatis, & conringentiæ naturam opus ſit) operæprecium eſſe arbitramur. Noſtro igitur more ad Phyſicorum prius decreta, poſterius uerò ad catholicam Theologorum noſtrorum ueritatem, de illa, in præſenti, libro, conſiderabimus.

ACTVRI autem ad Philoſophorum prius opinionem de prophetia, poſterius uerò ad noſtro
C rum Theologorum ſanctiſsima decreta, nobis in primis lector admonendus uidetur, nos rem tractaturos eſſe, non multum in philoſophantium, ſiue priſcorum, ſiue etiam recentiorum ſcholis tractari ſolitam. Ariſtoteles nanque in tanto ab ſe edito uoluminum numero, uerbum ferè de prophetia habuit nullum. Plato, & antiquiores philoſophi, paucíſsima de ea dixerunt. Ex recentioribus Auguſtinus Nyphus Sueſſanus tractatulum quidem de Prophetia edidit; ſed eiuſmodi, ex quo, pauca admodum, & ferè nulla, quæ ad inſtitutum noſtrum faciant, ſeligere potuerimus. Eſt enim mancus, atque imperfectus, & qui mendis undique ſcateat, cuiuſmodi ferè ſunt alia multa, ab hoc homine, congeſta potius, quam digeſta. Aliorum igitur in re tam obſcura, & difficili, auxilio penè deſtituti, ueniam nos à perito, diſcretoque lectore facilè impetraturos eſſe confidimus; ſi minus, quàm par ſit, rem tantam exactè, ac doctè examinabimus. In magnis enim, dicebat Horatius, uoluiſſe ſat eſt. doctiores fortaſſe, & eruditiores, noſtris hiſce uigiliis excitabimus, qui de hac ipſa aliquando diligentius, atque accuratius conſcribent. Vt quemadmodum in multis aliis, ita in hac etiam materia, quod ab his qui deinceps erunt, & à peritioribus deſiderari poterit, ſupererit tandem nihil.

DE prophetia igitur, pro uiribus, tractaturi, quatuor illa, quæ ad calcem præcedentis libri diximus, tam ad philoſophantium opinionem, quàm ad illibatam catholicorum Theologorum ueritatem, conſiderabimus. primùm quis Propheta dicatur, deinde unde quiſpiam in prophe-
D tam euadat, mox tertiò quid ſit prophetia ipſa. Et ultimò, An ea, quæ à prophetis futura prænunciantur, ita eueniant; ut non euenire non poſsint; hoc eſt dictu, ex ineuitabili neceſsitate ne, an contingenter eueniant.

PRIMVM igitur, quis prophetæ dicatur, inquirendum occurrit. A' Philoſophis ille propheta dicitur; qui futura, hoc eſt τὰ μέλλοντα. nō autē τὰ ἐσόμενα (uidimus nanq; inter iſta ſuperius differentiam) præcognoſcit; ac præcognita, edicit, ſiue ab extis, ſiue ab auibus, ſiue per ſomnium, ſiue ab arte, & ſcientia, ſiue à loco, ſiue ex proprii corporis temperamento; ſiue aliquo numinis afflatu, ſiue alio quocunque modo, illa præcognoſcat. Cic. eos, qui furore aliquo perciti futuros euentus aut dignoſcunt, aut ſaltem prænunciant; uates appellari inquit; quòd quaſi alios ui mentis excellant. eſt autem apud phyſicos uates idem, qui & propheta. Platoni, in Timæo, differentiam inter prophetam, & uatem, conſtituere placuit; prophetas eos appellauit; qui ſub obſcura diuina uaticinia interpretantur; uates uerò illos, qui uel furore, cientur; uel ex ſomnio
» diuinare dicuntur. Ita enim ibidem ex interprete ſcriptum reliquit. Lex iubet diuinis uaticiniis

iudices præesse, prophetas; quos uates quidam nominant; ignorantes prorsus eos oraculorum uisorumque, quæ obscuris uelaminibus inuoluuntur, interpretes esse; non uates. Quamobrem qui uaticinia iudicant, atque interpretantur; non uates illi quidem, sed prophetæ; idest uaticiniorum interpretes, pronunciatoresque uocandi. Hæc Plato. qui Platonis in hac causa distinctionem, ex philosophis, sequatur ferè est nemo. Græci nanque & historiarum scriptores ferè omnes, phanorum antistites tam furentes quàm non furentes, & oraculorum interpretes, quoniam res ante euentum prænunciabant, siue prænunciarent tantùm, correpti & furentes; siue non furẽtes, sed mente uegeti uisa ab aliis ipsi interpretarentur; siue utrunq; facerent, à uerbo φρόφημι, uel, ut nonnulli aiunt, à uerbo προθέμειν, quod præmonstrare significat, & publicè edicere; sed in usu non est; prophetas, & uates promiscuè appellauerũt; quorum ministros etiã hypophetas uocauerunt. Hom. Διὸς ἀγγελοὺς, idest Iouis nuncios, huiusmodi prophetas siue uates, aliquãdo appellauit. Non hic silentio prætereundum censeo, quanti uates & prophetas antiquitas fecerit; quod Cicero libro priore de diuinatione, innuisse uidetur, in quo loco, Fuisse, inquit, apud Athenienses diuinos quosdam sacerdotes; qui Mantes uocabantur; quos etiam publicis semper consiliis ita adhibebant; quemadmodum augurem regibus suis assessorem tribuebant Lacedæmonii. Sed de primo theoremate hactenus.

Vnde quispiam in prophetam euadat, secundum Philosophorum placita. CAP. II.



POSTQVAM uidimus, quis ad Philosophorum opinionem, propheta dicatur: Secundo loco, quid prophetia sit: Tertio, unde quispiam in prophetam euadat, à nobis considerandum esset; si ordinem, quem in aliis pertractandis rebus, seruauimus, nunc persequeremur. Non possumus autem illum persequi; quoniam ex causarum prophetiæ cognitione, eiusdem facilè postmodum diffinitionem, siue descriptionem colligemus; quam alioquin non nisi prælongo, tædiique pleno processu, uenari, possemus. igitur secundo loco, ex Philosophorum dogmatibus, unde quispiam in prophetam euadere dicatur, inuestigabimus; deinde tertio, quid prophetia sit, commodè perquiremus. Iamblichus lib. de Mysteriis cap. XXI, uaticinium siue prophetiam (nullam enim nunc inter uatem & prophetam differentiam statuamus, quòd à gentilibus Philosophis, Platonem & aliquot paucos excipio, non fuerit inter hos distinctio posita; sed à Theologis nostris, de hac autem posterius dicendum erit) diuinitus tantùm demitti; non autem ab arte, nec à natura, non à ratione, non ab aliquo rei, quam malueris, motu, uel mutatione, non denique à causa subcœlesti, & materiali emanare, & effici illam posse, putauit. Et ideo dicebat, Non decet uaticinium deducere sine causa; à quibusdam scilicet, nullam in se de futuro euentu, habentibus præscientiam; sed à Diis tantùm, continentibus in se terminos totius scientiæ rerum. Et cap. XXVI eiusdem libri. Sicut falluntur (inquit) illi, qui confidunt ex inanimatis animam; & ex amentibus facere mentem; ita falluntur illi; qui ex rebus non diuinis diuina facere confidunt; & sine Diis propria Deorum opera; qualia sunt uaticinia, & miracula, & similia; ut apparitiones, & expiationes. capite nihilominus XXIX eiusdem libri, posse prænuntiari futurum, ex quatuor donis simul iunctis, ipse idem admisit. Ex certa uidelicet hominis natura; ex arte huic rei, & ipsi diuinationi, adhibita; ex rerum simpathia, uel etiam antipathia; atque ex ea externorum corporum dispositione; qua alia aliis rerum indicia subministrantur. quibus, liquidò constat, distantiam posuisse inter futuræ rei, ac occultæ prænunciationem, & prophetiam, siue uaticinium, prænunciationem quidem uaticinii ex causis quatuor admittit fieri; at uaticinium, & prophetiam diuinitus tantùm demitti existimauit, ac si dixisset; prophetiam donum cœleste esse, & à Deo tantùm demitti quidam, sed non illud suscipiunt, ita ut donum susceptum explicare ualeant, nisi qui conditiones illas quatuor connexas habuerint. communis autem tam apud antiquiores Physicos, quàm rectiores ferè omnes opinio fuit, ex tribus posse esse uaticinium & prophetiam; tum ab anima, redacta scilicet in mentem, & diuinum suum. quam reductionem nostri Theologi extasim appellarunt; in qua dispositione, ab aliquo minimè illa illustrari, atque edoceri, putabatur, tum à corpore ratione complexionis, & temperamenti; tum tertiò ab utroque, ex certa inter utrumque proportione, & sympathia. Ideo cap. XXV inquit Iamblichus, quòd tres generatim opiniones erant de afflatu, uaticinioque diuino. primam causam eius referebant ad animam, secundam ad corpus, tertiam ad compositum. His causis quartam nos addere uoluimus: ab opinione, & sententia omnium ferè, recentiorum Philosophorum, quibus & Physicè magis loqui, & sensatioribus causis, rationes suas accommodare; nec non uulgi etiam consuetudinem (admonente in Topicis Aristotele) loquendum esse ut plures, in uocibus & denominationibus non contemnere; mos fuit.

A fuit. ita ut ex quatuor in uniuersum causis, ex tribus quidem propriè, ex quarta uerò aliquo modo, & minus propriè posse quempiam prophetam euadere, & uatem effici, affirmare, audeamus.

VNA est propria corporis natura, & proprium cuiusq; prophetæ & uatis temperamentum. Nam lib. tum de insoniis, tum de diuinatione per somnium, melancholicorum naturam garrulam, & multiuagam esse asseruit Aristoteles. Inter multa propterea, quæ somniant, & quæ cogitant, & quæ loquuntur melancholici, uerum aliquod & somniant, & præconcipiunt, & prælo-quuntur. Quemadmodum enim illi, qui multas eiiciunt sagittas, scopum aliquando pertingunt; & qui astragalis quatuor sæpè ludunt, uenerem, siue, mauis dicere, uenerium aliquando colligunt; ita ii, qui multa siue somnient, siue loquantur; ut aliquando ueritatem attingant; & ueri nonnihil prænuncient uero consentaneum est.

ACCEDIT quòd Melancholicus, quoniam ui quadam cogitatrice, atque Phantastica, mirum in modum pollet (Est enim Melancholia in magna quadam spirituum commotione, & æstu) Nam & si humor frigidus sit, & siccus, & ater, tanto tamen cæteris concitatior est; quanto corpora densa, si accendantur feruentius urunt, quàm corpora rara. habere propterea aliquid in animo præsagiens, atque diuinum, ab Aristotele censentur. proinde Marcus Tullius, Aristoteles (inquit) eos etiam, qui ualetudinis uitio furerent, & melancholici dicerentur, censebat ha-

B bere aliquid in animis præsagiens, atque diuinum. Quamobrem trigesima sectione Probl. non solùm eos omnes, qui aliqua arte, siue speculatiua, ut Physica, uel etiam Poetica, & Rhetorica, uel huiuscemodi alia (quas omnes nunc inter speculatiuas numeramus) siue practica, ut bellica, qua Alexander, Vlysses, & alii multi excelluerunt; sed eos etiam, qui prædicendi arte claruerunt; sicut Sibyllæ, Bacchides, & omnes denique, qui diuino spiritu inflammari, & instigari crediti sunt; melancholicos fuisse asseruit Aristoteles. Diutius enim ii, in rerum considerationibus, detinentur; & multa (circa rem eandem) iugiter contemplantur; non solùm quæ instant, aut quæ præfuerunt; sed quæ in posterum etiam inesse poterunt. Et futura ista obiter, & ueluti aliud agentes, aliquando uaticinantes depromunt, atque prænunciant. Vna igitur prophetiæ causa est proprium (ut diximus) corporis uatis temperamentum.

ALTERA causa, qua propheta quispiam euadere potest, est loci in quo degit, natura; à qua uatis affectus animus, & in furorem uertitur, & nonnulla prædicere est solitus. Sed ad quem

C modum ex solo ipso, & ex loci natura, ita quispiam afficiatur; ut uel furat, uel prophetare ualeat; inferius libro nono & ultimo commodius atque accuratius exponemus; in eo scilicet loco, in quo, de oraculis copiosè differemus. Hanc causam, quæ ex loci conditionibus oritur, ad expositam prius, id est ad ipsam uatis complexionem, & temperamentum, atque sympathiam aliquo modo reducere possumus; sed de hac re loco citato, in responsione ad argumentum quoddam primo libro abs Stoicis adductum, quod ex oraculorum prædictione procedit, fusius, explanatiusque dicturi sumus. Ad hanc enim potissimùm causam, prophetas illos reducemus; quos uel phanaticos, uel numine repletos, & afflatos, diuinoque furore percitos, atque instigatos Philosophi crediderunt.

TERTIO ab arte, & à scientia, ueniunt prophetæ quidam nuncupandi. Et quamuis libro Priore de Diuinatione, Quintus Stoicus putauerit Aruspices tantùm, & augures, & eos, qui de portentis, & ominibus dicere norunt; dici prophetas; Solonem uerò, & Thaletem, & eos, qui per causæ cognitionem, multa ante prædixerunt, quàm euenerint, inter prophetas, & diuinos haberi ille negauerit; mihi tamen nulla naturalis causa occurrit; cur hos sapientes uiros à prophe-

D tarum, & diuinantium numero secludamus; cùm solidiori, certiorique coniectura, quod uel ex legitimo effectu, de causa, uel ex legitima causa, de effectu coniiciant, in uaticinium, id est in rei futuræ præsensionem, & cognitionem, isti ducantur; quàm augures, & aruspices.

ADDE quòd astrologos, inter diuinantes, communiter numeramus. sed unde illi sua coniiciunt, nisi ex cœlesti corpore, quod & naturale est, & naturaliter mouetur, & naturaliter agit? Cur eos igitur Physicos omnes, qui ex quibuscunque causis, uel signis naturalibus, & certis, sed obscuris, de euentu occultiore futuro, καὶ περὶ τοῦ μέλλοντος prognosticant. iuxta Philosophantium dogmata, id est iuxta modum, quo Physicè quispiam denominari debet propheta, prophetas non appellabimus?

ADDE tertiò, Quòd quintus ipse sibi aduersatur, cum enim prius dixisset, Solonem Thaletem, Pherecidem, Anaximandrum medicos, & id genus prudentes uiros de futuris coniectores, non esse diuinos appellandos, sed physicos; post multa, laudat Posidonium; qui ex tribus Deo, Fato, & Natura diuinationem deduxit. Si enim ex Fato, & uel ex causarum complexione uel ex certo uirtutis syderum influxu, & similiter si à natura, diuinationem deduci permittis; quomodo non diuinos, & prophetas, per te, appellabimus eos; qui siue ex causarum naturalium, siue ex signorum peritia, rectè de futuris contingentibus, & physicè prognosticant? Quid enim aliud est à natura diuinationem deducere; quam uel per naturales causas, uel per naturalia signa, physicè, &

cè, & naturaliter rem futuram præcognoſcere? Qui igitur uel ex ſpeculatione primarum, conſequentiumque ſed aliquomodo occultarum cauſarum, quod futurum eſt, prænorunt, & prænunciarunt; uel ex antegreſſorum, præteritorumque, & ſubſequentium ſignorum, & effectuum obſeruatione, futura ex arte, & quaſi per utrunque uel ſaltem per alterum demonſtrationis genus, quia ſcilicet, uel propter quid, præcognoſcunt, prædicuntque, prophetas ſine dubitatione, ſecundum eorum doctrinam, qui phyſicè, ut par eſt, philoſophantur, appellabimus. Solonem apud Athenas tum ex cauſarum, tum ex effectuum obſeruatione, multa prædixiſſe notiſsimum eſt. Thaletem olearum penuriam Athenienſibus prænunciauiſſe, & Ariſt. & Cic. teſtati ſunt. Pherecides Pythagoræ præceptor, ut Cic. & Theophr., & Plinius aſſeruerunt, cum aquam de puteo quodam hauſtam, conſpexiſſet; terræmotum proximum adeſſe, inſtareque Samiis nunciauit. Anaximander quoque Mileſius Phyſicus terræmotum, Lacedæmoniis, imminere annunciauit; atque eoſdem admonuit; ut tecta, & urbem relinquerent; cito enim fore illam perituram, quod, ut prædixerat, euenit. Hippocrates Theſſalis aduentantem peſtem; atque aliud alius prænunciauit. Iſti enim & id genus alii uiri, ſi phyſicè loquamur, prophetæ habendi ſunt; & ex arte re uera, & ex ſcientia ac cognitione effectus, uel cauſæ, futura prædixerunt, cum quibus etſi aruſpices, & augures, & diuinantes quoſdam aſtrologos, ſi aliorum diſciplinam inſequamur, annumerare poſsimus, quòd ex arte, & ſcientia iſti prædicere, communiter exiſtimentur. Nos tamen (quòd quicquid ab iſtis diuinatur, fortunæ & temeritati magis, quàm arti, & ſcientiæ, ut libro ultimo fuſius declarabitur, aſcribendum eſſe arbitramur. hos inter prophetas non haberemus, niſi communis, quam nunc ſequimur, exiſtimatio compelleret. Nobis enim illud, quod quidam ex Ariſtotele deprompſerunt, arridet. φρονίμων, καὶ σοφῶν ταχεῖαν εἶναι τὴν μαντικὴν, καὶ μόνων. ideſt prudentum, ac ſapientum hominum, & horum tantùm, eſt celeriter diuinare.

E F

Comparantur Prophetæ tertio modo dicti, ad Prophetas dictos primo modo: & adduntur præterea aliqui modi, quibus uel impropriè, uel etiam falsò, quoſdam in Prophetas euadere, exiſtimatur; & quid de fatuorum Prophetia cenſendum ſit, declaratur. CAP. III.



SI PROPHETAS eos, qui ſunt ex arte & ſcientia, cum illis, qui ex natura, & temperamento, Prophetæ dicti ſunt, comparare uoluerimus, hos poſteriores illis prioribus, Ptolemæo auctore præponemus; iſtosq; magis, quàm illos, futuri euentus ueritatem attingere, aſſeuerabimus. Ita enim ad principium libri, cui titulus Centiloquium, ſiue mauis, cum Pontano, centum ſententiarum dicere, ſcriptum reliquit. ἡ ἐπιτήδεια ψυχὴ πρὸς γνῶσιν, πλέον ἐπιτυγχάνει τοῦ ἀληθοῦς, ἢ ὁ ἀκρῶς ἀσκήσας τὴν ἐπιστήμην. ideſt, Animus ad cognitionem aptus ueritatem magis attingit, quàm ille, qui per ſcientiam ſtrenuè fuerit exercitatus. Et Galenũ, dicunt quidam, in medico φυσικὴν & naturalem magis quàm τεχνικὴν & artificialem coniecturam exquirere. uerum enim uerò (ſi quid ſentimus dicere liceat) mihi certè res contra uidetur; cum iſti furore, ac quadam animi perturbatione cieantur; illi uerò quieto, ac ſapienti, imperturbatoque prorſus animo, atque coniectura quadam fermè infallibili; ut pote quæ uel ex cauſa ad effectum, uel ex effectu ad cauſam, procedat, de futuris præſagiant; & præſagira denuncient, ſed ſit ſuus cuique ſenſus. G

QVARTÒ mihi uidetur, quòd quidam Prophetæ dici poſsint, ſed (ut dicebamus) minus propriè, ex ſola experientia, nulla habita de rei futuræ cauſa, cognitione, quum uenari illam ab effectibus neſciant. Vt nautæ, & ruſtici ſæpenumerò Prophetæ, & prædiuinantes à nobis uulgò appellitantur. Nam ex caligine (quæ tenue nubium excrementum eſt) tum ſerenitatem, tum pluuiam prædicunt ruſtici: ex qua rurſus, ſi ſæpius fructuum temporibus acciderit, ſterilitatem prænunciant. Sed (ut diximus abſque cauſæ cognitione) ſola autem experientia, ii iſta prænoſcunt; atque prædicunt. ex nubibus ſimiliter, & uentis, & ex nubium, & uentorum permutationibus, imminentem ſæpè tempeſtatem nautæ experimento tantùm docti, & præſentiunt, & prænuntiant, & euitant. Aſſerunt quidam Federicum III, Saxoniæ electorem, de numero hybernarum niuium coniectari ſolitum, ex dierum numero, qui à prima niue, ad proximum ſupereſſet nouilunium; idque ex uetuſtis, & ſæpè comprobatis attentorum uenatorum annotationibus. Nonnulli ex nubiloſis conſtitutionibus menſe Martii contingentibus & noctibus roridis, prognoſticant de tempeſtatibus menſis Aprilis, & Auguſti: ſed (ut dixi) non ex ſympathia, non ex melancholici humoris abundantia, ex commotione, non ex arte, & ſcientia, ſed ſola experientia, iſti Prophetant, atque diuinant. Hi ſunt modi omnes quibus phyſicè homines in Prophetas euadere poſſunt. ſed iis quatuor modis alii alios addiderunt. Mathematici, & qui Mathematicos ſequuntur, ut Auicenna, ex ſtellis & ſtellarum configurationibus Prophetiam emanare putauerũt. H

In

A In tertio nanque apotelesmatum inquit Ptolemæus. Cùm Mercurius fœliciter affectus eius signi hoſpes fuerit, quod in alicuius genitura Sol tenuerit, ille Propheta erit. Almanſor illum ait fore Prophetam, in cuius genitura Iupiter, Venus, & Sol coniuncti fuerint. Sueſſanus modum ex medicis appoſuit; ut illi, iuxta quorundam medicorum opinionem, Prophetæ ſint, aut in prophetas euadant; quorum complexio æqualis ad pondus fuerit; ſi præſertim Climate temperato ſit oriundus. Sed hos modos ex induſtria omiſimus, quoniam uel fallunt iſti modi; uel ſi non ad unum aliquem eorum (quos diximus) ſunt reducēdi, ut aliquo quatuor prædictorum modorum futura illi præcognoſcant; & cognita prænuncient; & ita prophetæ fiant; prorſus ſit neceſſarium. Poſſunt nanque ex ſtellarum configuratione: ex qua pro maiori uel minori luminis aggregatione, uarius, in aere medio, caloris, uel frigoris gradus producatur, quo natus multis modis afficiatur, & præterea ex naturali complexione, in uiros ſapientes uel melancholicos nati euadere: ex qua deinde melancholia, uel ſapientia, nonnulla præcognoſcere ualebunt; ex quorum præcognitione, & prænunciatione, in prophetarum numerum aſcribi poterunt: ita ut ad unum aliquem dictorum quatuor modorum, ſit tandem recurrendum: & ad dictos modos uniuerſa denique prophetia phyſicè ſit prorſus reducenda.

IAM uerò de fatuis, quid dicemus? qui ſæpenumero futura prænunciare uidentur? certè non

B illud, quod putauit in Timæo Plato, quòd Deus diuinandi uim non prudentiæ, ſed dementiæ humanæ tribuerit; quod illo etiam argumento probare conatus fuit; quoniam nemo dum ſanæ mentis eſt; diuinum & uerum uaticinium aſſequitur: ſed cum uel ſomno, prudentiæ uis præpedita, uel oppreſſa morbo, uel diuino aliquo raptu, è ſuo ſtatu, dimota eſt, & breuiter cùm uacat animus à curis. Vacat autem ut lib. decimotertio. Cap. 11. tradidit Ficinus, iuxta Platonicorum placita, ſeptem modis. Somno, ſyncope, humore melancholico, temperata complexione: ſolitudine, admiratione, & caſtitate. Neq; illud profectò dicendum eſt, quod cap. xxv. lib. de Myſteriis dixit, Iamblichus: quòd Deus ſæpè, per fatuos homines, loquitur ſapientiam; declarans non hominem ibi loqui, ſed Deum, etiam ſi Chriſti euangelio iſtud conſonum ſatis eſſe uidetur. Luc. x. & Matth. xi. Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis: ſed magis (phyſicè nanq; Philoſophamur) quia melancholico, eo quo ſuperius dictum eſt, modo humore agitantur fatui, & dementes: ideo ex temperamento, ipſi diuinant. niſi illud etiam uelimus addere, quòd quia curis penitus uacui ſunt, brutorum quorundam inſtar, à circumfuſo aere, atq; à cœleſtibus qualitatibus facilius cientur. ſed de duobus iis problematibus, quis. ſit propheta, & unde quis pro-

C pheta efficiatur ad mentem Phyloſophorum, Ariſtotelis præſertim, ſatis. Sequitur, ut quid prophetia ſit, ab eorundem dogmatibus non recedentes inueſtigemus.

Quid ſit prophetia ad mentem Philoſophorum. CAP. IIII.



EX IIS, quæ de prophetia, & de prophetis hactenus dicta fuerunt, theorema tertium, ideſt quid ipſa prophetia ſit, ad mentem Philoſophantium, Ariſtotelis præſertim, haud magna cum difficultate cognoſci poterit. Quatuor nanq; modis phyſicè; & precipuè ad Ariſtotelis opinionem, prophetari dicebamus. Natura, loco, arte, uel ſcientia, & modo quodam & impropriè ſolo experimento. iis ſanè quatuor modis, ſed maximè tribus prioribus alterari, & ad futurum euentum præſagiendum, uel præcognoſcendum ueluti excitari poteſt humanæ animæ uirtus. His profectò omnibus & ſingulis quatuor modis, neſcio quid in anima generatur, unde ipſa ad præſagium commodè ſatis plus uel minus præparetur, ac diſponatur. omnia autem, quæ in animo fiunt, (ut lib. ſecundo Moralium cap. v. declarauit Ariſtoteles) ad aliquod unum

D ex tribus reducuntur, uidelicet, uel ad potentiam, uel ad habitum, uel ad affectum & paſſionem: ut omnino ad unum iſtorum trium ſit ipſa etiam prophetia, & id quod in animo, ad prophetiam producitur reducendum. Si igitur loquamur de illis, qui ex natura prophetare dicuntur, & ex temperamento, prophetia erit potentia. Eſt enim in illis ad præſagium naturalis quædam potentia. Erit nanq; prophetia naturalis potentia, per quam futura præſagire, & præſagita denunciare, quis poterit. Si uerò de illis loquamur, qui ex arte, uel ex ſcientia prophetare dicuntur, prophetia erit habitus, (ſunt enim ſcientia, & ars habitus) quo futuros euentus, uel per cauſas, uel per ſigna aliqua præcognoſcimus, & præcognitos denunciamus. ſiue cauſæ, & ſigna re uera illa ſint, ſiue eſſe potius iudicentur: quod addimus, propter augures, aruſpices, ſomniorum coniectores, & alios id genus, qui (ut ſuperius etiam diximus) neq; cauſis ueris, neq; ſignis certis, ſed ſibimet potius confictis quibuſdam notis ducuntur; quos tamen ex arte, & ſcientia prophetare, & aſſerunt Plato & Stoici, & libri rituales & augurales demonſtrare creduntur. Non eſt autem, ſiue potentia, ſiue habitus prophetia dicatur, habitus & potentia ab actu ſecundo penitus & ab operatione ſeiunctus, & remotus; ſed actui uel copulatus, uel ſaltem, quàm proximus: per quem

futura

futnra & præcognoſcimus,& prænunciamns. diximus quòd eſt potentia uel habitus actui quàm proximus; quòd ad prophetiam neceſſe ſit animum actu aliunde excitari, excitatum prænunciare; ſed excitatus, antequàm enunciet, eſt actui enunciationis (in quo plena eſt prophetiæ ratio) quàm proximus: ideo in illo etiam tẽpore, prophetam illum poſſe appellari non negamus. Si tertiò de illis, qui ex loco prophetæ appellantur, loquamur, dicemus, quòd aliquo modo affectus & paſsio prophetia eſt, ideſt eſt diſpoſitio quædã circunfuſa ex effumatione actu in corpore facta, ad quam interiorum ſpirituum eorum uidelicet, qui inſeruire internis ſenſibus dicuntur, alteratio huiuſcemodi inſequitur, qua mediante homo futuros euentus aliquo modo præſagire, & præſagitos aliquo modo, hoc eſt uel clarè, uel obſcurè, & ſub inuolucro præuidere, & præuiſos, utcunq; prædicere, poteſt. Diximus aliquo modo, ne putares eos iſta, quæ præſagiunt, & quaſi præ uidẽt, claro intuitu uidere, uel præſagire: immo ſæpè etiam ſub nube, ut diximus, & ſub inuolucro figurarum, & ut infra fuſius dicetur, extra ſe poſiti, & quaſi inſani, & delirantes illa uidere ſibi uidentur, quæ pronunciant: & ſæpiſsimè non intelligunt, quæ loquantur, nec ea norunt eſſe futura, quæ euentura præſagiunt; ut uberius ſingula ſumus inferius declaraturi. At ſi de illis, qui ex ſola experientia uulgò, & impropriè prophetæ appellantur, loquamur; dicemus, quòd ſicut prophetia illa impropriè prophetia eſt; ita non niſi impropriè definiri poteſt. Et ſicnt experientia (ut ad principium libri primi Metaphyſicè tradidit Ariſtoteles,) ſcientiæ, & arti aſsimilatur, (ita nanque loco citato ſcriptum ille reliquit, δοκοῖ χεδὸν ἐπιςήμη τέχνη ὅμοιον εἶναὶ ἡ ἐμπειρία. hoc eſt. uidetur ſcientiæ & arti ferè ſimilis experientia) ita prophetiam illam, quæ ab experientia eſt; modo illi ſimili definiemus, quo propheriam, quæ eſt ex arte & ſcientia, definiuimus. Nam ad quẽ modum (quod in lib. Prædicamentorũ cap. de qualitate abundè declarauit Simpl.) ad habitum diſpoſitio reducitur; quoniam ſicuti habitus eſt diſpoſitio firma, & ſolida; ita diſpoſitio eſt tener quidam habitus, & ueluti ſemen quoddam & origo illius. Ad eundem modum dicere poſſumus, quòd ad artem experientia reduci poteſt. quoniam & ars eſt experientia ſolida, & conſtans; & experientia eſt ars rudis, & ueluti germen quoddam, & primordium artis. Quamobrem loco paulò ante citato commendabat Polum Ariſt. quòd ab experientia artem duxiſſe ortum aſſeruiſſet. Dicemus igitur, quòd prophetia quarto modo ſumpta, eſt imperfectus, &, dicere liceat, ſenſatus quidam habitus, quo per ſigna tantùm, & effectus, futuros euentus præcognoſcimus, & præcognitos denunciamus.

E F G

INTELLIGENDVM autem, cum dicimus prophetiam eſſe uel habitum, uel potentiam, uel affectum, effectiuè magis hoc uerum eſſe, & per quandam originem, quàm formaliter. Eſt enim uel ex naturali (ut dictum fuit) potentia, uel ex affectu, uel etiam ex habitu. Si autem quid prophetia formaliter ſit, eſſet à nobis utcunque explicandum, diceremus quod prophetia formaliter & abſolutè ſit habitus quidam, undecunque illa ueniat; duce ſemper & comite quadam animi alteratione; propter quam alterationem, D. Thomas affectum illam tantùm & paſsionem eſſe putauit, per quem futura præcognoſcimus, & præcognita denunciamus. Qui habitus quamuis abſolutè & ſimpliciter ſit animæ; dicere tamen poſſumus; quòd poteſt eſſe tum animæ, tum corporis, hoc eſt dictu, tum magis animæ quàm corporis; tum contrà, corporis magis, quàm animæ. Animæ magis ſi ex arte, uel ex ſcientia, uel etiam ex experimento fuerit; corporis magis ſi uel ex temperamento, ut melancholici; uel ex loco; ut illi prophetæ; qui afflati numine à Philoſophis dicti ſunt; de quibus inferius dicemus copioſiſsimè. afficitur nanque ex circunfuſa loci qualitate, uatis corpus, & uitalis eiuſdem Spiritus, unde in anima ſpiritualis quædam alteratio deriuatur; ex qua denique præſagium excitari, creditum eſt. H

Tollitur dubitatio, & nonnulla ex Platone de Prophetia, & ex quibuſdam aliis de Magia ſubiiciuntur. CAP. V. I



SED hoc loco mihi forſam quiſpiam obiicet; quòd potentia, habitu, & affectu ſecus, quàm loco citato faciat Ariſtoteles, uſi fuerimus. cum ibidem illa conſtituat tanquam principia non contemplationum, ſed moralium quarundam operationum, & ipſius denique uirtutis; prophetia autem magis ad contemplationem, quàm ad operationem, & praxim, ſpectare uideatur. Huic nos dicturi ſumus primò, nullum eſſe incommodum; ſi ad plures effectus, quàm Ariſtoteles ipſe poſuerit, & ad operationes etiam ſpeculatiuas, eorundem principiorum uim extendi expoſuerimus. Secundò, quòd non uirtutum moralium tantùm, ſed etiam contemplationum, & omnium denique actionum (Nam contemplatio actio eſt) & operationum noſtrarum, illa poſuit tanquàm principia Ariſtoteles. cum ad illa ea omnia ille reducat; quæ in anima noſtra conſiſtunt. conſiſtit autem maximè in anima contemplatio, cum ſit operatio immanens. Tertiò, eſto etiam quòd eſſent tantùm principia practica, dicere poſſumus, quòd

quòd prophetia & si ad illam, secundum Theologos nostros, opus sit (ut dicebat Daniel) intel-
A ligentia; ad praxim tamen iuxta dogmata tam Theologorum, quàm Philosophorum, & ad ope-
rationem magis, quàm ad contemplationem declinare, & reduci uideatur. Adde quarto, quod
& si augures, & aruspices, & somniorum coniectores contemplatione quadam uti existimentur;
prophetia tamen illa, de qua potissimùm est apud Philosophos sermo, & quæ maximè à genti-
libus uniuersis prophetia censetur; quæ uidelicet per Enthusiasmum fit, & per extasim, siue per
quandam animæ uacationem, & per numinis (ut ipsi aiunt) cuiuspiam afflatum, quæ fanaticus
quidam furor est, feruorque lymphaticus, quæ quasi per antonomasiam, & excellentiam sola pro-
phetia dicitur; uel nulla, uel prorsus quàm minima opus habeat intelligentia. Ab eisdem pro-
pterea furor magis, & enthusiasmus, & μανία id est insania, siue dementia, & rabies, quomodo
illam & lib. quarto Strabo, & lib. sexto sæpè Virgilius appellarunt; quàm uel contemplatio, uel
prophetia dicitur. furor autem, & insania, & rabies operationis magis, & τῆς πράξεως licet non
moralis fortasse, quàm intelligentiæ & contemplationis est principium. Sed redeo unde digres-
sus fueram.

PLATO præter ea, quæ diximus, quæ fortè confirmaret omnia; nisi uel distinctioni illi,
quam prius inter uatem & prophetam dederat, tenacius inhæreret; uel furorem illum, quem nos
tum ab humore interno, tum à loco & solo in quo degimus, esse diximus; quem etiam inde hau-
B riri paulò post clarissimè demonstrabimus; è cœlo, & ab aliquo numine demitti obstinatius for-
» sitan contenderet; adderet multa de Diis aereis, & dæmonibus; quibus potissimùm humanæ
» prophetiæ summam, & magicæ artis reperta miracula ille ascripsisse uisus est. Quando namque
» (inquit ex Platone Ficinus) per atram bilem, uel aliud simile totus in imaginationem conuer-
» titur animus; Inferiorum dæmonum facilè fit domicilium; quibus ita instruitur, quemadmodum
» à nobis sæpe quædam bestiolæ; quæ mira nonnunquam supra suam speciem operantur; ut admi-
» randa, & supra humanam naturam facilè animus depromat; quorum præsentia, & insaniat, & a-
» nimo simul uexetur & corpore. In quibus uerbis prophetiam illam, quam nos humori uel solo
ascribimus, dæmonibus ascripsisse ille uidetur.

IDEM ferè quidam asseruerunt sensisse Auicennam; qui prophetas, angelorum etiam species
cernere; & uoces eorum audire; nobis suadere conatus fuerit. Animam quippe prophetia im-
butam, à diuina solùm prouidentia, mitti ille credidit. Corpus autem ad animam prophetæ su-
scipiendam disponi, non tantùm à Deo proximè, sed per animas cœlorum motrices; tanquam
per ministras, & per cœlos ipsos, quasi per instrumenta, putauit. Illi etiam qui superstitiosæ
C magiæ operam nauant; plures modos adducerent; quibus dæmones ad aliquid prænuntiandum
cogantur. à quibus aliqui edocti in prophetas euadere uideantur. Quamobrem à quodam Poe-
ta ita canitur.

» *Victa hominum precibus cœlestia numina terram*
» *Coguntur petere; & casus aperire futuros.*

& alibi post multa.

» *Atque pias adiunge preces, & soluito uota,*
» *Hæc peragens me atra per somnum nocte, uidebis.*

Item alio loco quomodo remitti queant admonet.

» *Cessa nunc tandem, & uerbis iam parce, uiæque*
» *Da requiem, soluens priscas, cædensque figuras,*
» *Et remoue à membris, ac lintea dura resolue.*

Et alibi.

» *Soluite serta, pedes liquidis & spargite lymphis.*
» *Eque manu ramum laurus auferte uirentis,*
D » *Lineasitque omnis deleta, omnisque character.* sed hæc quæso inania procul absint.

QVATVOR uaticinii genera asseruit Ficinus ex Platone, Diuina, Dæmonica, Humana, Na-
turalia. Diuina, quæ à Diis; Dæmonica, quæ à Dæmonibus. Hæc sunt, quæ nos tum ab humo-
re, tum ex solo fieri diximus; quod principio libri noni uberrimè declarabimus. Humana, quæ
Platonici forsan ab arte tantùm, ut sunt aruspicia, uel auguria, uel alia huiuscemodi, fieri dice-
rent; nos humana ea esse intelligamus; quæ ab arte prius, & scientia, & experimento fieri dixi-
mus. Naturalia quæ ex temperamento, & per sympathiam fiunt. de Diuinis & dæmonicis, &
si multi cum Platone dicere tentauerint, nihil tamen ab antiquis Ethnicis plus habemus, quod
nobis referendum sit, quàm quod à Deo, uel à Dæmonibus sint, tum uel in nobis cum præser-
tim ab extrinsecis uacamus uel circa nos aliquid operantibus, tum menti aspirantibus, & eam
quasi instruentibus, tum uel ostenta oculis, uel uoces auribus suggerentibus. Nos rem hanc, at-
que hæc duo prophetiæ genera, & cum nostris Theologis paulò post, & cum philosophis libro
prius citato, id est nono & ultimo, cum de oraculis tractabimus, exactissimè, quantum ad præ-

ſentem conſiderationem & ad noſtram diſputationem attinet, declarabimus. De eo autem ge- E
nere, quod ex arte & ſcientia, quod humanum appellamus, diximus prius, quo ad phyſicam ue-
ritatem abundè, & de eodem (quo ad aliorum opinionem) inferius libro nono, ubi de augurio,
aruſpicio, omine & id genus aliis prophetiæ generibus agendum erit, fuſius à nobis dicetur. De
illo, item prophetiæ genere, quod naturale eſt, & quod eſt ex corporis temperamento dictum
eſt hactenus abundè. De illo autem, quod ex ſolo, & ex loco, & per corporis cum loco, ſympa-
thiam, fieri diximus, inferius ubi de oraculis, uberius dicemus; & tunc rem diligenter conſi-
derabimus, ad quod prophetiæ genus ſi & diuinum, & dæmonicum (de iis loquendo, ut de illis
Philoſophi phyſicè loqui poſſunt) reduci uoluerimus; ut reducenda exiſtimamus; nullum in
dogmatibus Philoſophorum, quod ſequi poſsit, incommodum intelligo; præter illud, quòd
id quod leuibus admodum, & falſis rationibus, ne dicam nugis, eorum aliqui obſtinatè defen-
derent, à cauſa ſupernaturali, hoc eſt à Deo, uel Dæmone fieri; à phyſica tandem, & à natura-
li ratione proficiſci, & abſolui intelligerent; & ab errore tandem fortaſſe reſipiſcerent, erro-
remque ſuum abiicerent.

An ea, quæ à prophetis illis, de quibus hactenus dictum fuit, prænunciantur: ineuitabili neceſsitate eueniant. CAP. VI. F



CVM uiſum à nobis fuerit; qui'nam phyſicè loquendo, prophetæ dicantur; & un-
de nonnulli prophetæ euadant; & denique quid ſit ipſa prophetia; idque ſecun
dum phyſica & naturalia principia; nunc ſupereſt, ut quarto loco uideamus,
an ea, quæ ab iis, quos diximus, prophetis prænunciantur, ſi eueniant, Fato,
& ineuitabili neceſsitate, uel contingenter potius, & caſu etiam aliquando &
temerè illa euenire exiſtimandum ſit. Diximus prius, quòd ea, quæ futura &
euentura ſunt, in duplici, à Græcis, differentia ſunt conſtituta. Quædam enim
μέλλοντα, quædam uerò ἐσόμενα nuncupantur, ἐσόμενα illa dicuntur, quæ ſui futuri euētus neceſſariā
(uerſamur enim in Philoſophorum ſcholis) & ineuitabilem cauſam habere dicuntur. Sicut ortus
craſtinus Solis, Lunæ futura eclypſis, niuium in Apennino caſus, & id genus multa alia; quæ ta-
metſi futura ſint; & ab aliquo uentura eſſe, prædicantur; non tamen ex huiuſmodi euentuum
prædictione & prænunciatione propheta quiſpiam iure nuncupabitur. Sed is tantùm prophe-
ta dicendus eſt; qui futura illa, quæ μέλλοντα nuncupantur, hoc eſt ea, quæ ſui euentus futuri oc- G
cultam quidem utcunque & latentem, non autem manifeſtam, & contingentem, non autem ne-
ceſſariam aut ineuitabilem cauſam habent, prænunciat, atque prædicit, ita ut etſi poſita tota
cuiuſque effectus atque integra cauſa, non poſsit non ſequi effectus ille; ipſa tamen cauſa huiuſmo
di ſit; quæ poni pariter & non poni poſsit; ideſt ſit cauſa contingens, & præterea ſit etiam (ut di-
ctum fuit) occultior, ut euentus ſicut neceſſariam, & ineuitabilem naturalem cauſam non habet;
ita diuinam, & ſupranaturalem habere uideatur; & quaſi Fato, ideſt ſiderum; uel Deorum de-
creto res euenire credatur. Dictum eſt enim libro tertio cap. XXXV; ea quæ occultam cauſam ha-
bent, neſcio cui diuinitati communiter aſcribi. atque huius quidem tale eſt exemplum. Nulla eſt
naturalis cauſa, immo aduerſus omnem naturæ rationem uidetur; filium occidere patrem, quia
tamen ab oraculo prædictum fuerat; filii manibus Laium periturum; Fato propterea; & occulto
quodam Deorum decreto, & non temerè illud eueniſſe; exiſtimatum fuit; & eum, qui huiuſce-
modi euentum futurum prædixerit, Apollinis Delphici afflatu prædixiſſe; & inter prophetas, &
uates ab Ethnicis connumeratum fuiſſe, conſtat. Verumenimuerò quod facinus iſtud (phyſicè
& naturali ratione loquendo) & alia id genus multa, etſi à prophetis, & uatibus prædicta ſunt, H
nulla fatali neceſsitate; nulloque Deorum ineuitabili decreto, ſed contingenter uel euenerint, uel
forent, ſi rurſus eo modo aliqua prædicerentur, euentura; tunc demum manifeſtum erit; cū per
ſingula prophetarum dicta genera diſcurrentes, eorum prophetandi modum conſiderauerimus.
Quatuor nanque modis prophetari dicebamus, natura, loco, arte uel ſcientia, & experimento.
Etiam ſi modus quartus ſatis impropriè prophetiæ conueniat. Naturæ prophetiam humori me-
lancholico aſcribi diximus: in quo ad prophetandum, & ad uerum aliquod futurum præſagien-
dum, prænunciandumq; non maior, aut quæ magis urgeat cauſa eſt; quàm ſit (ut dicebamus) in
iis, qui talos iaciunt, ad choam, & Venerem iaciendam. Ita ut quemadmodum iſti Venerem ca
ſu & fortuitò iaciunt: ſic illi rem futuram temere effutiant magis, quàm pronuncient.

AT dices, res Deorum conſilio, & prouidentia, euenit, etiam ſi temerè prænunciata dica-
tur. Quamuis Deorum prouidentia ſecundum Ariſtotelis, Platonis, quinetiam catholicorum
Theologorum dogmata; & mundus, & mundi partes uniuerſæ ſint adminiſtratæ; nihil tamen fa-
to euenire aduerſus Stoicos, & Platonicos, ſuperius libro tertio demonſtrauimus, Fatumque,
quale nobis uel Mathematici attulerunt, ſiderum influxum, uel Stoici & Academici, Deorum
ineuitabile

A ineuitabile decretum, siue necessariam, perpetuamque quandam complicatarum ab æterno cau
sarum copulationem, plurimis, & illis firmissimis demonstrationibus satis copiosè à nobis expli
catis penitus euertimus. Quod si esse etiam admitteremus; quæ'nam (inquit Cicero) potest esse
ratio; cur melancholico, & insano consilia sua Dii detegant, non autem prudenti & cordato? Et
quid potuit esse causæ, cur inter multa ac uaria humani corporis temperamenta, & inter humo-
res omnes, bilem & μελαγχολίαν, melancholicamq; crasim, in qua sua fatum & Dii abderent decre-
ta, selegerint? De iis, qui ex loco in prophetas euadunt, inferius dicemus: ostendemusq; quàm
& ipsi (qui falsò à multis uisi sint numine afflari) temerè prænuncient; si quid præterea ab his
prænunciatum eueniat; quàm temerè illud eueniat: cuius temerarii euentus illud omnibus ma-
ximum indicium esse potest; quòd eorum, quæ ab his siue natura siue loco prophetis, prænun-
ciata fuerunt, longè plura sint illa; quæ (ut libro nono fusius demonstrabimus, falsò prænuncia-
ta fuerunt quàm quæ euenerint.

Prophetis ex arte (augures aruspices, & id genus diuinatores excipio) qui & si arte diuinare
crediti sunt, casu tamen & temere diuinare, semper ego existimaui. cuius rei signum maximum
illud est; quod rarò euenerint, quæ illi prædixerunt, & ex scientia, adhibenda fides est; & ea, quæ
ab his prænunciantur, si eueniunt, de necessitate (quantum physica ratio patitur) euenire existi-
B manda sunt. At ista necessitas, non est ex syderum influxu, aut Deorum fatali aliquo decreto;
sed tantùm ex naturalium & subordinatarum causarum complicatione; complicatione inquam,
non illa, quam Stoici necessariam, & perpetuam existimarunt, & Deorum decretis, uel cœlestiũ
corporum actionibus influxionibusque Stoici, & Mathematici ascripserunt; sed quam cordati
Philosophi temporaneam, contingentem, & sæpè temerariam, uel fortuitam iudicarunt: ex qua
nihilominus causarum connexione posita, euentus certi de necessitate consequuntur: quam ne-
cessitatem libro secundo necessitatem relationis aut conditionis, nõ absolutam autem & ineuita-
bilem appellabamus. posita nempe causa, effectus de necessitate sequitur; sed causa sæpenumerò
per accidens posita est, & nonnunquam aliter, & temerè eodem modo de illis Prophetis dicen-
dum est: quos experimento prophetare diximus. Isti enim facillimè rem futuram diuinare ua-
lent, sed naturaliter & physicè, non autem superstitiosè: quòd rerum experientiam longo nobis
usu adipiscamur. non autem quia syderum aspectu, uel Deorum: aliquo peculiari lumine, &
C consilio, prophetia ad nos illa delabatur. Sed cum de prophetia ad philosophantium disciplinam
abundè satis dictum sit; ostensumque non aliqua supernaturalis causæ necessitate, illud, quod per
prophetam quempiam prædictum fuerit, si euenerit euenire, sed uel naturali causarum uirtute,
uel temerè etiam, ac fortuitò: superest, ut de eadem causa, atque de prophetia ipsa, ad Catholi-
cam ueritatem compendio differamus.

Eadem, quæ ex physicis de prophetia, declarata fuerunt Theoremata; ad Catholicam ueritatem nunc denuò examinantur; Et primò quis propheta dicatur. Cap. VII.



Ingula iam Theoremata illa, quæ de prophetia cum Physicis hactenus scru-
tati fuimus; nunc cum Theologis nostris denuo inuestigemus: & pro præsen-
tis disputationis ratione, compendio contemplemur. Ac primùm quidem ui-
dendum est, quis'nam propheta dicatur. In sacris literis duplicem habet signi
D ficationem hæc uox propheta. Aliquando nanque interpretem significat. Paul.
priore ad Corinth. XIIII. Qui prophetat, hominibus loquitur, ad ædificatio-
nem, & exhortationem, & consolationem: qui loquitur lingua, semetipsum
ædificat. Volo autem uos omnes loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior est, qui
prophetat; quàm qui loquitur linguis; nisi fortè interpretetur, ut ecclesia ædificationem acci-
piat. Hactenus Apostolus. Multi in hac significatione sunt perpetuis temporibus, in ecclesia
Christi, prophetæ; declamatores præsertim; siue qui uulgò prædicatores appellantur: modo lin
guis tantùm (quod per paucis accidit) non loquantur; & seipsos solos non ædificent; aut non ma
gis, quàm Christi ecclesiam; superfluis quibusdam ac uanis uerborum illecebris, & Rhetorum fu
catis uel inutilibus præceptis, ac pompis, audientium aures occupantes magis, quàm ad pias
(ut par erat) operationes & charitatis officia, animum illorum uerbis quidem & exhortationi-
bus sed potissimùm exemplo commouentes; ambulantes in astutia, & adulterantes uerbum
Dei. Ego (inquit in priore ad Corinth. cap 11. Paulus) cum uenissem ad uos fratres: non ueni in
sublimitate sermonis, aut sapientiæ: & sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus hu
manæ sapientiæ uerbis. Sed ad rem nostram redeamus.

Altera est, significatio: quæ & magis in usu, & magis propria est; qua eos significamus;
qui ea, quæ procul & à nobis distantia sunt, præuident, & præuisa denunciant. deriuato nomine

à procul & fari. Sed à nobis procul distare nonnulla, quadrifariam intelligi potest, primò ex conditione rei cognoscendæ aliqua, quemadmodum diuina, à nobis ualde distare dicuntur. Et ideo qui de diuinis, & de abstrusioribus, præsertim diuinæ maiestatis consiliis, nobis piissimè sanctissimeque (ut decet) loquuntur, prophetæ à nobis sunt nuncupati. ad quem modum, ēt D. N. Iesus Christus Matt. XXI, dictus est à populo propheta. & à Pharisæo Luc. VII. dicitur, hic si esset propheta; sciret utique &c. reuelando autem ei Dominus illa, quæ ipse animo, cogitationeque sua uoluebat, atque intra animi sui secretum conseruabat, quod diuina res est, se esse prophetam, & secreti diuini consilii non expertem, ostendit. de Christo illud etiam Deut. XVIII, intelligitur, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem sui. Eccle. XXIX, hoc modo sumitur propheta, cum dicitur, Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis uacabit. hoc est in sacris literis diuina mysteria contemplabitur. Est tamen hoc loco notandum: quòd & si ad legitimam prophetiam, uera, & infallibilis quarundam rerum (ut postea dicemus) cognitio requiratur; non tamen clara adeo, ut est in Deo, in propheta esse potest; alioquin ētiam in patria esset prophetia; cuius oppositum in priore ad Corinth. cap. XIII. significauit nobis Apostolus, dum inquit. Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Corrolario sequitur, Christum, qui & Dei filius, & Deus erat, & rerum omnium exactissimam in essentia diuina cognitionem, clarissimamque uisionem, non autem ænigmaticam notitiam (ut prophetæ cæteri) habebat, non propriè prophetam esse dicendum, sed plusquàm prophetam; hoc est talem, ad quem exprimendum, nomina cuncta deficiunt. Sed de his hactenus.

SECVNDÒ alia procul à nobis distant ex conditione temporum. Hoc autem bifariam esse potest; uel ex conditione temporum longè præteritorum, aliqua procul distare dicuntur: quemadmodum Moses de creatione mundi prophetasse, super Ezech. B. Gregorius dixit. Dixi ex conditione temporum longè præteritorum; quòd non alio modo fortasse, respectu præteriti temporis, prophetiam esse diceremus; nisi longis temporibus res illa (quæ prophetari dicitur) præcessisset; & longis adeo, ut non nisi per diuinam reuelationem ad notitiam nostram peruenire potuerit.

VEL ex conditione temporum futurorum: ut est, ille qui futuros quidem contingenter euentus, hoc est τοὺς μέλλοντας, non autē τοὺς ἐσομένους, & occultiores præuidet: atque de eisdem certam, per diuinam reuelationem (nam secus habere non potest) notitiam habet; & eosdem prænunciat. ea nempe quæ contingenter euentura sunt; idest quorum non solum nulla est necessaria causa, sed nec ut in pluribus; siue illa longis post temporibus, siue etiam de proximo, euentura sint; à nobis, à atque à nostra cognitione, quòd certam & necessariam uel determinatam, & ut in pluribus sui euentus causam non habeant: uel si habent, eam, quam habent, nos lateat, procul ab humana cognitione distare, censenda sunt. Quæ ex se, & ex intrinseca natura sua cognoscere, diuinæ sapientiæ proprium est. Idcirco Esaiæ XLI, legitur Annunciate, quæ euentura sunt in futurum; & sciemus, quia Dii estis uos.

QVARTÒ. dicuntur aliqua à nobis procul distare, non ex conditione aliqua temporum, uel rei, sed ex parte tantùm modi cognoscendi; qui certus cognoscendi modus, quamuis in iis omnibus, quos diximus, prophetiæ modis requiratur; quiddam tamen præterea ex parte uel rei cognitæ, uel temporum, illi amplius exigunt; quàm faciat hic quartus prophetiæ modus. quod siue res diuina sit, siue humana, siue præterita, siue futura, siue etiam præsens sit illa, quam prophetæ quarto modo dicti cognoscunt, & dicunt, nihil faciat; quòd ea tantum ratione prophetæ isti dicantur; quoniam non nisi super naturali aliquo lumine, ad illius quod pronunciant, cognitionem illi, peruenerint propterea, qui isto modo, & per diuinam reuelationem; res siue futuras siue præteritas, præteritas inquam siue longissimis ante actis temporibus, siue de proximo elapsis, siue præsentes etiam cognoscunt; prophetas appellamus. Exemplum est de Heliseo libro Reg. quarto cap. V; qui discipulum Giezi prosequentem Naaman, ab eodem duo talenta argenti, & uestimenta duplicia, munera scilicet, quæ prius ipse renuerat, postulantem; postulataque recipientem, in cellula clauso etiam hostiolo, eidemq; forsan adhibito pessulo Spiritu sancto sic disponente, uiderat, nec id solùm, sed plura alia præterea nouerat; quæ Giezi occultare ei studebat. Petrus similiter Act. V. qui supernaturali lumine furtum Ananiæ, & Saphiræ nouerat, & detexerat; propheta, ut sic, dici potuit; quòd illud non nisi, ut diximus, per diuinam reuelationem cognouerat.

Tollitur dubitatio, an prophetia possit esse de præsenti, uel de præterito. CAP. VIII.

Verum-

A ERVMENIMVERÒ hoc loco nobis fortaſsis obiiciet quiſpiam illud B. Gregorii ſuper Ezechiele. Cum ideo prophetia dicta ſit; quòd futura prædicat; quando de præſenti, uel de præterito loquitur; rationem ſui nominis amittit. non igitur prophetæ nuncupandi ſunt illi; qui uel præterita, uel præſentia, ut præterita, & ut præſentia ſunt, norunt, & dicunt; ſed tantùm qui futura prænũciant.

CVI reſpondebimus uerum eſſe, quod dicit B. Gregorius, ſi uocabuli uel communem uſum, uel proprietatem conſiderare uoluerimus; cum propriè ea, quæ ex temporum conditione procul à noſtra cognitione diſtare dicuntur, ſint futura contingentia, ut affirmat. S. Doctor, de Verit. q. XII, art. II. At ſi uel ipſius uocis etymon, uel rem ipſam, quam nomen ſignificat, inſpexerimus; hoc eſt cognitionem, & enunciationem eorum, quæ ab humanæ cognitionis ratione, procul diſtare dicuntur; & de præterito, & de præſenti, eo, quo dictum eſt, modo, prophetiam eſſe intelligemus. prophetia nanque cognitionem diuinitus habitam, ab humana, & naturali cognitione ſemotam, & ab aliquo pronunciatam ſignificat. Et ideo prophetiam ibidem de præterito idem B. Grego. aſſeruit; & id, quod in principio lib. Genes. dicit Moſes de creatione mundi, prophetatum eſſe per Moſem, rectiſsimè exiſtimauit. de præſenti etiam prophetiam eſſe, tantùm abeſt, ut neget, ut etiam ex priore ad Corint. cap.
B XIIII, illam confirmet; in quo loco inquit Paul. Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, uel idiota conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta enim cordis eius manifeſta ſunt. B. Chryſoſt. propterea in quodam ſuper Pſalmis procemio, uniuerſum genus prophetiæ trifariam diuiſit; in futurum, præſens. & præteritum; de qua re qui plura uidere cupiat; legat B. Gregorium ſuper Ezechielem, ad principium.

Tollitur altera dubitatio, cur Prophetiam, quæ donum eſt Spiritus ſancti, prauis etiam hominibus contigiſſe legamus. CAP. IX.

MISISSEM libenter diuiſionem illam prophetarum, qua quoſdam nomine tantùm; quoſdam uerò re etiam prophetas eſſe dicimus; & horum quoſdam probos, quoſdam improbos prophetas appellamus. Improbos quidem Caipham, Balaam, Saulem & huiuſce generis alios complures. Libenter inquam diuiſionem hanc omiſiſſem quòd diſtinctio inter bonum, & malum prophetam nihil
C aut quàmminimùm propoſito noſtro deſeruiat; qui propoſita theoremata compendioſius, quàm fieri poteſt, & quatenus duntaxat inſtitutæ à nobis diſputationi deſeruiunt, conſiderare; per quam euentuum fatalem neceſsitatem profligare, fortunam uerò atque temeritatem, & uniuerſam denique contingentiæ naturam, pro rei contingentis ratione tueri, probare, ac confirmare tantùm ſtatuerimus. ſed ne quid à nobis diligens lector deſideret; nonnulla de improbis prophetis dicere cogimur; ut ea, quæ de his, qui uerè & propriè prophetæ appellantur, à nobis dicenda ſunt, facilius lector intelligat. quem in primis animaduertere inter dicendum uoluimus; ne nimio plus admiraretur; ſi prauis etiam hominibus prophetandi gratiam contigiſſe, dixerimus. Non enim (ut rectè dicunt noſtri Theologi) prophetia eſt donum, & gratia gratum faciens; ſed tantùm gratis data; quæ malis etiam & improbis uiris conferri poteſt; atque quòd prauis collata fuerit; non deſunt in ſcripturis exempla. Nam, ut eccleſiæ Doctores ſanctiſsimè docent, non aduerſatur iſta gratia peccato; Cæteroqui non dixiſſet in priore ad Corinth. cap. XIII, Apoſtolus, Etſi habuero omnem ptophetiam, charitatem autem non ha-
„ beam, nihil ſum. Et B. Aug. lib. ſecundo ad Simplicianum quæſt. prima, ſatis apparet, inquit,
„ inter dona ſpiritus ſancti eſſe prophetiam; quam tamen ſi quis habeat; & charitatem non ha-
D beat; nihil eſt. Matth. VII. Iis qui in die illa dicent, Domine Domiue, Non'ne in nomine tuo
„ prophetauimus &c.? dicturus eſt Chriſtus, Quia nunquam noui uos; diſcedite à me omnes, qui
„ operamini iniquitatem.

CAETERVM hic annotandum eſt; quòd qui futura ſine intelligentia, uel præuiderunt aut modo aliquo præſenſerunt; uel etiam prædixerunt; nequaquam ſunt, niſi ualde impropriè, inter pro-
„ phetas connumerandi. Ideo B. Auguſtinus XII, ſuper Geneſ. ad literam, inquit. Quibus ſigna,
„ per aliquas rerum corporalium ſimilitudines, demonſtrabautur in ſpiritu; niſi accepiſſent men-
„ tis officium; ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia. Et Daniel ad prophetiam (ait)
„ eſſe opus intelligentia. Quod dictum cum multis Theologis, ita intelligendum putamus; quòd opus ſit uel intelligentia iam diuinitus habita; uel ſaltem in poſterum habenda. Nam neque Daniel uiſionem illam magnam Dan. X. qua mente fuerat conſternatus, ſtatim intellexerat. Ideo miſſus fuit angelus, ut Danielem doceret; quæ ſcire deſiderabat. Et prius cap. VIII, dixerat Daniel. Stupebam ad uiſionem; & non erat qui interpretaretur. Neque Abraham cum dixit pueris ſuis Gen. XXII. Expectate hic cum aſino, ego & puer illhucuſque properantes, poſtquam

quàm adorauerimus, reuertemur ad uos, intellexit quid prophetaret. Prophetasse enim tunc E Abraham affirmat Ambrosius lib. primo de Abraham Patriarcha. cap. VIII, qui ait. Nam ipse solus disponebat redire, immolato filio: Sed dominus, per os eius, loquutus est, quod parabat; captiosè autem loquebatur cum seruulis, ne cognito negotio, aut impediret aliquis; aut gemitu obstreperet, aut fletu. Hæc Ambrosius. Prophetauit ergo cum dixit [reuertemur ad uos] at quod uaticinabatur, tunc temporis non intelligebat; sed redeundo nouit; quod prius ignorabat. opus est enim ad prophetiam, ut intellectus à Deo excitetur; eleueturque ad percipiendum, quod præsagit; non ut subitò id, quod prædicit, uenturum intelligat; sed satis est eum sanctis orationibus, lacrymis, & ieiuniis præparari ad prophetiæ intelligentiam diuinitus impetrandam: nisi expressam habeat reuelationem; quia tunc, certò intelligit quod prophetat. Pharao igitur, qui futuram septem annorum inopiam Genes. XLI in septem spicis, & septem macris bobus, somnio præuiderat, non est dictus propheta; quòd somnium & uisionem tunc non intellexerit; nec post aliquando, nisi humanitus, illud agnouerit planè, hoc est non nisi per interpretem Ioseph, & post quatuordecim annorum completa curricula. sed Ioseph, qui somnii uim, ac rei futuræ intellectum diuinitus uerè, & solidè perpenderat, propheta nuncupatus est. Nabuchodonosor, similiter qui futura regna per somnium præsagierat; ac modo quodam præ- F uiderat; ingentem scilicet statuam illam; cuius caput erat aureum; pectus & brachia de argento: uenter & fœmora ex ære: tibiæ autem ferreæ; pedum una pars ferrea, altera fictilis; & reliliqua, ut in Daniele cap. II, uidere potes, non intellexerat autem; non est dicendus propheta. Aurum nanque (inquit Orig.) Assyriorum, argentum Persarnm, æs Macedonum, Ferrum Romanorum imperium protendebat. Idem aliud rursus somnium somniauerat; ingentem scilicet arborem ad uidendum pulchram, edentem fructus multos, per cuius ramos aues uolitarent; Sub cuius frondibus bestiæ morarentur, et reliqua, quæ in Daniele cap. IIII, leguntur; non dictus est inquam propterea Nabuchdonosor propheta: sed Daniel, qui somnia ista apprimè est interpretatus, propheta dictus est. per somnium istud à rege uisum, multa diuinitus de rege ipso mala futura certè Daniel, & præuiderat, & prædixerat. Neque similiter filius eius, qui post eum regnauit, Balthasar, propheta dicendus est; qui licet & manum in pariete scribentem, & literas scripturamque, quæ sibi mortem & sui regni euersionem denunciabat, uiderit; ea tamen non nisi à Daniele monitus & instructus intellexit, atque hæc omnia fusius in Daniele cap. V. leguntur. G Sed de primo, hoc est, qui'nam prophetæ dicantur hactenus.

Vnde quispiam siue probus & bonus, siue malus & improbus, in prophetam euadat, ad Theologicam ueritatem, declaratur. CAP. X.



SECVNDVM, quod de prophetia considerandum sequitur, est; Vnde iuxta catholicorum Theologorum sententiam, quis in prophetam euadat. Diximus, quòd prophetarum aliqui boni & probi sunt; aliqui mali & praui. si de malis prophetis loquamur; de quibus lib. tertio Reg. cap. XVIII dixit Elias, ad Achab. Mitte & congrega ad me uniuersum Israel in monte Carmeli; & prophetas Baal quadringentos quinquaginta; prophetas lucorum quadringentos; qui comedunt de mensa Iezabel &c. Dicere possumus; quòd prophetæ mali in duplici differentia sunt; quidam qui & si mali sunt, re uera tamen prophetæ sunt; & hi H à Spiritu sancto duntaxat effici possunt. Quidam uerò, qui re uera prophetæ non sunt, dicuntur tamen prophetæ. Et horum quidam à malo dæmone de futuris euentibus edocentur; quidam ex propria arrogantia & temeritate (si tamen tanta temeritas absque dæmonis opera possit esse) elati, inflatique, prophetandi sibi munus assumunt. De his postremis duobus malorum prophetarum generibus legitur tum loco paulò ante citato III Reg. XVIII, tum Deuter. XVIII. Propheta, qui arrogantia deprauatus uoluerit loqui in nomine meo; quæ ego non præcepi illi; ut diceret; aut ex nomine alienorum Deorum; interficietur. tum alibi ut paulò post dicetur à nobis. Ad istos dignoscẽdos loco citato. i. Deut. XVIII. traditur nobis regula. Ea autẽ est, si tacita cogitatione responderis; quõ possum intelligere uerbũ; quod dominus non est loquutus; hoc habebis signũ; quod in nomine domini propheta ille prædixerit, & non euenerit; hoc dominus non est loquutus; sed per tumorem animi sui. propheta confinxit. hæc ibi. Ananias (ut legitur Ieremiæ XXVIII) arroganter redemptionem populo Israel à captiuitate Babylonica, & à iugo Nabuchdonosor regis, prophetauerat. Ieremias propterea ad Ananiam inquit. Audi Anania; non misit te dominus; & tu confidere fecisti populum istum in mendacio, &c. de huiusmodi etiam arrogantibus prophetis, Ieremiæ XIIII, legitur. Falso prophetæ uaticinantur in nomine meo; non nisi

eos,

A eos; & non præcepi eis; neque loquutus sum ad eos: uisionem mendacem, & diuinationem frau
» dulentam, & seductionem cordis sui prophetant uobis, & cap.XXIII. Nolite audire uerba pro-
» phetarum, qui prophetant uobis, & decipiunt uos. Visionem, cordis sui loquuntur, non autem
» de ore domini. Et Ezech.cap. XIII. Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil uident. ii reuera prophetæ nomen minimè omnium merentur: sed uocetenus ita ab imperitioribus, quorum loquendi consuetudini prophetarum & sapientum sermones accommodari cernimus, appellantur: quòd ad diuinandos futuros euentus, ueros prophetas æmulari uideantur. prophetæ nempè re uera sunt illi tantùm; qui à Spiritu, sancto commoti prophetant: etiam si improbi, & culpatæ uitæ sunt. Hi profectò cuncti, & si eorum nonnulli improbi sunt, bona tamen nonnulla, & quæ ad finem bonum, hoc est ad Dei ecclesiæ utilitatem, faciunt, prænunciant. etiam si finem ipsum illi sæpissimè non intelligant. Apostolus nanque antequam in priore ad Corinth. cap. XII. Spiritus sancti dona enumerasset, inter quæ, prophetiam statuit; præmiserat.
» Vnicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, & cætera. Quemadmodum de Balaam in nu-
» meris legimus, de quo in posteriore Petri, cap. II. Derelinquentes rectam uiam errauerunt; se-
B cuti uiam Balaam ex Bosor: qui mercedem iniquitatis amauit: correptionem uerò habuit suæ
» uesaniæ, subiugale mutum animal, in hominis uoce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam
» Hæc ibi. Hic enim quamuis scelestus esset: cap. nihilominus XII, prohibitus est maledicere populo Israel. Et cap. XXIII, bona multa semini Israelis, ita disponente Spiritu sancto, prophetauit atque prænunciauit. Dicit enim ibi scriptura. Dominus autem posuit uerbum in ore eius, &
» ait &c. Chrysostomus propterea Homil. XXV, in Mat. inquit. Balaam à fide, ac probitate uitæ,
» erat prorsus alienus: sed tamen operata est in illo Dei gratia, in ædificationem proculdubio cœte
» rorum. Hæc ille. Quemadmodum de Caipha nefario homine, rursus apud Ioannem cap. XI, legi
» mus: qui cum esset pontifex anni illius, in concilio Pontificum, & Pharisæorum dixit. Vos nesci-
» tis quidquam: nec cogitatis; quia expedit uobis, ut unus moriatur homo, pro populo: & non
» tota genus pereat. Hoc autem (inquit Euangelista) à semetipso non dixit; sed cum esset pontifex anni illius prophetauit: quòd Iesus moriturus erat pro gente; & non tantùm pro gente; sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Quem locum B. Chrysost. Homil. LXIIII,
» edisserens ait. Vides quanta sit pontificalis uirtus. Cum enim pontfiex esset, licèt indignus, pro-
» phetauit: nescius tamen quid diceret: & os tantùm gratia, non autem scelestum cor attingit.
C Hæc ille. Vbi (ut uides) asseruit, os Caiphæ ad prophetiam, à gratia (intellige) diuina, & à Spi-
» ritu sancto fuisse commotum. quod etiam paucis interpositis clarius replicat, inquiens. Vide
» quanta Spiritus potentia, à mala mente, uerba prophetica, & admirationis plena elicere potuit. in quo loco per Spiritum, sanctum Spiritum intelligito. Illud placuit uberius declarasse; ne aliquibus, plus quàm par esset, religiosis, calumniandi ansam præbere uideremur; quòd malis etiam hominibus Spiritum sanctum ad prophetandum illabi fateremur; illabitur sanè; sed (ut inquit Chrysostomus) os tantùm gratia, non autem scelestum cor attingit, quod ex Apostolo priore Epistola ad Corinth. cap. XII liquidò constare potest; ubi cum dixerit aliis per Spiritum dari sermonem sapientiæ; aliis sermonem scientiæ secundum eundem spiritum, aliis fidem in eodem spiritu, aliis gratiam sanitatum in uno spiritu, aliis operationem uirtutum, aliis prophetiam, aliis discretionem spirituum, aliis genera linguarum, aliis interpretationem sermonum, subdit, omnia autem operatur unus, atque idem spiritus, diuidens singulis, prout uult. Sed quis est iste unus, atque idem spiritus, qui hæc omnia operatur, diuidens singulis ista dona, inter quæ prophetia est, prout uult, nisi Spiritus sanctus? A' dæmone etiam aliqui mali, & improbi uiri instructi, fieri uel potius uideri possunt, aliquo modo & impropriè prophetæ. cum enim prophetia cognitionem quandam (ut prius dictum fuit) procul ab humana cognitione di-
D stantem importet; possint autem intellectus superiores multa cognoscere, ab intellectibus inferioribus, remota; & cum supra humanum intellectum, non diuinus tantùm sit; sed omnis etiam (secundum naturæ ordinem) intellectus angelicus (omnis inquam tam malorum, quàm bonorum angelorum natura essentiam humanæ naturæ, & conditionem excedit) & illi intellectus omnes sua naturali intelligentia humanam cognitionem longè & præcedant, & excedant; dæmones propterea suopte ingenio, multa, atque, quò natura præstantiores fuerint, eò plura ualent intelligere, & coniicere, & efficere insuper (ut permittuntur) aliqua, quæ ab hominum cognitione ualde remota sunt; eaque uni uel alteri hominum pro uoluntate, & uoluntati eorum facta à Deo permissione; prædemonstrare possunt. Ad quem modum augures, aruspices, & id genus diuinatores, prophetæ appellantur; qui si quid diuinant; ex societate dæmonum (ut lib. secundo de Doctrina Christiana tradidit Augustinus) diuinant. Origenes etiam libro περὶ ἀρχῶν, Est inquit quædam operatio dæmonum, in ministerio præscientiæ, quæ artibus
» quibusdam ab his, qui se dæmonibus manciparunt, nunc per sortes, nunc per auguria, nunc
» per contemplationem umbrarum comprehendi uidetur. Hactenus Origenes. Si illi igitur qui-
» bus à

bus à Dæmonibus aliquot huiuſcemodi præoſtenſa fuerint, cæteris eadem hominibus inuulgauerint; & prædicauerint; uulgò tanquam prophetæ, iſti habebuntur. Diximus tanquam prophetæ, quòd & ſi eorum, quos prius malos prophetas diximus, à Spiritu ſancto commoti nonnulli ſint; qui etiam impropriè prophetæ dicantur; quoniam intelligentiam eorum (ut patet de Caipha) quæ prædixerunt, non habuerunt, iſti tamen, qui à Dæmone inſtuuntur, non ſolùm impropriè, ſed iterum atque iterum impropriè, & non niſi æquiuocè prophetæ ſunt appellandi. Quòd prophetia illa, quæ uerè & propriè prophetia dicitur, ſecundum Theologos loquendo, diuinam quandam de re futura reuelationem, id eſt quandam ſupra humanum, & procreatum quodcunque ingenium cognitionem, & intelligentiam, eſſentialiter includat. Eſaiæ XLII ait Dominus, Quæ prima fuerunt, ecce uenerunt; noua quoque ego annuncio, antequam creentur, audita uobis faciam &c. ut Deus ſolus certè, & definitè futura cognoſcat, non dæmon. E

Quæ ſit diſtinctio inter bonum & malum prophetam declaratur. CAP. XI.



DIXIMVS, ex prophetis aliquos bonos, aliquos malos eſſe; demonſtrauimus etiam ſuperiori capite, unde'nam quilibet eorum, illud conſequatur, ut in prophetis uel numeretur, uel numerari credatur. Nunc ex his quæ dicta fuerunt; inter bonos & malos prophetas ſtatuenda eſt quadruplex differentia. Vna eſt, quòd illi, qui prophetæ boni, & probi ſunt, ſunt re uera ſoli prophetæ; alii uerò impropriè prophetæ uel ſunt, uel dicuntur. Altera, quoniam illi priores id eſt boni & probi abſolutè & ſimpliciter prophetæ nuncupantur, non ita poſteriores & improbi; qui non niſi cum additione diſtrahente prophetæ dicuntur. Et ideo, ut in Secunda ſecundæ quæſt. CLXXII, art. V, rectiſsimè notauit D. Thom. non dicuntur prophetæ qui mali ſunt, ſiue propria arrogantia tumeſcant; ſiue à malo dæmone ſint inflati potius; quàm afflari, & docti; in ſacris codicibus ſimpliciter, & abſolutè prophetæ; ſed cum aliqua ſemper diminuente, ut dicunt Logici, & diſtrahente additione; ut prophetæ Baal, prophetæ lucorum, prophetæ ſtulti, & aliis huiuſcemodi uanis epithetis appellitantur. Sicut in lib. Oſeæ cap. IX ſcriptũ eſt. Scitote Iſrael ſtultum prophetam & inſanum uirum ſpiritualem &c. De prophetis autem malis omnibus ueritatem habet, quod ſuperius citauimus, & in Euangelio Matth. cap. VII. legitur. His enim, qui dixerint, Domine in nomine tuo prophetauimus; reſpondebitur, Nunquam noui uos. nouit autem dominus, inquit Paul. ad Timoth., eos, qui ſunt eius. Tertia differentia eſt, quoniam etſi malorum prophetarum aliqui propria arrogantia tumeſcant; aliqui à malo dæmone ſint instructi; nonnulli etiam à bono, & à ſancto ſpiritu, & à Deo afflati dicantur; omnes tamen quicunque boni ſunt; & quorum non ora tantùm, ſed corda etiam attingit diuina gratia; à ſolo ſpiritu ſancto inſtrui, firmiter eſt credendum. Hi enim ſunt, qui, ut diximus, & uerè, & propriè prophetæ appellandi ſunt; de quibus in ſecunda Petri cap. II dicitur. Non enim uoluntate humana allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu ſancto inſpirante, loquuti ſunt ſancti Dei homines. Et Dauid Pſal. L, incerta, inquit, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Et Eſaiæ primo. Audite cœli, & aurib. percipe terra; quoniam dominus loquutus eſt. Filios enutriui &c. & Zachar. primo Angelus qui loquebatur in me. Et Ierem. primo. Ad omnia, quæ mittam te, ibis, & quæ mandauero tibi, loqueris. Et ad Moſem dominus Exod. III. Ego ero tecum. Et Micheas propheta iis, qui, ut bona regi nunciaret, monebant, ait. Viuit dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. Sed quorſum in prophetis ſingulis moror? cùm omnes fermè prophetæ (quorum uolumina inter ſacros codices habemus, de quibus mendacium ſuſpicati ſacrilegium eſt) Verbum Domini ad ſe ſemel, atque iterum factum apertisſimè fateantur? A'Spiritu ſancto igitur commoti, & docti prophetæ boni omnes ſunt, ſed non ii tantùm: ſed prophetæ etiam illi mali. Quicunque uerè & non æquiuocè, quanquam impropriè, prophetæ ſunt appellandi. Hi nanque à Spiritu ſancto ſi non edocti, commoti ſaltem, & afflati fuerunt; diuerſo tamen modo à bonis & ſanctis; quòd iſtorum ora tantùm; illorum uerò & ora & corda (ut dictum fuit) Spiritus ſanctus attigerit. Diximus quicunque ueri prophetæ, & non æquiuocè dicti; quoniam mali, qui à Dæmone, de futuro euentu, inſtructi ſunt, prophetæ æquiuocè nuncupantur; quoniam & ſi negare minimè auderemus; Dæmones futuros aliquos poſſe aliquo modo euentus coniicere, ac præſagire; atque prædicere; fateri tamen (ut quartam ſubinferamus differentiam) ſatis audacter poſſumus, & eos, qui à Dæmone instructi ſunt, non eſſe prophetas, niſi æquiuocè, & ipſos Dæmones huiuſmodi futuros euentus minimè præuidere; id eſt ad amusſim, & exactè minimè intelligere poſſe: ſed (ut cap. XXII lib. IX de Ciuitate Dei, & in lib. de Dæmone declarauit B. Auguſtinus) ſagaci potius ſua natura, & præteritorum experientia, & inſtantium obſeruatione, & nonnullis extrinſecus in homine; & in rebus aliis notatis permutationibus, de futuris dæmones, donum prophetiæ ad hominis perniciem & damnationem æmulati,

A æmulati, sæpenumero uera coniiciunt; & præloquuntur. Cæterùm angeli boni, à quibus illi, qui uerè & propriè prophetæ sunt, instrui dicuntur; temporalia ferè omnia antequam etiam eueniant in maiestate diuina & in speculo illo, in quo relucent omnia, exactè intelligunt; & si scientia angelorum (ut ad Orosium scribit B. Augustinus) in comparatione scientiæ Dei, quodam modo uespera est. Hinc sancta scriptura probos, & sanctos prophetas sæpè uidentes appellat: quòd à bonis angelis, qui euentura quasi cuncta probè cognoscunt, & in diuina essentia eadem intuentur, edocti, futura tanquam præsentia, uel præterita, æquè ac illa oculis conspexissent, enunciant. Prophetæ rursus tam boni quàm mali inter se etiam differunt. Nam malorum aliqui uerè licet minus propriè prophetæ nuncupantur; ut illi, quorum os tetigit gratia; aliqui uerò omnino impropriè, & æquiuocè prophetæ uocantur: ut illi, qui uel à dæmone sunt instructi, uel per propriam arrogantiam tumefacti. inter bonos similiter & sanctos prophetas inuicem aliqua constitui potest distinctio; quoniam fiunt multis modis ueri prophetæ; uisione quidam clara, alii insomniis, nonnulli aliquo signo, alii ex uoce cœlitus delapsari. Omnes uerò diuino numine aliquo modo plus uel minus afflati, futura contingentia præcognoscere, prædicere, & prophetare censendi sunt. Diximus plus uel minus afflati; quoniam in prophetia gradus sunt; sicut B. Augustinus XII super Gen. ad literam scribit. quod etiam in glos. primæ ad Corinth. cap. XIIII super illud [spiritus loquitur mysteria] habetur. Minus est propheta, qui
B rerum signatarum solo spiritu uidet imagines; & magis est propheta, qui solo earum intellectu est præditus; sed maximè propheta est, qui in utroque præcellit. B. Thomas secunda secundæ quæst. CLXXIIII art. II, & aliquot sequentibus, diffusè de re ista disseruit. ad eum lectorem, qui plura cupiat, mittimus.

Differentia inter prophetiam physicam & theologicam, item inter prophetam & uatem, exponitur. CAP. XII.



POSVIMVS inter prophetas tam physicè, quàm theologicè distinctiones quàmplurimas; physicè quidem cum diximus; quosdam esse prophetas à temperamento, quosdam à solo, alios ab arte, uel à scientia, & causarum cognitione, quosdam denique ab experimento. theologicè uerò, cum quosdam à Deo, alios à malo dæmone, nonnullos etiam propria arrogantia, prophetas fieri, aut saltem appellari declarauimus; & inter hos, differentias aliquot exposuimus.
C Quum autem multa & de prophetis, & de ipsa prophetia, tam naturali, quàm theologica, à nobis hactenus exposita fuerint; nihil ab re fortè nunc erit; si inter prophetiam physicam, & theologicam, quid intersit; breuissimè exposuerimus. Est igitur inter eas differentia quadruplex; una ex parte subiecti, & materiæ eius, de qua prophetia esse dicitur. Nam theologica de re præsenti, & de præterita, & de futura (ut diximus) est; naturalis uerò, de futura tantùm. Altera ex parte (ita dixerim) formæ, siue modi, quoniam (ut paulò post declarabitur) theologica habitus impropriè dicitur; naturalis autem si non omnis, aliqua saltem (ut superius uidimus) habitus propriè utcunque dici potest. Tertia, ex parte efficientis; quoniam illa ex Deo est, & tantùm ex Deo si de ea, quæ uerè & propriè prophetia est, loquamur. si uerò de omni, aut à Deo est, aut à dæmone, aut à propria arrogantia, ut oĩs illa prophetia à causa uoluntaria sit, ista uerò, à causa naturali, & non ab una tantùm, sed ex pluribus esse potest; ut puta ex corporis temperamento, ex solo in quo degimus, & ex aliis causis. Ex hac tertia differentia, siduæ aliæ corollario colligi possunt. Vna quòd non est ita immobiliter uera physica prophetia, sicut theologica; quia naturalis causa permutabilis est; & uel ex se euanescere; uel ne in effectum, ad quem producendum est ordinata, progrediatur, impediri potest; at diuinæ uoluntati (est au-
D tem diuina uoluntas theologicæ prophetiæ causa) obsistere potest nihil; nec modo aliquo senio confici, aut euanescere illa potest. Altera quòd naturalis prophetia si non omnis, plurima saltem non est, nisi eorum, quæ habent causas certas, & determinatas in natura; uolo dicere, causas tantùm naturales, non supernaturales; at theologica est rerum omnium siue habeant, siue non habeant causas in natura; modo diuinas & supernaturales causa habere possint; quod dicimus propter ea, quæ fieri, impossibilia sunt. Ex parte finis quarta differentia sumitur; quia theologica est à Deo homini tributa, ad ecclesiæ utilitatem; at physica non ad utilitatem ecclesiæ; sed uel ad naturalem humani intellectus perfectionem facere uidetur; uel etiam ad nullam hominis perfectionem; sed ui quadam & temere nonnunquam, ita dispositis naturalibus causis, irrumpere illa conspicitur; ut in uatibus patet, & furentibus; de quibus nonnulla superius diximus; plura inferius ultimo libro dicturi. Facit tamen semper ad integritatem & perfectionem Mundi uniuersi. Sed de differentia inter physicam & theologicam prophetiam hactenus. Sequitur ut inter prophetam & uatem distantiam statuamus. Diximus pridem ex Timæo, inter

uatem & prophetam, diſtinctionem huiuſmodi Platonẽ conſtituiſſe; ut propheta eſſet uatis in- E
terpretes; & id, quod uates ignoraret, intelligeret, atque interpretaretur propheta; ut ſomnia, obſcura, & perplexa oracula, extorum uiſa, & id genus alia. Vnde ad Platonis ſententiam facilè colligitur, uatem, qui ab aliis fere omnibus propheta nuncupatur, temerè, quantum ad ſe attinet, uerba effutire; & ui quadam, ſic urgentibus naturalibus cauſis, de quibus poſtea dicemus, pronunciare. Ab hac Platonis opinione noſtri Theologi (phyſici nanque non multum hanc diſtinctionem amplexantur) parum abeſſe uidentur. Nam B. Chryſoſt. Homil. XXIX, in epiſtolam ad Corinth. & D. Iuſtinus Philoſophus & Martyr, in lib. quæſt. ad orthodoxos, quæſt. 11, inter uatem & prophetam, diſtinctionẽ ponunt huiuſmodi; ut uates mente, neceſsitate quadam, commoueatur; & quaſi rabie compellatur; & tanquam furiis percitus, ad dicendum, abſque intelligentia, pertrahatur. Sed propheta contrà ſe habet (intelligendi ſunt autem Chryſoſt. & Iuſtinus de uero & legitimo propheta, non de eo, qui uel à dæmone malo inſtruitur, uel corripitur, uel propria arrogantia tumeſcit, uel etiam de eo, cuius os tantùm attingit Spiritus ſanctus) Nam ſobria mente, modeſta, & firma, quæ loquitur omnia (ut decet) loquitur; & intelligit; & præterea Dei ueri cultum retinet; nec mentitur; ſed eueniunt cuncta, quæ ille prædicit; res autem longè ſecus ſe habet in uate. Quam rem, idem Chryſoſt. in Pſal. XLIIII confir- F
mat. Quamobrem lib. primo contrà Academicos, cap. VII rectè dixit B. Auguſtinus. uates men te aliena eſſe proloquutos. Et B. Hieronymus in præfatione Eſaiæ, Montanum, rectè repræhendit, qui prophetas in extaſi loquutos temerè fuiſſe, dicebat; ut, quid loquerentur, neſcirent; ſed ignorarent, quid dicerent. D. etiam Iuſtinus philoſophus & Martyr libello, cui titulus, Admonitorius Gentium, finem uerſus, ſe Cumis fuiſſe dixit; ubi nonnulli inter alia, quæ de Sibylla Cumæa, à maioribus ſuis audierunt; retulerunt, eos, qui oracula excipiebant, plurimùm ineruditos, à metri ratione multis in locis exorbitaſſe; cuius rei hæc, inquit, inter alias erat cauſa; quòd non illa, ut Poetæ faciunt, caſtigandi, & poliendi, quæ ſcripſiſſet, poteſtatem haberet; ſed afflationis tempore, quæ ad prædictionem ſpectabant, edebat; qua ceſſante, eorum pariter memoria ceſſabat. Sed de diſtantia inter uatem & prophetam, & inter Phyſicam prophetiam; & Theologicam hactenus.

Dubitationi de perplexis oraculis, ſuperiori libro, prætactæ reſponſio Theologica exhibetur. CAP. XIII. G



EX HIS, quæ in ſuperioribus dicta fuerunt, ad dubitationem illam, quam præcedente libro tetigimus, de perplexis oraculis, uera iam & catholica reſponſio haberi poteſt. Huiuſmodi nanque ambiguæ reſponſiones, uel ex nimia uatis alteratione, ac perturbatione, uel ex ipſa malorum dæmonum improbitate, proueniunt. Diximus enim prius, non nullos à malo dæmone inſtructos, prophetas uideri. Cacodæmones autem propter duarum alteram cauſam, uel etiam propter utramque, obſcuras & perplexas exhibent reſponſiones. Vna eſt, Quoniam quum (ut in libro de Diuinatione dæmonum ſcribit B. Auguſt.) ſolis ducantur con iecturis, & ſuſpitionibus, ſine cœleſtibus oraculis, & cauſis euidentibus, certam de euentu futuro, & indubiam cognitionem habere nequeunt, ſed cum dubitatione tantùm; explicatam propterea, & apertam afferre reſponſionem non poſſunt, ſed uel opertam & obſcuram, uel etiam falſam ſæpiſsimè petentibus exhibent. Vt fuit illa, in actibus B. Simonis & Iudæ, Regi Babylonico aduerſus Indianos bellum paranti, ab idolis exhibita; quam beati illi Apoſtoli deriſere, & mendaciſsimam demonſtrauere. Verùm (ut B. Auguſt. loco citato dicebat) apud cultores ſuos ne H
pondus auctoritatis amittant, id agunt, ut uatibus, & interpretibus ſuis, ſignorumque ſuorum coniectoribus culpa tribuatur, quando uel decepti fuerint, uel mentiti. Altera cauſa eſt. Quoniam odio generis humani, & nocendi ſtudio tegunt (ſi quam habent) atque occultant ueritatem. Quod ſi uerum aliquando proferunt; faciunt uel diuina uirtute coacti, uel ut eis interea credere aſſueſcamus, quo nos tandem facilius decipiant. Vnde D. Athanaſius illud Luc. IIII, ediſſerens, "
Increpauit illum dicens. Obmuteſce (inquit) Quamuis uera fateretur dæmon; compeſcebat ta- "
men Chriſtus eius ſermonem; ne ſimul cum ueritate, ſuam etiam iniquitatem promulgaret. Hæc "
ille. Delectantur ii humani generis hoſtes pernicie noſtra; lætanturque calamitatibus noſtris, inquit Syneſius libro quinto De prouidentia σύμφοραι γὰρ ἐθνῶν, εὐωχία φαύλων δαιμόνων, hoc eſt calamitates mortalium epulæ ſunt malorum dæmonum. Ludunt propterea ſæpiſsimè perplexis, ancipitibusque orationibus; ut uel iis miſeros homines ludificent, uel circunuentos eoſdem & ſuſpenſos ueluti freno regant, incitent, flectant, & contorqueant, quò uelint. D. N. Ioan. VIII. ita diabolum nobis depinxit Ἀνθρωποκτόνος γὰρ ἐστὶν ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐν ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν, ὅτι οὐκ ἐστὶν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. ὅτ' ἂν λαλεῖ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, ὅτι ψεύστης ἐστὶν, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. Hoc eſt. Homicida enim

eſt

A est ab initio, & in ueritate non stetit quoniam non est ueritas in ipso. cum enim loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quoniam mendax ipse est, & pater ipsius. Qui plura in hac materia uidere cupiat, legat tractatum B. Augustini de Diuinatione dæmonum, et præsertim caput eiusdem sextum. Sed de ancipitum oraculorum Theologica ratione, & præterea de theoremate illo, unde quispiam in prophetam euadat, hactenus.

Quid prophetia sit secundum Theologos. CAP. XIIII.



AD SENTENTIAM Catholicorum Theologorum, prophetia non satis facilè (quod secus accidit ad philosophantium opinionem) diffiniri potest; cum neque ad potentiam, neque ad habitum, neque ad effectum & passionem; ad quæ ea (quæ in anima sunt) reducuntur omnia, prophetiam posse à Theologis reduci, facilè uideatur, cum tria illa potentia, affectus & habitus, tanquam moralium actionum potius, quàm cognitionum, & intelligentiarum nostrarum principia, posita sint loco citato ab Aristotele. quòd si cognitionum etiam, contemplationumque nostrarum ea, uel omnia, uel aliqua, tanquam principia statuamus; non nisi naturalium & acquisitarum à nobis cognitionum non infusarum, & super naturalium principia, & causas illa statuere poterimus. Prophetia autem, non praxim, & operationem, siue actionem, solùm dicit, sed etiam cognitionem (dicente Daniele cap. x, ad prophetiam, & uisionem, necessariam esse intelligentiam) & contemplationem quandam annexam, & copulatam, & eam non acquisitam, sed infusam habet. Ad quem igitur modum ad illa genera, uel ad illorum aliquod prophetia reduci posit, non ita facile uidere possumus. Quamobrem D. Thom. in hac re non parum perplexus, non esse aliquid eorum trium nec ad aliquod unum illorum principiorum, prophetiã reducendam esse, putauit; sed eam esse potius lumen quoddam, animo nostro diuinitus immissum, se habens per modum formæ, non quidem permanentis, sed transeuntis; & ueluti per modum cuiusdam impressionis, sicuti lumen solis in aere se habet; existimauit. Et ideo sicuti lumen est passio quædam aeris; ita si ad aliquod eorum, quæ sunt in anima, principium reducenda illa sit; ad passionem potius & affectionem, non qualis est sensus passio, sed qualis illa est, de qua lib. tertiò de Animæ dicitur, intelligere esse quoddam pati, quàm ad unum aliquod aliorum duorum principiorum, hoc est ad potentiam uel habitum reducendam esse putauit.

C SED B. Doctori multa ipse obstare crediderim. Primùm, quòd prophetia non est tantùm pati, & intrinsecus recipere, & intelligere; sed etiam extrinsecus aliquid agere. Ad prophetiam nanque præter intelligentiam, requiritur prænunciatio; prænunciare autem, ad extra aliquid agere est. Duobus enim (iuxta illud Esaiæ XXIX, Quæ audiui à Domino exercituum, Deo Israel, annunciare uobis) integrari prophetia uidetur; præintelligentia, siue præ instructione à Deo habita, & prænunciatione. Si quis enim futuros euentus præintelligeret; non prænunciaret autem; inter prophetas, is nunquam haberetur. Et quamuis quo ad rei essentiam, prænunciationis intelligentia præferenda sit; quo tamen ad modum nostrum intelligendi, quo communiter de prophetia loqui consueuimus, intelligentiæ prænunciatio est prorsus anteponenda. Cuius rei indicium maximum illud est: quòd multi, qui futuros euentus, sine intelligentia, siue sine diuina admonitione, prænunciarunt, nescientes (ut in priore ad Timot. cap. 1. scribit Apostolus) quæ loquantur: ut Caiphas, & alii, prophetæ sunt habiti: at eorum, qui sine prænunciatione eosdem intellexerunt, nemo.

SECVNDVM, quoniam illa luminis per modum præsertim formæ transeuntis receptio, fit sine dubio in animo, aptitudinem ad illud recipiendum, & procliuitatem maximam habente. Est D enim unumquodque ad illud naturaliter procliue, quod suæ perfectionis est. Quid igitur prohibet, quin non solùm in philosophia Aristotelis, sed etiam in doctrina B. Thomæ, & aliorum, qui bene Theologiam tractant, potentia naturalis prophetia dicatur? non secus, quàm aptitudo illa, quam ad lumen solis recipiendum, continet aer, & procliuitas, naturalis potentia aeris dici potest; ita ut prophetia, ad illorum principiorum unum aliquod, præter affectum, idest ad potentiam reducatur? quod idem B. Doctor in quæst. de Verit. quæst. XII. art. primò uisus est etiam non penitus abiecisse.

TERTIVM. Quoniam illa etiam passio, quæ intelligere dicitur: ad habitum sæpe ab Aristotele reducta uidetur. Igitur uelit, nolit ad prædicta illa, eorum, quæ in anima nostra sunt, principia, & ad unum eorum, uel plura B. Thomas prophetiam ut reducat, necesse est.

QVARTVM. quoniam & si ad prophetiam illa mentis illustratio, & supernaturalis, ac diuini luminis in mente receptio; quæ affectus etiam, & passio dici potest; requiratur; non tamen illuminatio ista uerè, & formaliter prophetia dici potest; sed tale, quippiam est; quod prophetiam uel præcedit, uel subsequitur, sed præcedit maximè. Non poterit igitur prophetia ritè passio

nuncupari, & ad paſsionem tantùm eo præſertim modo, quo facit D. Thomas legitimè reduci; E
cum prophetia ſit aliud quidpiam per ſe & natura ſua, quàm illud, quod eam præcedit, uel ſequitur; ſicut eſt illuſtratio illa, & illa in anima luminis impreſsio. quod enim de diffinitione & de eſſentia rei cuiuſpiam eſt, non illud præcedit aut ſequitur, ſed cum eo ſimul prorſus eſſe intelligitur ut etiam peccatum originale non ſatis rectè à noſtris quamuis ſanctis & doctis Theologis, definitum fuerit, per carentiam originalis iuſtitiæ: quoniam carentia iſta poſt peccatum ſequuta eſt, ſed de hoc aliàs, redeo ad priorem orationem. Qua propter, meliori ſemper iudicio libentiſsimè, & ſine contentione aliqua ceſſurus, dicerem, prophetiam & ſecundum noſtrorum Theologorum doctrinam, & pro dignitate, ac (ita dixerim) maieſtate ipſius prophetiæ ad habitum ſuo modo, & quantum prophetiæ natura patitur, intellectualem, raduci debere. Habitus nanque intellectualis, eſt ſua natura longè præſtantior; quàm ſit uel potentia naturalis, quæ ad habitum ipſum naturaliter uidetur eſſe ordinata, uel paſsio, quæ quæ ad ſenſum magis quàm ad intellectũ declinare uidetur. Sunt autem (ut lib. VI. Ethicorum cap. III. docuit Ariſt.) habitus intellectuales quinque, ars, prudentia, ſcientia, intellectus, & ſapientia. Quorum etiam ſingulorum aliquam, eam ſcilicet quam & propoſitum noſtrum requirit; & inſtituta breuitas patitur; afferre declarationem, non grauabimur. Ars eſt habitus cum uera ratione effectiuus. Effici dicuntur illa; quæ poſtquam F
effecta ſunt; aliquandiu permanent; ut domus, lectica, & huiuſmodi. Prudentia eſt habitus cum uera ratione actiuus. illa agi dicuntur, quæ poſtquam acta ſunt, non conſtant, aut permanent, ſed abeunt; ut ſaltus, luſus, motus, actus morales omnes, & huiuſmodi alia. Vel dicamus, quòd factibilia ſunt illa, quæ in extraneam materiam ab agente procedunt & in eadem recipiuntur, & permanent. agibilia uerò ſunt illa, quæ non in extrinſecam materiam progrediuntur, nec permanent, ſed obeunt, dum fiunt. Scientia eſt habitus per demonſtrationem, ideſt per diſcurſum, ex neceſſariis, & per ſe principiis procedentem, acquiſitus. Huius diſcurſus principia, ex quibus ſcientiam adgenerari diximus, intellectus dicuntur; illa fortaſsis ratione, quòd ſolo intellectu, ideſt, uel ſola illa animæ noſtræ ſuprema ferè parte, quæ intellectus dicitur; uel ſola earum, quibus ipſa coaleſcunt, uocum cognitione, & intelligentia, ſine doctore, illa percipiantur. Sapientia tandem eſt, & ſcientiæ & intellectus ueluti caput, principium, & fons; cui proprium eſt, non ex quibuſcunque etiam neceſſariis; & per ſe; ſed ex ſupremis altiſsimiſque ſolùm, ac diuiniſsimis cauſis, atque primis omnino principiis, rem unamquanque contemplari. G
His igitur quambreuiſsimè ita declaratis, dicimus; quòd non eſt prophetia habitus, qui ſimpliciter dicatur ars, uel prudentia; cum neque circa ea, quæ effici; neque circa ea, quæ non effici, ſed agi propriè dicuntur, tota uerſetur. Quamuis ad mores, & ad melioris uitæ inſtitutionem, quoniam ad eccleſiæ utilitatem, à Deo inſpirata potiſsimùm prophetia cenſeatur; ita ut propter hanc cauſam habitus, qui prudentia dicitur, utcunque nuncupari poſsit. Neque eſt habitus; qui ſcientia propriè dicatur, cum non ſit cognitio cuiuſpiam conclusionis per demonſtrationem, & per neceſſaria complexa principia, per proximam phyſicam cauſam habita, & acquiſita, ſicut eſt ſcientia, Neque eſt habitus; qui dicitur intellectus, etſi ad eam intelligentia eſt opus; quòd intellectus ille, qui habitus intellectus eſſe dicitur, ſit reſpectu eorum principiorum, quæ ex uocum, quibus coaleſcunt, ſimplici cognitione manifeſta ſunt. ex quibus, in demonſtrationibus, concluſiones colliguntur. At prophetia non habet huius generis principia; quæ ex ſimplici terminorum cognitione percipiantur. Adde quòd propheta ipſe ſuarum concluſionum principia ſæpenumero, ideſt rationem, & conſilium Domini; quare hoc uel illud, uni uel alteri, homini uel populo per ipſum reuelari, & prænunciari Deus uoluerit, neſciat. Hoc eſt enim quod dicitur in gloſa Eſaiæ XXXVIII. Deus prophetis reuelat ſuam ſententiam, ſed non conſilium. Reſtat igitur, ut dicamus, quòd prophetia ſit habitus intellectus; qui ſapientia nuncupatur; nec ſanè immeritò. illud nempe quod propheta, quatenus ſcilicet propheta eſt, cognoſcit; per altiſsimas ſupremaſque tantùm cauſas ideſt per diuinam reuelationem, non ſenſu, aut non tantùm ſenſu, ſed uel intelligentia duntaxat uel non ſine intelligentia cognoſcit. Quæ profectò & diuina reuelatio poteſt dici & paſsio; ad quem modum dicitur, [intelligere eſt pati] & lumen tranſiens; quoniã per ſupernaturalis luminis impreſsionem ſit. Sed mihi uidetur magis, quòd à cauſa altiſsima, ſupremaque, unde habitus ille, qui prophetia dicitur, emanat, ſit habitus ipſe nuncupandus, & ſapientiæ nomen, illi quam decentiſsimè, quamaptiſsimeque conueniat. ut dicamus, prophetiã eſſe habitum ſapientiæ. Neque. B. Doctor obſtinatè adeo uult prophetiam dici paſsionem; quin in quæſt. diſp. de Verit. quæſt. XII, art. primo, & habitum eam appellari permittat; quanquam habitum non illo modo, quo nos, accipit; ſed ut habilitatem, & inclinationem ſignificat, ad quẽ modum, inquit ipſe, Auicenna lib. ſexto naturalium, habitum ſcientiæ nil aliud eſſe aſſeruit; quàm habilitatem quandam animæ noſtræ, ad hoc, ut recipiat illuminationem intelligentiæ agentis, & ſpecies intelligibiles, ab ea in ipſum effluentes. at iſte habitus qui habilitas & inclinatio eſt, ſi diligentius illius naturam perſcrutabimur, potentiæ naturalis magis, quàm habitus denominationem

A minationem, sine dubio mereri uidebitur. Nos autem non potentiam naturalem, non passionem, sed habitum intellectualem, & sapientiam, prophetiam esse dicimus. Nec tamen habitus sapientia simpliciter, & absolutè censenda prophetia est; sed ad hunc sensum dicitur sapientia; quatenus illius quod prophetare sancti uates dicuntur, cognitionem, & intelligentiam non ab humano ingenio, uel uoluntate, non à physicis, & naturalibus causis, sed (ut abundè dictum fuit) à spiritu tantùm sancto, idest ab altissima, supremaque omnium causa habere prophetas, sine dubitatione, credimus, & tenemus. Dicemus igitur quòd prophetia est habitus sapientiæ, in quorundam hominum animis à Deo infusus, ad ecclesiæ utilitatem.

Tolluntur nonnulla, quæ aduersus id, quod diximus, prophetiam uidelicet esse habitum, obstare uidentur. CAP. XV.



ADVERSVS hanc sententiam, & istam, quam nos de prophetia habemus opinionem; quòd prophetia habitus sit, poterunt multi dubitare, præsertim propter diffinitionem habitus ab Auerroe libro tertio de Anima, commento XVIII positam. Habitus est, quo habens utitur, cum uoluerit, quoniam non habitu pro-
B phetiæ cum uoluerint, utuntur prophetæ. manifestum est hoc in Helisæo; qui cum à Rege Israel, libro quarto Regum cap. III, interrogaretur; cur dominus congregasset tres reges, regem uidelicet Israel, regem Iuda, & regem Edon, ut traderet eos, in manu Moab; non habebat, quid responderet; ad se propterea psaltem
„ uocauit, ubi dicit scriptura, Cumque caneret psaltes, facta est, super eum, manus domini;
„ & ait &c.

SECVNDÒ etiam, quòd non omnium euentuum habitum teneat, & cognitionem habeat propheta: sicut eodem lib. quarto cap. item IIII, de muliere Sunamite, dicebat Helisæus. Anima eius in amaritudine est, & dominus celauit à me: & non indicauit mihi.

TERTIÒ, quia iste habitus non ducit in cognitionem principii prophetiæ, & diuinæ essentiæ uel diuinæ uoluntatis, cum alioquin habitus in suorum principiorũ cognitionem ducere uideantur; cum in ea denuo tendant habitus, ex quibus generantur, ut in moralibus patet, in quibus ha-
C bitus inclinantur ad eos actus, ex quibus geniti sunt.

VERVNTAMEN propter hæc, & alia id genus, quæ aduersus diffinitionem, quam superiori capite imperfectam, perfectam autem inferius sumus laturi, de ipsa prophetia; in qua illam esse dicemus sapientiam, habitumq; intellectualem eminentissimum; deficiendum non erat ab hac (ut fecit D. Thomas) quam diximus, opinione, & sententia, ut prophetiam, non habitum, sed affectũ duntaxat & passionem, uel potentiam esse diceremus. PRIMÒ, quia non dicimus prophetiam esse habitum acquisitum, quo uti possimus, cum uolumus, qualis loco citato ab Auer. definitur.

SECVNDÒ, quoniã ad hoc, quòd aliquis habitũ prophetiæ habeat; non requiritur, ut omnia; quæ per huiusmodi habitũ cognosci possunt, cognoscat, aut huiuscemodi omnia, cum uoluerit, contẽpletur. Alioquin neq; habitum geometriæ habere quempiam, aut philosophiæ, dicere poterimus, nisi omnia, quæ à Geometra, aut Philosopho tradi possunt, & contemplari, cognoscat, & calleat, cunctarumq; huiuscemodi rationum habitum possideat; nec utcunq; possideat, sed ita, ut cuncta quæ ad habitum geometriæ, uel philosophiæ pertinent, teneat, & exactissimè dignoscat. Quod & esse falsum, & cõmuni, quam de Geometris, & Philosophis, id est de geometriæ, & philosophiæ habitum habentibus, tenemus existimationi, aduersarii non est qui dubitet.

D TERTIÒ. Non requiritur, ut in claram diuinæ essentiæ, uel diuinæ uoluntatis quæ huius habitus principium esse dicitur, intelligentiam illum, qui hunc habitum habet, deducat, quoniam habitus iste à suis principiis non producitur naturaliter, sed uoluntariè & liberè, sed sufficit quòd ea quæ propheta, quatenus propheta est, cognoscit; per altissimas causas, idest per diuinam reuelationem, & per sancti spiritus operationem cognoscat; & quòd eorum, quæ per reuelationem diuinam nouit (cuius reuelationis intuitu propheta maximè nuncupatur) cognitionẽ teneat, istaq; cum opus sit, prænunciet: alioquin taceat, atq; cum uoluerit, eadem (ut poterit) contempletur. Hoc uoluit Apostolus, cum in priore ad Corinth. cap. XIIII. dixit, Spiritus prophetarum ipsis prophetis esse subiectos, quòd in potestate eorum sit id, quod in potestate uatum & furentium non est, uidelicet uel proloqui, uel silere, & reuelata diuinitus, cum libuerit contemplari.

QVARTÒ. Quoniam non propriè, & perfectè habitus prophetia dicitur, quamuis habitus magis dignitatem, quàm passionis nomenclaturam exposcat, sed eatenus prophetiam habitum diximus: quatenus si ad unum aliquod illorum trium principiorum reduci debeat, ut uidentur omnia quæ in omnia nostra sunt, reducenda, ad habitum non ad quæcunq;: sed intellectualem, non quemcunq;, sed ad sapientiam magis, quàm ad passionem contra multorum Theologorum iudicium; reducendam nos esse putamus; passio enim pro affectu & à Philosophis, & à Theolo-

gis communiter ſumitur; affectus autem malè ſonare uideatur, quòd uel ad ſenſum tantùm, uel ad ſenſum maximè referatur, iuxta illud, quod Pſal. LXXII, legitur, Trãſierunt in affectum cordis. at habitus contrà id prorſus ſignificare uidetur, quod uel tantùm, uel maximè ad intellectum, referri uolumus. E

PER ea, quæ dicta ſunt, facilis eſt ad omnia obiecta reſponſio. Ad primum, Etſi habitui naturali non acquiſito conuenit diffinitio illa, Habitus eſt, quo habens utitur, cum uoluerit. poteſt tamen in habitu prophetiæ, eo ſanè quem diximus, modo uerificari. earum nanque rerum, quarum quis habet prophetiæ habitum, poteſt cum uoluerit contemplari rationem, quam & ſi plenè aſſequi non poterit, perſcrutabitur tamen.

AD ſecundum dictum, eſt argumentum quid ponere, ut qui habitum alicuius ſcientiæ: ut, uerbi cauſa, Geometriæ habeat: concluſiones omnes geometriæ teneat; quod falſum eſt, & communi, quem habemus de habentibus geometriæ habitum, exiſtimationi aduerſatur. quis eſt, qui concluſiones uniuerſas cuiuſpiam facultatis & habitus calleat?

AD tertium. Ducere in cognitionem ſuorum principiorum, non conuenit habitui ſupernaturali, & cuius principia libera ſunt & uoluntaria; ſed naturali & naturaliter acquiſito.

Si obiicias, quoniam habitus uirtutum moralium principia habent libera, actus ſcilicet habituum generationem præcedentes, qui à nobis liberè & ex electione procedunt, & tamen habitus iſti in ſua principia ducunt: in eoſdem enim actus ducunt habitus ipſi à quibus originem & generationem ſumpſere. F Reſpondebimus, quòd etſi actus illi, ex quibus habitus in nobis genitus eſt uirtutis, liberi & ex electione ſunt; illi tamen liberè & ex electione habitum non generant; ſed naturaliter, & ex neceſsitate. principia autem prophetiæ, hoc eſt diuina uoluntas, & libera eſt, & liberè & contingenter in eo, in quo uult, habitum prophetiæ ingenerat.

Colliguntur ex dictis quatuor corollaria. CAP. XVI.



EX IIS, quæ hactenus dicta ſunt, quatuor ſubinferimus corollaria. Primum, quoniam colligendum aduerſus B. Thomam doctorem alioqui ſingulari doctrina, atque eruditione, quòd cum prophetia habitus, ut uidimus, ſit, non eſt tantùm quid, ad modum luminis pertranſiens; ſed quid, ad modum habitus intellectualis permanens; qui nihilominus habitus non fit ſine illuſtratione intellectus poſsibilis, ab intellectu agente, & utriuſque ab intellectu diuino. Ideo nihil prohibet ut habitus prophetia dicatur eſſe permanens; etiam ſi non niſi à diuina illuſtratione fiat. G Nam quemadmodum à præceptoribus diſcipuli, de ſuperficie, de circulo, de ſolido, de ſphæra, & de aliis id genus per modum illuſtrationis; erudiuntur; quorum deinde retinent habitum; ita à Deo per modum illuminationis & ab angelis ſanctis prophetæ, de quibuſdam, omnes inſtruuntur; quamuis diuerſis modis, ut ad calcem cap. XI prius, à nobis dictum fuit, & eorum, quorum inſtructionem ſuſcipiunt, habitum prophetæ diu retinent. Similitudinem autem inter prophetam & auditorem in Secunda ſecundæ quæſt. CLXXIIII, art. II, recipit B. Thomas. Negare igitur idem non poterit; quin ſicut ex præceptore in auditorem fiunt habitus; ita à Deo in prophetam; & tanto firmiores, & permanentiores; quanto Deus, & angelus homini in inſtruendis rudibus, & in cæteris ſingulis ſuis operationibus, præſtant. Cæterùm non habitus ſolùm prophetiæ, ſed nec aliorum donorum ſpiritus ſancti unum aliquod, immo nec habitus uirtutum moralium, nec ſcientiarum, immo nec homo quidem ipſe, nec creatura aliqua perſiſtere poteſt, niſi Deo illam conſeruante; cum cuncta ita pendeant à Deo; quemadmodum aeris illuminatio à Sole.

SECVNDVM corollarium. quoniam ſicut non abſolutè, ut dictum eſt, & ſimpliciter eſt habitus prophetia, qui dicitur ſapientia, ſed ad huiuſmodi habitum eam reduci exiſtimamus; ſi ad unum illorum trium, quæ in anima ſunt, reducenda eſt. H ita nec ſolùm habitus, qui ſapientia dicatur, prophetia cenſenda eſt, ſed ex habitu potius, qui eſt ſapientia, & ex eo, qui eſt prudentia, habitus quidam integratus, collectuſque uidetur. Ex ſapientia quidem, quòd & reuelatione diuina, & diuini reuelati intelligentia conſtet. Ex prudentia uerò quod ad formandos mores, ad peccatores terrendos, & ad uitam benè inſtituendam, & breuiter ad eccleſiæ ædificium, propheticæ prænunciationes maximè ſpectent. Ita quidem ex parte principii, & originis, & ſuæ efficientis cauſæ, ſapientia eſt; ex parte uerò finis & concluſionis, prudentia dici poteſt. Nec eſt cur ad hoc ſuadendum fuſius digrediamur. Si nanque prophetiam ſumamus, quatenus cognitio quædam eſt, per diuinam reuelationem, habita; ſic prophetiam ſapientiam eſſe dicimus. Si uerò, quatenus ad uitam hominis in melius reformandam, ut in ſacris codicibus, à Deo inſtitutam, & aliquot hominibus, inſpiratam eſſe, copioſiſsimè conſtat; illam conſideremus, ſic prophetiam prudentiam aſſerere, non dubitamus. Quanquam non ſatis propriè ſiue ſapientia, ſiue prudentia,

A tia, siue quidpiam utraque constans dici possit. quoniam habitus est non naturalis uel acquisitus, sicut est prudentia, & sapientia acquisita, sed supernaturalis, & diuinæ gratiæ dono, nobis infusus. cuius naturam, deffinitionem, & quidditatem, non commodè per has nostrates uoces exprimere, & interpretari possumus.

TERTIVM corollarium. quoniam ex iis, quæ hactenus dicta sunt, prophetiam completè (ut nobis possibile est) & perfectè diffinire poterimus. dicemus nanque (ut prophetiæ tandem exactam, quam habere possumus, colligamus diffinitionem, siue descriptionem) quòd prophetia est habitus prudentiæ, & sapientiæ supernaturalis, homini, ad ecclesiæ utilitatem, infusus. prophetia sanè est habitus intellectualis quidem, sed supernaturalis, & infusus. Hoc est quod Cassiodorus in sua diffinitione ait [est inspiratio, uel diuiua reuelatio] qui tum sapientia (quoniam per diuinam reuelationem habetur) tum prudentia dici potest, quoniam per eum, uel de præteritis, uel de præsentibus, uel de futuris euentibus, ad uitæ sanctitatem, & ad Ecclesiæ utilitatem, homo instruitur, tum ex sapientia, & prudentia integratus, quatenus ex illa oritur, & in istam tendit; per quem, ea, quæ Deo placita sunt, eodem reuelante, hominibus, quibus idem

B uoluerit, innotescunt.

QVARTVM corollarium est. quoniam illud, quod nonnulli nobilissimi alioquin & maximi Theologi dixerunt, ad prophetiam requiri miraculorum operationem, tanquam propheticè annunciationis confirmationem, non facit ad prophetiæ essentiam. Ioannem nempe Baptistam prophetam, ex ore Domini, & plusquàm prophetam habemus, quem, miraculum ullum edidisse, non legimus. Immo de eo Ioan. x, ita scribitur. Et multi uenerunt ad eum, & dicebant; quia Ioannes quidem nullum fecit signum. quem locum edisserens B. Augustinus inquit, Nullum, aiunt, miraculum ostendit Ioannes. Non dæmonia fugauit; non expulit febrem; non cæcos illuminauit. Dauidem etiam prophetam fuisse nobilissimum, & cui Theologi omnes nomen prophetæ per excellentiam tribuunt, nulli est dubium; de quo tamen, quod miracula ædiderit, non legimus.

Ea, quæ per prophetiam prædicuntur, si eueniunt; ita contingenter eueniunt; ut possint etiam non euenire. CAP. XVII.



C QVAM minimè autem rebus prophetia necessitatem imponat; etsi à Deo, qui fallere aut falli non potest, illa, quæ à sanctis prophetis annunciantur, sunt eisdē reuelata; & quamminimè ea, quæ per prophetas prædicuntur, ineuitabili necessitate euenire putanda sunt; ex iis, quæ in sacris codicibus leguntur, ostendere, non erit difficile. Nam libro quarto regum cap. xx, Et apud Esaiam cap. xxxviii, legimus, Esaiam prophetam mortem Ezechiæ prophetasse in hac uerba, Hæc dicit dominus Deus, Dispone domui tuæ; quia morieris, & non uiues. & statim subditur in litera. Et conuertit faciem suam Ezechias ad parietem, & orauit dominum dicens. Obsecro domine. &c. atque paucis interpositis sequitur. Et antequàm egrederetur Esaias mediam partem atrii; factus est sermo domini ad eum dicens, reuertere, & dic Ezechiæ. Hæc dicit dominus Deus Dauid patris tui, audiui orationem tuam, & uidi lacrymas tuas. Ecce ego adiiciam super dies tuos, quindecim annos &c. Qui nanque, si ea, quæ à prophetis denunciantur, impermutabili necessitate uentura sunt, fieri potuisset, ut mors Ezechiæ impermutabili necessitate non subsequuta fuisset? aut quomodo quindenum annorum spatium uitæ ipsius adiici potuisset? Consimile legitur lib. tertio Reg. cap. xxi. Vbi propheta Elias ex iussu do-

D mini occurrit Achab descendenti ad uineam Naboth, & illi dixit. Hæc dicit Dominus, In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum, & aliquot interpositis, ista leguntur. Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit uestimenta sua; & operuit cilicio carnem suam; ieiunauitque, & dormiuit in sacco; & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo domini ad Eliam Thesbitem dicens, Non'ne uidisti humiliatum Achab coràm me? Quia igitur humiliatus est, mei causa; non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filii sui inferam malum domui eius. Hæc ibi. si nanque ea, quæ prophetæ denunciant; ex iussu præsertim domini ineuitabili necessitate euentura sunt: num potuisset Achab orationibus, & bonis aliis ac Deo gratis operibus, diuinam sententiam effugere; quam sibi denunciarat Elias? lib. secundo Reg. cap. xxxiiii. legitur quòd Dominus misertus est super Hierusalem, & super afflictionem populi eius, & noluit illam disperdere, sicut per Gad prophetam denunciatum Dauidi prius fuerat; sed angelum suum prohibuit, qui iam manus in eiusdem excidium extenderat. Si illud quòd Gad propheta annunciauit, & præsertim ex præcepto Domini, non euenit; sed fuit ab excidio Hierosolymarum prohibitus Angelus, dicemus'ne ea ineuitabili necessitate esse euentura, quæ per prophetarū, quempiam sunt prænunciata? Quid de Iona propheta

pheta dicemus? qui diuinam misericordiam perpendens, intelligensq; quantum illam suæ iustitiæ summus omnium pater anteferat, nolebat Niniuitis suum excidium, quod sibi Dominus reuelauerat, prædicare. Verùm cùm eosdem, de futura, post qnadraginta dies, Niniue subuersione, tandem admonuisset; illiq;, audito tam diro nuncio, in cinere, in cilicio, & in ieiunio, de commissis sceleribus, pœnitentiam egissent, atque immutabilem Dei sententiam permutauissent, excidiumq; quod illis minitatus fuerat Ionas, & per Ionam Dominus euitauissent: indignabundus Ionas, sub umbraculo, quod sibi fecerat, sedebat. Ita enim in Iona cap. IIII. legimus. Et afflictus « est Ionas afflictione maxima, & iratus est, & orauit ad Dominum, & dixit. Obsecro Domine. Nun « quid non hoc est uerbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui, ut fu- « gerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miseratio- « nis, & ignoscens super malitia. Et nunc Domine tolle quæso animam meam à me, quia melior est « mihi mors; quàm uita. Et dixit Dominus, putas'ne benè irasceris tu? & quæ sequuntur. Sed cur « irascitur Ionas; nisi quia id, quod à Domino prophetare iussus fuerat, non euenerat? Sed quomodo non euenerat: si uel prophetia rebus necessitatem imponit, uel quæ per prophetiam enunciantur, non euenire non possunt? sed constat non euenisse. Igitur aut non fuit Ionas propheta, neque Gad, neque Elias, neque Esaias, aut tollenda est à prophetia necessitas illa impermutabilis, non primum, igitur propositum.

Aduersus ea, quæ superiori, capite dicta sunt, dubitatur; & dubitatio, ex D. Thoma, dissoluitur; & in solutione dubitatur.

CAP. XVIII.



SED aduersus ea, quæ superiori cap. dicta fuerunt, illa obstare uidetur prophetiæ diffinitio, quam Cassiodorus in prologo psalmorum attulit, quæ etiam in glossa ordinaria super loco Esaiæ citato, idest super cap. XXXVIII. ponitur, & à catholicis Theologis nostris, communi consensu, recipitur. ea autem est. Prophetia est inspiratio, uel diuina reuelatio, rerum euentus immobili ueritate denuncians. Illis enim, quæ superiori cap. ex sacris codicibus adduximus exemplis, diffinitionẽ, hanc, & contra huic diffinitioni illa exempla pugnare, atque contradicere, facilè quiuis suspicari potest, & non, immobili ueritate, fuisse Ezechiæ mortem, Achab interfectionẽ, Hierosolymarũ excidium, Niniuitarũ subuersionẽ à prophetis denũciatam.

Hanc apparentem contradictionem, Secunda secundæ, Quæst. CLXXI. articulo ultimo, per distinctionem quandam futuri euentus, D. Thomas auferre conatus est. Bifariam enim, inquit ille doctor sanctus, à Deo, futurus rei contingentis euentus cognosci potest; tum ut in se est, tum ut in suis causis esse intelligitur. Quatenus quidẽ ea, quæ contingenter futura sunt, ut in se, diuino intellectui sunt præsentia, eatenus ita ad unũ determinata illa esse credidit B. doctor, ut non posse uel non euenire, uel aliter, quàm eueniant, euenire putauerit. Quatenus uerò non ut in se, sed ut in naturalibus causis suis, ea quæ contingenter euentura sunt, eidem diuino intellectui præsentia sunt; illa eatenus ita indeterminata esse, existimauit; ut posse eueuire, uel non euenire, & posse etiam si eueniunt, aliter quàm eueniant, euenire, idem B. Thomas asseruerit. Futura igitur contingentia, & quæ à prophetis prænunciata dicuntur, inquantum quidem primo modo, & in se, à Deo; cognoscuntur, eueniunt; nec secus quàm eueniant, euenire possunt. Quatenus uerò secundo modo, & in causis suis sunt cognita, & euenire, & non euenire, & secus etiam, quàm eueniant, euenire possunt. Et ideo illa, quæ isto secundo modo propheticè denunciata sunt: sæpè non euenerunt, cuius rei illa est ratio; quòd causæ huiuscemodi euentuum, quos secundo modo à Deo intelligi, & à prophetis denunciari diximus, naturales sunt, quæ etsi, quantum ad causas attinet, quadam necessitate sunt effectũ edituræ, à Deo tamen uel impediri possunt; uel ab actione suspendi; ne in effectum suum prorumpant. Huius secundi modi erat (inquit Beatus Thomas) mors Ezechiæ eidem ab Esaia, & Niniuitarum subuersio, eisdem ab Iona prænunciata. Iam enim in Ezechia naturales mortis causæ aderant, & in Niniuitis scelera, quibus subuersionem sibi demeriti fuerant; ut pro causarum natura, & scelerum ratione, & illi mors, & istis subuersio non poterat non euenire.

SED aduersus hanc responsionem ego dubito. Primò, Quoniam distinctio ista B. Thomæ in se bona minimè uidetur. Secundò, Neque secundum eius, propriam doctrinam bene admodum à se ipso declarata. Tertiò, Neque etiam si bona esset, & aptè ad eius dogmata declarata, tolleret eam propterea, quam nos apparere dicebamus, inter sacras literas, & diffinitionem Cassiodori pugnantiam. Sed hæc tria breuissimè nos ostendemus. Neque enim hic locus longiorem desiderat disputationem.

PRIMVM quidem, quoniam si futurus rei contingentis euentus, ut in se, diuino intellectui præsens,

A fens, ad unum determinatus est: sequitur omnino, ut secus quàm sunt, & modo naturæ suæ oppolito, euentus contingentes (sicut ex Iamblicho prius declarauimus) diuinæ menti præsentes sint: eosdemque intellectus diuinus præposterè intelligat. Euentus quippe contingens: aut possibilis, quatenus contingens aut possibilis est, ex se, & ex propria, & intrinseca sua natura habet, quod & esse possit, & non esse: & sit prorsus tam ad esse, quàm ad non esse indeterminatus; alioqui non contingens aut possibilis, sed necessarius, uel impossibilis esset. omnia autem diuino intellectui, ut natura sua constituta sunt, & ut esse habere dicuntur, præsentia sunt. cum indeterminatione igitur (quantum ad se attinet) & (sicut inquit B. Thomas) ut in se, contingens euentus diuino intellectui præsens est; ita se habet, ut possit, etiam qua præsens est intellectui diuino, esse, aut non esse & aliter euenire, quàm eueniat. Contra uerò contingens euentus, non ut in se, sed ut in causis suis consideratur; & (ut sic) diuino intellectui præsentatur, idest prout intellectus diuinus non primam solùm quæ est diuina uoluntas & ratio, sed secundam, & tertiam, & usque ad proximam eiusdem euentus causam, ex qua res tandem, & euentus contingens producendus est; simul contuetur, & cognoscit; ad unum determinatus est; & cum determinatione ad unum, diui-

B no intellectui præsens est. Nam si determinatus ad unum non esset; cum omnino ab aliqua proxima causa, & ex aliquo, causarum ordine, effectus quilibet futurus producendus sit: sequeretur, uel quòd non omnes contingentis futuri euentus causas diuinus intellectus intelligeret, ac præcognosceret: uel quòd omnibus contingentis euentus positis causis, posset idem non euenire. Vtrunque autem absurdissimum omnino, & impossibile esse, certum est.

Si obiicias, quoniam naturales causæ omnes possint impediri.

Dicemus primò, quòd illæ non sunt omnes contingentis effectus causæ; sed illis addenda etiam est diuina uoluntas & ratio, quæ (ut paulò ante dicebamus, & prius libro secundò fusius declarauimus) omnium euentuum qualitercunque euenientium est prima causa; quæ impediri non potest.

Secundò, si illæ naturales causæ impediuntur ab aliqua causa: ita ut non sequatur effectus certum est, & quòd illæ non erant causæ illius effectus, & quòd effectus ipse non erat producendus. at loquimur de causis effectus producendi. si enim producendus est effectus; cui dubium, quòd à suis causis, quæcunque sint illæ, producendus est? quarum & si omnes, uel aliquæ in serie causarum contingenter, uel etiam temerè sunt complexæ; ab omnibus nihilominus simul sumptis, ita effectus producitur; ut non produci non possit. In quibus omnibus causis consideratus

C ille effectus, ad unum omnino, determinatus est. Quamobrem. Non solùm id, quod dicit B. Thomas, uerum esse non uidetur: sed res contrà quàm idem putauerit, se habere, existimamus. Contingentes nanque futuri euentus in suis causis, idest cum omnibus suis causis sumpti, & cum eisdem considerati, tanquàm determinati ad unum, in se uerò, & ut contingentes sunt, tanquam indeterminati, se offerunt diuino intellectui, quòd ut sic (talis namque est eorum natura) & esse, & non esse possint. Et hæc de primo.

Secundum, quòd uidelicet distinctio illa non fuerit ad doctrinam B. Thomæ satis rectè, ab eodemmet declarata, ostendamus. Vel enim istæ causæ, ex quibus, dicebat B. Thomas, quantum est ex parte ipsarum causarum, nisi à diuina prouidentia præpediantur, euentus immobiliter, & de necessitate producitur, sunt naturales, uel non; Declaro me ipsum. Mors Ezechiæ, per prophetam prænunciata, quatenus ad causas suas naturales referebatur, erat, de sententia B. Tho

» mæ, immobilis, & necessaria. ita enim scribit loco citato iste sanctus doctor. Nam sensus prophe

» tiæ est; quòd inferiorum causarum dispositio siue naturalium, siue humanorum actuum, hoc ha-

» bet, ut talis effectus eueniat. in quo loco uerbum [causarum naturalium] ad mortem Ezechiæ,

D uerbum uerò [humanorum actuum] ad Niniue subuersionem, referendum est. si naturales causæ illæ non sunt (fusius naturales causas sumendo, ut humanos etiam actus inter eas nunc connumeremus) de illis non loquitur S. doctor; quoniam ad naturales causas tantùm comparatus euentus, per prophetam, prænunciatus, immobili necessitate euenturus erat. Si uerò naturales causæ sunt; quemadmodum illas esse, ad quas prophetia, siue Ezechiæ mors relata, immobilitatem habebat, ipsemet confitetur; ita ut ad illas, ex earum natura, effectus ipse ut mors Ezechiæ, siue Niniue subuersio, ineuitabili necessitate, nisi à Deo impeditæ fuissent, secuta esset. Tunc ad uersus B. Doctorem conformabimus argumentum. Quoniam mors ista poterat à peritis medicis compræhendi; naturales enim ægritudinis, & mortis causæ (ut naturales sunt) cognosci non solùm possunt; sed etiam debent à medicis, nullo adiutis præcipuo & supernaturali lumine; sed arte sola; quibus etiam illi (ut uero simile est) ire obuiam ex officio conari tenentur. cum sine aliquo remedio, morbum medici affirment nullum; etsi sæpe illud ab imperitioribus ignoretur. Quo stante duorum alterum contra diuum Thomam, omnino sequi necessum est; uel quòd illa Esaiæ prænunciatio & Ezechiæ mors non fuerit per naturales causas ineuitabilis, & necessaria (cuius oppositum loco citato in responsione ad secundum, ille confessus est) uel esto quòd per na-

turales causas esset ineuitabilis, quoniam à perito medico poterant & mors illa, & mortis causæ E naturales depræhendi; sequetur quòd prophetia, & prophetica cognitio, non sit ex sui natura reuelatio, & inspiratio diuina, idest non sit supra humanam cognitionem; cuius contrarium ubiq; cum Cassiodoro, sed præsertim quæstione citata, art. primo asseruit idem doctor. Non enim & naturales causas, & ea, quæ ex naturalibus causis, ordine aliquo, consequuntur, supra humanam cognitionem esse, idem B. Thomas confiteretur. Hactenus de secundo aduersus B. Thomam. Verùm quoniam irrepsit obiter difficultas de causis mortis Ezechiæ denunciatæ; quia si naturales erant, poterant à peritis medicis præcognosci: unde sequitur ut non fuerit supra humanam cognitionem illa prophetia; referam quid in hac re sentiat B. August. qui lib. sexto in Genesim cap. XVII, non ad naturales causas descendens; sed in inferioribus tantùm se continens causis, difficultatem dissoluebat inquiens. Nam secundum quasdam futurorum causas moriturus erat « Ezechias. Et parum infra. Secundum aliquas igitur causas inferiores, uitam finierat: secun- « dum illas autem, quæ sunt in uoluntate, & præscientia Dei, non finierat. Hæc Augustinus. Vbi « notandum, quòd non idem sunt causa naturalis, & causa inferior. omnis enim causa naturalis, est causa inferior, sed non conuertitur propositio, quòd plures sint causæ inferiores, quàm naturales. Naturales enim dicuntur illæ causæ tantùm, quæ suorum effectuum quodammodo primordia intra se continent; à quibus propterea naturaliter produci dicuntur. Possunt autem F aliqua in iis inferioribus aliquid causare; & illud non naturaliter; ut exempli causa, cùm homo capsam fabricat, aut domum, uel etiam cùm hominem iugulat, uel ueneno enecat, & huiusmodi. ueneno quidem naturale est enecare; at homini minimè naturale est, uenenum pharmacis adhibere; quod, si fiat, præcognoscere non est medici, sed diuini potius & prophetici spiritus. Simile quid forsam erat in Ezechia, uel in Ezechiæ ministris, siue iniquitate aliqua, siue socordia & negligentia futurum; quod medici ex arte cognoscere non poterant. ad quod deinde impermutabili necessitate erat mors Ezechiæ sequutura; de qua quidem, posita prius causa, ut epoto ueneno facilè fuisset medicis prognosticare; sed antequàm fuisset causa posita, erat impossibile, ante positionem propterea huius causæ, mors non poterat Ezechiæ, nisi diuinitus præcognosci. Sed quoniam per naturalem causam, potuit etiam inferiorem quancunque causam intellexisse B. Thomas. De hac re propterea, non est cur longius differamus; ne de nomine contendere uideamur.

TERTIVM satis ex se patere arbitror; quoniam quocunque modo dicatur, huiuscemodi prædictiones esse propheticas, cum euentus non successerint; sequi uidetur omnino, quòd non im- G mobili ueritate, facta fuerit prophetica denunciatio.

Altera responsio B. Thomæ melior, exponitur; & sermo de prophetia terminatur. CAP. XIX.



QVAMOBREM alibi idem sanctus doctor, in quæstionibus scilicet de Veritate, quæst. XII. art. XI. dubitationi prætactæ longè melius facere satis uidetur. inquit enim, quòd prophetia bifariam considerari potest; tum ex parte diuini consilii; quod consilium nihil aliud nunc est, quàm determinatio diuinæ uoluntatis ab æterna ratione & dispositione procedens; tum ex parte diuinæ sententiæ; quæ quidem sententia pro ratione meritorum, & pro ratione humanæ uoluntatis, quæ successiuis temporibus permutatur, & ferri adeo, & suspendi, & permutari potest. tantùm enim præsentia, uel præterita, ut libro sequente ex B. Hieronymo declarabimus, non autem futura iudicat Deus omnipotens. In ea igitur, quæ uel H instant duntaxat, & sunt præsentia, uel præterita; non autem in ea, quæ futura sunt, fert Deus sententiam suam. Quamobrem ex parte diuinæ sententiæ, pro mutatione eius, in quem fertur ipsa sententia, mutabilitas aliqua potest prophetiæ accidere. At ex parte consilii nulla. quæ responsio longè mihi magis, quàm prior, arridet; quæ fuit prius Beati Gregorii lib. XVI, Moralium cap. VI: ubi immutabilitatem prophetiæ ita declarat; ut aliquando eandem mutabilitati aliquo modo subiici permittat: et eam, quam superius ostenderamus, contradictionem quàm commodissimè tollit. Non enim intelligas uelim, Deum mutare sententiam; ut homo sæpe facit; qui decidit à sententia. perstat enim eodem modo semper; & secundum præscientiam suam, qua cuncta prænouit, sententiam non mutat; sed ex permutatione, ut dictum fuit, & conuersione peccatoris; eius dicitur sententia permutari, cum tamen re uera sententia non permutetur, sed peccator. Quamobrem in libro quæst. ad Orthodoxos, quæst. XXXVI, B. Iustinus philosophus & martyr dissoluens quæst. Si numen mutari non potest; cur de unctione Sauli dicit se pœnitere; & de euersione Niniue, quòd sententiam, mutauerit, ita ex interprete inquit. Dominus Deus & quod est, & quod facit, quæ se deceant, immutabilis est. Sed cũ « ii, quos curat, mutentur; mutat ipse res; prout eis expedit, quos curat. Ideoq; & ad ignoscendũ, «

& ad

A & ad non ignoſcendum immutabilis eſt. Ignoſcit enim immutabiliter iis, qui delicta, ſua corrigunt; iis uerò, qui à malis reuocari non poſſunt, immutabiliter non ignoſcit. Quod ergo dicit de unctione Sauli pœnitet me; oſtendit eius immutabilitatem in non ignoſcendo. Quòd uerò de Niniuæ excidio eum pœnituit; oſtendit eius immutabilitatem in ignoſcendo. Eſt enim immobilis Deus; ſemperq; perſeuerat in eis, quæ ipſum facere deceat, nec unquam mutationem admittit ad ea facienda, quæ eum deceant. Hactenus Iuſtinus. Hæc ipſa B. Thomæ diſtinctio ſub aliis uerbis ſolet à Theologis quibuſdam afferri. Dicunt enim duplicem eſſe prophetiam, Præſcientiæ ſcilicet, & comminationis; ſiue, ut inquit B. Chryſoſt. Homilia prima in Matth., prophetia duplex eſt, Vna ex præſcientia, altera ex iudicio operum. prior immobilis, atque impermutabilis eſt; poſterior pro actionum humanarum mutabilitate, mutabilis eſt; aut potius mutabiliter immutabilis eſt. Legitur Ierem. XVIII, Et factum eſt uerbum domini ad me dicens, Nunquid ſicut figulus iſte, non potero uobis facere, domus Iſrael? Repentè loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum; ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Et ſtatim ſubdit. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum aduerſus eam; agam & ego pœnitentiam ſuper malo; quod cogitaui, ut facerem ei. Quibus uerbis immutabilem Dei mutationem propheta nobis expreſſit. eadem explicatur Ezechielis XVIII, Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus pecca-

B tis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea & fecerit iudicium, & iuſtitiam; uita uiuet, & non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor; in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, uiuet. Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua; & fecerit iniquitatem, ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius; nunquid uiuet? Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur, in præuaricatione, qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccauit, in ipſis morietur. Pro ratione nanque humanarum operationum, & diuinam ſententiam permutari, & prophetiam, quæ diuinam huiuſcemodi ſententiam nobis prænunciat, euariari, abundè in his citatis locis, & in ſacris codicibus uniuerſis legere poſſumus. Quamobrem diuinæ miſericordiæ ineffabile ſacramentum ſuſpiciamus; cum diuinam ſententiã, quam immutabilem eſſe tantæ maieſtati congruum uideri poterat, noſtris operibus, & humanis noſtris actionibus, in pœnis præſertim minitandis, uel infligendis reuocari; & diuinam uoluntatem humanæ quaſi uoluntati ſubmitti; atque uel pro humanorum actuum permutatione, uel pro cuiuſpiam ſancti pro nobis uiri deprecatione, permutari fere Deus Opt. Max. patiatur. Quemadmodum Exod. XXXII, legimus; quod præcibus Moſis placatus eſt Dominus; ne faceret malum, quod loquutus fuerat aduerſus populum ſuum.

C SED dixeris, ſi non prophetia comminationis, uel ſententiæ; prophetia ſaltem, quam præſcientiæ diximus, cum immobilis ſit; futuris contingenter euentis neceſsitatem imponere uidebitur; ut quæ per huiuſmodi præſcientiæ prophetiam prænunciata fuerint; illa ineuitabili prorſus neceſsitate uentura ſint.

RESPONDEBIMVS, non maiorem poteſt prophetia, iſto etiam modo conſiderata, rebus imponere neceſsitatem; quàm uel ipſa diuina præſcientia, de qua diximus, quòd falli non poteſt, uel ipſa diuina prouidentia imponat. Sed quòd ad opinionem rectius philoſophantium, & ad catholicam Theologorum ſententiam, rebus neceſsitatem prouidentia non inducat; ſuperius abundè ſatis uidimus. Similiter ad ſentẽtiam Iamblichi cognomento diuini, & multorum philoſophantium, diuinam præſcientiam uidimus non inferre rebus neceſsitatem ullam. Nunc idem, de noſtrorum Theologorum catholica ſententia, iam ſumus declaraturi. Ex cuius rei declaratione, ad prætactam difficultatem, copioſiſsimè erit reſponſum. Cum igitur de prophetia, & de prophetis ſatis hucuſque diſſeruerimus; quid ad idem tertium pro Stoicorum fatali neceſsitate, ex diuina præcognitione deductum argumentum, catholicus Theologus diceret; & quàm nullam rebus neceſſitatem diuina præſcientia inducat, ſed quàm commodè, cum diuina præſcientia, fortuna, temeritas, & omnis denique contingentiæ natura ſtare ualeat; nunc demum uideamus.

D

IVLII SIRENII CARRARII HIERONYMIANI, THEOLOGI, ET PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

De Fato liber octauus.

In quo de diuina præscientia ad catholicorum Theologorum sententiam.

Ad tertiam, pro Stoicorum opinione, rationem, quæ ex diuina præcognitione procedit, nunc ex catholicis Theologis respondetur: sed præsenti capite, de quo dicendum, & quomodo procedendum sit, prænotatur. CAP. PRIMVM.



IN HOC octauo, & penultimo nostræ disputationis libro, responsuri tantùm sumus ad rationem tertiam Stoicorum, quæ erat, Quia Deus omnia antequam eueniant, præintelligit; qui nec fallere, nec falli potest: cuncta propterea ineuitabili necessitate eueniunt; de Diuina Præscientia, ad catholicorum Theologorum sententiam, cum de eadem prius libro sexto, ad Philosophantium opinionem fusè satis disputatum fuerit; nunc tandem dicturi sumus. Verùm enimuerò non eodem modo, quo, Fatum, prouidentiamque diuinam pridem contemplati fuimus, diuinam etiam Præscientiam considerabimus. Superfluum nanque penitus est. & quia notissima sint illa omnia; & quia tantos (ut dicit Tertullianus) habet diuina præscientia testes; quantos fecit prophetas, an sit, uel quid sit, uel unde sit diuina præscientia inuestigare. Et hoc præsertim inter Christianos, & cordatos Theologos; apud quos, quod iis notius sit; ferè est nihil. nisi in tertio fortasse theoremate difficultatem illam (de qua inferius dicturi sumus) habere locum dicamus; an res, & rerum euentus futuri sint; quia illos præsciat Deus; uel contrà illos magis Deus præsciat; quia iidem futuri sint. In qua difficultate, quemadmodum (ut paulò post dicemus) inter catholicos Theologos aliqua uidetur controuersia; ita in eam sententiam ueniunt omnes: quòd & Deus omnia etiam futura, contingenterque, & temerè euentura certè, & determinatè intelligat; & quòd Diuina Præscientia idem sit, quod diuina scientia; differat autem pro nostro modo intelligendi, ab illa, quadam sola ratione; quòd scientia dicatur quatenus est omnium; præscientia autem quatenus est futurorum tantùm in tempore euentuum. Et præterea quòd quicquid Deus scit; ab æterno sciat; & nihil ex tempore didicerit. Ex quo illud redditur quàm clarissimum; quòd scientia, & præscientia diuina (quoniam res in tempore conditæ sunt, & pro temporum successione, rerum euentus explicamus, ab ipso diuini intellectus obiecto, id est à diuina essentia, ut ortum ducant, necessum sit. Aeternæ nanque sunt, ideo non nisi ab obiecto æterno quod unum est; diuina scilicet essentia, produci queunt. His igitur omnibus præsuppositis, ad rem propius accedemus; respondebimusque tantùm (quod similiter prius physicè fecimus, cum de diuina præcognitione, ad Philosophantium opinionem disserebamus) ad tertiam pro Stoicis, ex diuina præcognitione, procedentem rationem, catholicè; & aliquot inter respondendum, ex diuina Præscientia, graues admodum, & perdifficiles aduersus temeritatem, & « contingentiam, suborientes difficultates; ita (spero) dissoluemus; ut id cunctum (quod ex « parte diuinæ Præscientiæ, uel diuinæ Prouidentiæ, nobis in contingentibus, & temerariis euen- « tibus, facit dificultatem) radicitus fuisse euulsum, facillimè eruditi omnes intelligant. Videamus igitur, quid ad rationem illam, quæ ex diuina Præscientia procedit, omnium quæ pro certo rerum cunctarum euentu; & fatali earum necessitate adduci poterant, difficillimam, catholicus, & cordatus Theologus responderet; atque quomodo stante illa æterna, & infallibili, de rebus, & euentibus quibuscunque, & qualicunque modo futuris, Dei Opt. Max. prouidentia, & præcognitione; multa nihilominus contingenter, multa fortuitò, & temere, euenire, tueri idem possit, consideremus. Hoc enim diligenter, & accuratè explicato, nostræ disputationis optatus finis,

A finis, & multis præterea difficultatibus, quibus peritiores sæpenumero urgentur, torquenturque multisque ambagum anfractibus, quibus imperitiores multi multis modis controuersantur, tandem terminus imponetur quàm fœlicissimus.

Pro responsione ad tertiam Stoicorum rationem nonnulla præmittuntur. Cap. II.



DICIMUS igitur, quòd in his, quæ superius libro sexto ex Iamblicho, & aliquot aliis magni nominis Philosophis, prænotata fuerunt, Theologorum etiam nostrorum catholica ad illam tertiam Stoicorum difficultatem, utcunque, & ueluti à longè responsio prædemonstrata fuerit. Quamobrem ea, quæ ex illis doctis, & sapientibus uiris, prius annotauimus, quantum catholicæ ueritati, & Theologorum ad illam rationem responsioni conueniunt; iterum repetamus. Sunt igitur etiam secundum Theologos nostros, in cognitione quacun-
B que, quatuor illa, uirtus cognoscens, res cognita, ipsa cognitio, & modus cognoscendi. Sunt item illæ tres comparationes ipsius cognoscentis ad rem cognitam; quatenus res cognita uel magis præstans, uel minus præstans, uel æquè præstans, potest esse ipsi cognoscenti. Priorem comparationem significauit nobis B. Augustinus quando libro secundo de Lib. Arb. cap. IIII dixit.
» Non cogimur dicere, omne intelligens melius esse, quàm id quod ab eo intelligitur; quoniam
» homo intelligit sapientiam; & non est melior, quàm ipsa sapientia. Trifariam quoque ad rem co-
» gnitam, cognitio, & ad ipsam cognitionem, modus cognoscendi comparari potest; inquantum magis; uel minus, uel æquè perfecta esse possunt hæc omnia. Et cognitio rei cognitæ, & modus cognoscendi illi cognitioni, quæ ipsi rei cognitæ, ex natura sua, debetur, æquari potest, uel excedere, uel excedi. Illud quoque quarto loco uolunt Theologi; rebus omnibus, præter se, cognitis cognoscentem Deum præstantiorem esse; atque de illis cognitionem, & modum habere cognoscendi longè, sine comparatione excellentiorem; quàm sit uel modus cognoscendi, uel illa cognitio, quæ rebus ipsis, natura sua debeatur. Quinto confitendum etiam illud prorsus Theologi nostri sanxerunt. Deum cognoscere omnia præsentia, præterita, & futura, possibilia, impossibilia, necessaria, & contingentia, fortuita, & temeraria modo scilicet supremæ, perfectissimæ, & diuinæ naturæ suæ magis, quàm rebus ipsis congruo. id est modo quàm excellen-
C tissimo, atque quàm augustissimo. qui quidem præstantissimus modus quamuis sit à nobis inexplicabilis; modis nihilominus pluribus (ut quilibet scire potest) ab expositoribus declarari uidetur. A Ioanne Baccone, & in primo libro Theologicarum sententiarum distinct. XXXV. quæst. prima, & in lib. quarto distinct. prima, quæst. IIII ita exponitur; ut ex perfectione actus intelligendi, quo omnia simul comprehendit, quia seipsum perfectè intelligit, qui est causa omnium, consecutiuè, & non, ut plerique putarunt, terminatiuè, est in ipso diuino intellectu rerum creatarum distincta cognitio. Eo enim, quòd se rerum omnium causam (inquit ipse) perfectionalem, quæ quatuor alias continet, Deus comprehendit; consequutione quadam, Deum cognoscere cætera omnia putauit Bacconus, tanquam obiecta secundaria, & consequio cognita. Præstantia igitur, in rebus aliis à se cognoscendis, diuini intellectus, in eo secundum Bacconum est; quòd cuncta consequio quodam, quatenus uidelicet, se cunctorum esse causam, intelligit. Petrus ex Palude, cuncta Deum cognoscere, per rerum similitudines, & Ideas; quæ in diuina essentia tanquam in mundissimo speculo continerentur, putauit. Alii ut Herueus; quoniam in excellentia, atque eminentia diuinæ notitiæ, omnis cognitionis perfectio contineretur.
D B. Thomas lib. tertio Theologicarum sententiarum distinct. XIIII, quem Durandus sequutus
» est, modum hunc excellentissimum ita explicauit. In essentia inquit diuina, quæ est causa omnium
» effectiua, uirtute quadam excellenti, continentur omnia. Intellectus propterea essentiam il-
» lam, illiusque uirtutem plenè cognoscens, cætera omnia distinctè cognoscit. Alii aliter. Et quamuis in modo tam perfectæ cognitionis declarando, non idem omnes sentire uideantur; in illo tamen cuncti conueniunt; quòd augustiori modo quàm rebus ipsis, sua natura, conueniat; cognitioneque quàm præstantissima, ut pote per essentiam propriam rerum omnium speculum, perfectionumque omnium infinitum pelagus, & principium, & causa, res cunctas Deus gloriosius cognoscat. Hoc est, quod B. Dionysius lib. de Diuinis nominibus cap. VII, unde opinio-
» nem suam desumpsisse uidetur B. Thom. ex interprete dicebat. Itaque diuina mens omnia con-
» tinet, cunctis super eminente scientia; per ipsam omnium causam; omnium in se notionem an-
» ticipans, prius quàm angeli fierent. Et paulò post. Non enim ex iis, quæ sunt, ea percepta,
» diuina mens nouit; sed ex se, & in se secundum causam, omnium notionem, & scientiam, atque
» substantiam & habet, & ante excellenti ratione comprehendit; non tanquam ab exemplari, sin-
» gula ducens; sed iuxta unicam causæ complexionem, omnia sciens, & continens. Nam si secun-
dum

dum unam cauſam Deus eſſentiam omnibus impartit; per eandem quoque cauſam unicam, ſcit E
inſuper omnia; quippe cum ex ipſo ſint, & in ipſo ante ſubſiſtant. Hæc Dionyſius. qui ſeipſum
eſſe omnium cauſam intelligendo alia à ſe cuncta Deum intelligere, aſſeruit; relinquens ſchola-
ſticis difficultatem, an conſequutiuè, an terminatiuè à ſe cætera intelligat. Vltimò, illud etiam
ſine hæſitatione cenſendum catholici iubent, Deum cognoſcere cuncta eo modo; quo ſingula ha
bent eſſe; hoc eſt dictu neceſſaria, quòd ſunt neceſſaria; & ad quem modum ſint neceſſaria; &
reſpectu quorum uel dicantur, uel posſint dici neceſſaria. Similiter contingentia, quòd contin-
gentia ſunt & ad quem modum ſunt contingentia, & reſpectu quorum, uel dicantur, uel dici
poſſunt contingentia & eodem modo posſibilia, quòd poſsibilia, imposſibilia, quòd imposſibi-
lia, fortuita & temeraria, quòd talia ſunt; præterita etiam quòd præterita; præſentia quòd præ-
ſentia; futura quòd futura ſunt. Sed modo, ut dictum, & repetitum ſæpè fuit, ſingula, excel-
lentiori, quàm ipſis, ſua natura, conueniat. Vt imposſibilia, neceſſariò; contingentia, fortui-
ta, & temeraria, certè & exquiſitè; præterita, uel futura, tanquàm præſentia; præſentia, inquam
non in inſtanti fluentis temporis, ſed permanentis æternitatis. Adde quòd diuiſa etiam modo
indiuiſibili intelligit; quanta, ſine dimenſione; multifida, unitè; temporanea, æternè; geuera-
bilia, modo ingenerabili; fluxibilia modo ſtabili; mobilia, ſine motu; localia, ſine loco; na-
ſcentia ſine initio; decedentia, ſine fine; fluctuantia, ſine alteratione. Nam iſto etiam ferè modo F
ob ſuam perfectionem quæ tamen à diuina perfectione, infinito interſtitio, recedit, in primo lib.
ſuper primum Euclidis, noſtrum intellectum res ipſas cognoſcere, tradidit Proclus. quanto igi-
tur magis diuinum, id eſt omnium perfectisſimum intellectum, res iſto modo cognoſcere dice-
mus? Quapropter cap. VII, de Diuinis nominibus B. Dionyſius hæc ad uerbum ſcripta reli-
quit. Εαυτὴν οὖν ἡ θεία σοφία γινώσκουσα, γνώσεται πάντα, ἀΰλως τὰ ὑλικὰ, καὶ ἀμερίςως τὰ μερικὰ, καὶ τὰ "
πολλὰ ἑνιαίως, αὐτῷ τῷ ἑνὶ. τὰ πάντα, καὶ γινώσκουσα, καὶ παράγουσα. ideſt. Seipſam igitur diuina ſapien- "
tia cognoſcens, cuncta cognoſcit; immaterialiter materialia, impartibiliter partibilia, unicè
multa, uno & eodem intuitu, cuncta cognoſcens, & producens. contingentes igitur euen-
tus, temereque ac fortuitò futuros omnes (Hoc autem neque noſtro, neque alicui creato in-
tellectui conuenire poteſt) diuinus intellectus determinatè unico, & ſimplicisſimo intuitu,
de ſe & nũc cognoſcit; & ante (ſi ita dicere liceat) æternis ſæculis præcognouit. Vt quod caſu, quod
fortuitò ſi ad diuinum intellectum (cui cuncta præſentia ſunt, uel ad diuinam uoluntatem, cui re
ſiſtere poteſt nihil) fiat relatio abſolutè & ſimpliciter euenire poſsit, eſt nihil. Quin tamen iis non
obſtantibus, multa reſpectu intellectus diuini; & longè plura, quàm reſpectu noſtri intellectus
naturæ, contingenter eueniant; & inſuper quin nonnulla reſpectu noſtræ uoluntatis impotentiæ G
ac naturalium agentium inefficaciæ temerè & caſu, præterque intentionem, quin etiam aliqua,
præter diuinæ uoluntatis intentionem, tametſi illa noſtris prauis uoluntatibus non reſiſtat; ſed
noſtris potius accommodetur operationibus, eueniant; negare non poſſumus. Quamuis enim
rerum harum; atque iſtorum effectuum contingentiæ, & temeritati certa, infallibiliſque, & do
ctis, & indoctis uſque adeo officere diuina cognitio uidetur; ut quidam eorum, qui ex noſtris e-
rant, Theologi, ex certa iſta, atque infallibili diuina præcognitione, cuncta (ut aliàs in lib. præ
ſertim de Libero humano arbitrio abundè declarauimus) ineuitabili neceſsitate euenire putaue-
runt. Nos tamẽ contrà multa reſpectu noſtri, longè plura reſpectu intellectus diuini cõtingenter
euenire aſſeueramus; quod nulla difficultate, probare etiam poſſumus. Nobis profectò cœlũ mo
ueri, terrã quieſcere, mare tumeſcere, & alia id genus innumera ſunt neceſſaria; quòd neceſſariis
cauſis, ideſt naturalibus, & natura ſua operantibus, quæ nec nobis obediũt; nec à nobis impediri
poſſunt, efficiantur; Deo autem prorſus ſunt hæc contingentia omnia. contingentia enim Deo
ſunt, quæcunque præter ipſum ſunt; quod ad ipſum relata, eſſe poſſunt, & non eſſe. Non
igitur motus cœli tantùm, aut maris tumor; ſed noſtrum etiam eſſe, noſtraque eſſentia, ac na-
tura; quæ nobis, & philoſophantibus omnibus tanquam æterna & neceſſaria uideri poterat; ad
Deum relata, contingens eſt; quòd contingenter nos, humanamque uniuerſam naturam eſſe, H
& talem, qualis eſt, contingenter eſſe exiſtere uoluerit. Quanto igitur magis actiones noſtras,
contra eos, qui omnium fatalem neceſsitatem aſſerunt, curas, & ſtudia noſtra omnia, quæ nos
ipſi contingenter euenire, ſi uolumus, experimur; ſiue ad humanam uoluntatem, ſiue ad diui-
nam intelligentiam illa referas; etiam ſi ſint æternis ante ſæculis à Deo præcognita; contingentia
eſſe, & contingenter cuncta euenire, exiſtimandum erit? Sed de iis, quæ pro difficultate tollen
da, erant prænotanda, hucuſque.

Ad argumentum ex diuina præcognitione procedens, nunc catholicè reſpondetur, & plures modi contingentem euentum conſiderandi, ponuntur, & obiter nonnullæ difficultates tolluntur. CAP. III.

Sed

A 

ED nos hoc loco acerrimus diſputator urget. Nouit Deus me cras ægrotaturum quocunq; modo, ſiue ex neceſsitate, ſiue contingenter, illud cognoſcat, eſſe euenturum; non fallitur Deus, non poſſum ergo cras ego non ægrotare; alioqui falleretur Deus: cras ergo omnino & ineuitabili neceſsitate ego ægrotabo. Stat igitur argumentum, quod ex præſcientia procedebat, ſi Deus omnia præcognoſcat, omnia impermutabili neceſsitate euenire. Admiſimus ſuperius, dum Iamblichi reſponſionem exponeremus aſſumptum, negauimus autem argumentum & conſequentiam, & modum ex ipſo Iamblicho demonſtrauimus, quo diuina non obſtante de rebus cunctis præcognitione, multa contingenter, & temerè euenire ualeant, ſed paulò poſt, ideſt cap. IX. ſexto libro, ex Ammonio; & libro de Humano arbitrio, dum de prædeſtinatione loqueremur, ex Theologo argumentum etiam, & conſequentiam admiſimus, diximusq; neceſsitatem hanc, eſſe neceſsitatem ſuppoſitionis, & conſequentiæ. Eſt enim neceſsitas iſta in connexione tantùm, non autem in connexis. Quamobrem non eſt hoc uerum tantùm in ſcientia diuina, ſed in humana etiam. Profectò ſi quis de futuro quopiam euentu, certus eſt, conſequens neceſſario eſt, ut illud futurum eueniat, neceſsitate uidelicet connexionis & conſequentiæ. Si nanque non euenerit, non erat ille certus, neq; de futuro ille euentu ſcientiam, ſed opinionem tantùm habebat.

B Illud autem quod ex connexione ſola, & ex ſuppoſitione tantùm, neceſſarium eſt (quantum in ſe eſt) abſolutè omnino, & ſimpliciter contingens eſt. Hanc ipſam reſponſionem nō in prædeſtinatione duntaxat, ſed in rebus, & euentibus omnibus, confirmat nunc Chriſtianus & cordatus Theologus. Suppoſita nanque diuina præcognitione de craſtina mea ægritudine, non neceſsitate aliqua, niſi ſuppoſitionis, ſed omni potius abſolutè loquendo, contingentiæ genere, ideſt contingenter & fortuitò, & temerè cras poterit accidere; quòd ipſe ægrotem. Ideo B. Auguſtinus cap. XV. libri de Prædeſt. & gratia, inquit Dei præſcientiam non cogere hominem, ut talis ſit, qualem præſciuit Deus; ſed præſcire talem futurum qualis futurus eſt, quamuis eum non ſic fecerit Deus. Nam (ut lib. tertio cap. IIII. de Lib. arb. idē Auguſtinus deducebat) ſi præſcientia neceſsitatem imponeret, profectò neque ipſemet Deus relinqueretur liber. Et Alexander Aphrodiſieus cap. XVI. libri de Fato, Si præcognitio, inquit, neceſsitatem inſerre poteſt, cōſequens eſt, ut impoſsibilia neceſſaria dicantur, quòd Deus illa ignorare, non ſit ueriſimile.

C Addimus nunc præterea ex Boethio lib. quinto de Conſolatione, à quo multi eam ex noſtris doctiſsimis Theologis ſunt mutuati, reſponſionem, quæ fuit prius Alexandri Aphrodiſienſis, lib. de Fato cap. XVI, quòd res contingenter eueniens, bifariam conſiderari poteſt, nō dico (ut prius D. Thomas dicebat) ut in ſe, & ut in cauſis ſuis, ſed tum quatenus intra ſuas cauſas latere, tum quatenus extra cauſas ſuas, iam in rerum natura exiſtere, & patere intelligi illa poteſt. Primo modo à nullo intellectu (quod attentiſsimè notandum eſt, quòd à B. Thoma in Quæſt. de Verit. quæſt. II. art. XII. notatum fuit) à nullo inquam intellectu creato, uel increato & diuino, euentus contingens certè, & determinatè cognoſci poteſt. quòd huiuſmodi certa, & determinata cognitio cum rei cognitæ, ideſt cùm euentus contingentis natura; ſine dubitatione, pugnet. ſuper his autem, quæ pugnantiam includunt (cum impoſsibilia ſint) nulla potentia ualeat. Sed de re huiuſmodi, atque de ipſo contingente euentu, iſto modo conſiderato, certi, & indubitati nihil plus diuinus intellectus habet, aut cognoſcit, quàm faciat humanus; hoc eſt, cognoſcit uterq; duntaxat, quòd res eſſe poteſt, & non eſſe; quod iis uel aliis temporibus, hoc uel alio modo, euenire poſsit, & non euenire, nil ultrà niſi fortaſſe dicere uelimus, ut quemadmodum uir quò prudentior fuerit: eò propius futuri euentus, ut belli exitus ueritatem coniectat; ita Deus qui ſapientiſ-

D ſimus eſt, euentum futurum, qua futurum eſt, exactius proſpiciat, quàm faciat intellectus humanus, ſed ſit ut libet, ſatis eſt, quòd de futuro euentu, ea ratione qua futurum eſt, nō eſt diuinus intellectus certus. Quapropter non malè forſan dicebat Carneades, ne Appollinem quidē futura poſſe dicere, niſi ea quorum cauſas natura ita contineret; ut ea fieri, neceſſe eſſet. Nam ſi de euentu contingenti (quod de contingenti dicitur longè uerius de fortuito, & temerario dictum exiſtimetur) ut latet in ſuis cauſis; poſſet Deus certam, & definitā habere notitiam, aliter quàm res ipſæ ſe haberent, & aliter quàm à natura, & ab ipſomet Deo. Opt. conſtitutæ fuiſſent, cognoſci ab intellectu diuino res poſſent, aliter inquàm, hoc eſt modo eſſentiæ, & euentus rei, quæ cognoſcitur, oppoſito; quod confiteri omnino cum Iamblicho, Syriano, Alexandro, ſed in primis cum noſtris catholicis Theologis omnibus, abſurdiſsimū exiſtimamus. Cum enim ancipitem ad eſſe, & ad non eſſe, incertamq;, & indeterminatam iſto modo futurus contingenter euentus naturam habeat, quomodo ab aliquo intellectu, quicunq; ſit ille, certè & definitè cognoſci poterit? Sed fingas cognoſci à diuino intellectu, ſequitur illico abſurdum, quod prius intulimus abſurdiſsimum, quoniam ſecus, & modo diuerſo, & contrario, quàm res ſe habeant; intelligerentur à Deo: ad quod maximum illud incommodum conſequens erit, uidelicet, quòd res Deus, aut non intelligeret, aut tantùm præpoſterè et quòd in maximo ſemper errore detineretur. Sed hæc à nobis

blaſphemia

blaſphemia longè ſit, ut debet. E

SI obiiciatur nobis, immo Boethio, Alexandro, B. Thomæ, & aliis doctiſsimis uiris; qui modum iſtum dicendi complectuntur, quoniam de euentu futuro, Deus uel aliquid ſtatuit, & determinat, uel nihil. Si nihil, multis à nobis prius aſſertis aduerſabimur. Si uerò quidpiam; quæritur, uel ſeſe, ideſt ſine ſecunda cauſa, ut uerbi gratia, ſine Socrate, decernit de Socrate; quòd ſit de animæ immortalitate cras diſputaturus; uel cum ſecunda cauſa, & cum ipſo Socrate. Si quidem ſeſe, & ſine cauſa ſecunda determinat; duo ſtatim abſurda ſequi uidentur. Vnum, quòd Socrates ineuitabili neceſsitate, ſit de animæ immortalitate, diſputaturus (non enim poteſt aduerſus diuinam determinationem) Alterum, quòd antequàm, è cauſis ſuſis euentus exeat; immo dum intra eas adhuc latitat; certus erit Deus de futuro contingenter euentu. quod cum his, quæ prius à nobis declarata fuerunt, apertiſsimè pugnat. Si uerò non per ſe, ſed cum ſecunda cauſa, & cum ipſo Socrate, de euentu futuro, ut de craſtina diſputatione, decernit. Duo ſimiliter abſurda confeſtim ſequi uidentur. Vnum, quòd ſecundæ cauſæ erit quædam actio; quæ à prima cauſa minimè dependebit; ea uidelicet, qua ſe ad effectum ipſa ſecunda cauſa determinat. Nam ſi ad effectum ſeipſam non determinaret; determinaretur à Deo. Deus igitur ſeſe ſecundam cauſam determinaret, ſeſeque contra poſitum de futuro euentu decerneret. Alterum, quòd à poſteriore cauſa, ut puta à Socrate, de nouo quidpiam Deus reciperet; id ſcilicet, quod in cauſa eſt; ſine quo, decernere Deus non ualet. F

AD hanc dubitationem dicimus in præſenti; quòd futuri euentus determinatio, & à Deo, & à ſecunda cauſa dependet. ſed res ad quem modum ſe habeat, inferius cap. XVII, præſentis libri, exactius declarabitur.

POTERIT nobis rurſus quiſpiam obiicere; ſi de contingenti futuro euentu, diuinus intellectus certus non eſt (eſt autem ſine dubitatione, certus de præterito) non recte libro decimo de Ciuit. Dei cap. XII dixiſſet, de Deo B. Auguſt. quòd temporalia mouens temporaliter, ipſe non mouetur; nec aliter mouet facienda, quàm facta; nec aliter inuocantes exaudit; quàm inuocaturos uidet. ex his nanque, quæ ex tot præclariſsimorum uirorum monumentis, de diuina paulò ante diximus præcognitione, apertè ſequi uidetur; quòd facienda longè ſecus cognoſcat Deus quam facta; quum de faciendis, ut facienda ſunt, nequaquam ſit certus, de factis autem certiſſimus ſit.

OBIECTIONEM iſtam facillimè diluimus; ſi uerba B. Auguſtini rectè intelligamus. Eadem nanque potentia, eodemque ſimpliciſsimo intuitu, & facta, & facienda Deus intelligit, & contuetur; diuerſa tamen quadam intelligendi ratione; quam quidem rationis diuerſitatem, per affirmationem certitudinis (ut poſſumus) & negationem, exprimimus. dicimuſque facta, ut facta ſunt, à Deo certiſsimè depræhendi; facienda uerò, ea ratione, qua facienda ſunt, ab eodem ignorari; cuncta tamen dignoſci ab eo; quem lateat nihil; & ante cuius conſpectum nuda & aperta ſunt omnia; uti ea, quæ nobis facienda ſunt; dudum æterniſque iam ſæculis, & facta ſunt, & fiunt. Sed redeamus, unde diſceſſerat oratio; & alterum modum, quo contingentem euentum conſiderari dicimus, perſpiciamus. G

ALTERO igitur modo, contingens, uel etiam temerarius euentus conſideratur; ut extra iam cauſas ſuas exiſtit; & hunc quidem humanus intellectus certè cognoſcere poteſt; ſed non niſi cũ ſuccedentibus iam, & explicantibus ſe temporibus, in rerum natura, abs ſuis cauſis, erutus exiſtit, ut futurus minimè dicatur; ſed præſens, uel præteritus. At intellectus diuinus, & hic ſolus, ex propria natura, & ex immenſa propriæ naturæ perfectione, ante quàm huiuſmodi contingentes, uel etiam temerarii euentus producantur, & eueniant; ſed dum intra cauſas ſuas adhuc latitant; & ante temporum ſuorum explicationem immo ab æterno, ut tamen non intra cauſas ſuas latentes ſunt; ſed tanquam extra cauſas ſuas, & iam ueluti explicati exiſtentes, ab eodem conſiderantur; certè illos, & determinatè cognoſcere poteſt. nec tantummodo poteſt; ſed actu iam, & de facto certè, & exquiſitè cognoſcit. Quamobrem & rectè de Iuda, in Hpognoſticis, dixit B. Auguſt.; quòd erat damnatus antequàm natus; & rectè hoc ipſum dictum Auguſtini, in ultimis uerbis libri ſecundi de Prædeſtinatione Dei, Ambroſius Catherinus repræhendit rectè ſanè, & catholicè, & iſtud dictum eſt, & hoc factum, alio & alio modo contingentem euentum conſiderando. Nam ſi priore modo hoc eſt, ut intra cauſas ſuas latitat; contingens euentus & Iudæ damnatio ſumatur; à Catharino rectè Auguſtinus repræhenditur. Si uerò modo poſteriore, hoc eſt ut iã è cauſis ſuis egreſſus eſt euentus, uel in tempore, uel in æternitate, rectè Auguſt. loquitur; & ab Ambroſio inepte ſatis repræhenditur. Quod autem hoc poſteriore modo intelligendus ſit Auguſt., inde patere poteſt; quòd per illa uerba, præter claram rerum cunctarum, & exactam apud Deum cognitionem, & intelligentiam, ſignificari nobis ille uoluit nihil. Omnia nanque quæcunque ſunt, fuerunt, & erunt, diuino intellectui (qui æternitate, quæ omnium temporum curricula ſimul, atque unitè complectitur, ſuo modo metitur) diuinoque conſpe- H

ctui

A ctui nuda sunt, ut Apostolus inquit ad Hebræos cap. III, & aperta. Et Prouerb. XV infernus &
perditio coràm eo Ioan. XXI, Tu domine nosti omnia. Et sap. IX, scit omnia, & intelligit ea. & Ec
cl. XXXIX. Non est quicquam absconditum ab oculis eius à sæculo, & usque in sæculum respicit.
eodem nanque simplicissimo intuitu, ex immensa sua perfectione, cuncta, in essentia propria,
tanquam in mundissimo speculo, tam futura, quàm præterita, uerùm non ut futura, uel ut præ
terita, sed (quod fusius libro quarto de Consolatione, prosa VI, declarauit Boethius) ut præsentia
contuetur. Quamobrem Eccl. XXIII, legitur; quòd oculi domini multo plus lucidiores sunt so-
le; & circumspiciunt omnes uias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentur,
in absconditas partes; qui omnia, antequàm creantur, cognoscit; & postquàm abolita sunt, con
tuetur. Et in libro primo Paralip. cap. XXVIII, Omnia corda scrutatur Dominus; & omnem co
gitationem mentium nouit. Et Io. II, Ipse nouerat omnes, & sciebat quid esset in homine. Nec
propterea rebus hæc apud Deum certa, & præsentanea, cunctarum rerum cognitio necessita-
tem aliquam imponit; Omnia enim, eo modo, quo uel fuerunt, uel erunt, uel sunt, uel esse pos
sunt; diuinus intellectus cognoscit; necessaria quidem, quòd necessaria sunt; & quod modo ne
cessariò ad esse deducuntur: contingentia uerò quod contingentia sunt; & modo contingenti eue
niunt. Quinimmo temeraria, & casualia, quòd talia sunt: & quòd modo temerario, & casuali eue
B niunt, intuetur, & nouit. Qui tamen modus, quia diuinæ intelligentiæ, diuinæque necessitati
aliquo modo, ut congruat, necessum est; necessitatem propterea quandam illa omnia, & con-
tingentia, & temeraria habere connexam (ut in intellectu diuino sunt) confitemur. Quæ quidem
necessitas non est ratione rei, quæ contingenter, uel etiam temerè euenire dicitur, sed ratione
illius summæ, ac infinitæ perfectionis; quæ intellectum diuinum, quem nihil latere potest, ne-
cessariò comitatur. Rem, ut euadat facilior, exemplo declarabimus. iubemus igitur quempiam
in forum uenire; atque intueri quosdam stantes; alios sedentes; nonnullos currentes; aliquos
decertantes; obsonia quosdam uendentes; alios eadem ementes. Non'ne hic de huiusmodi rebus
omnibus claram, & infallibilem, ut pote (sicut dicunt Theologi) intuitam, habebit notitiam?
Num tamen, quia de huiusmodi præclaram cognitionem iste habeat; putabimus hæc omnia,
quæ hic intuetur, de necessitate & esse, & fieri? & non potius contingenter, uel etiam fortuitò,
& temerè? profectò nullam aliam, quàm suppositionis, in iis omnibus necessitatem uideo: pro-
pterea quòd omne quod est, quando est, necesse est esse. Ita res cunctæ in Orbe uniuerso, tan-
quam in foro, & Dei Opt. Max. Theatro quodam, præ oculis suæ maiestatis sunt positæ. Deus
eas omnes contuetur: singulæ sua munera obeunt; aliquæ ex naturæ suæ necessitate, aliæ ex arbi
C trio operantur; aliquæ in suis operationibus tum una, tum altera ratione, plus uel minus à scopo
aberrant, uel etiam impediuntur. Vnde aliqua, quæ minus ab ipsis agentibus intendebantur, in
medium obrepunt, nonnulla propterea temerè, & fortuito eueniunt. omnibus nihilominus
species quædam necessitatis inest: quatenus sunt omnia, si non in tempore, certè in æternitate;
& singula suis temporibus uel euenerunt, uel sunt euentura; in quibus considerata ut sunt, ne-
cessaria sunt. quoniam omne quod est, dum est, necesse est esse. Hunc rerum omnium diuinum in
tuitum B. Ambros. lib. secundo de Vocatione gentium per bellè declarauit. ubi postquam de Dei
» præscientia, multa disseruit, tandem subintulit. Contra hanc inuictæ ueritatis splendidissimam lu
» cem, solent quidam non sobriè dicere: superfluò ad acquirenda bonorum operum merita labora
» ri. Frustrà etiam orationibus, quibus Deus exorandus speratur, insisti; si ex incommutabili pro
» posito, eius Christianæ gratiæ subsistit electio; nec aliter quidpiam procedere potest; quàm om-
» nipotentis uoluntate dispositum est. Sed qui se ingeniosè hoc arbitrantur opponere; non intelli-
» gunt scientiam Dei, quæ & præterita, & præsentia, & futura complectitur; tempore non teneri;
» & tam in conspectu eius astare ea, quæ gerenda sunt; quàm illa, quæ aut geruntur, aut gesta sunt.
» Quod cùm uerissimum sit: non indiget mora cernendi, & discernendi illa uirtus: quæ perpetuo
D ueroque contuitu, creata & creanda simul aspicit: & quidquid in uniuersitate rerum per sæcula
» præfinita euoluitur: ac multimodis uarietatibus explicatur; id totum in eo iam ordine compræ-
» hendit: quem ex ipsius summo illo perfectoque iudicio, mundi huius finis accipiet. Hactenus
» Ambrosius. Quibus uerbis res cunctas à Deo pendere, uniuersa ordinem retinere, humanam liber
tatem seruari, & ante oculos diuinæ maiestatis cuncta uersari B. Ambrosius demonstrauit.

Aduersus exemplum, quod superiori cap. adductum fuit, dubitatur. quo-
niam adhuc omnia ineuitabili necessitate euenire uidentur. & ad du-
bitationem responsio una exhibetur. CAP. IIII.



VERVMENIMVERÒ in exemplo proposito obiicitur statim nobis dissimilitudo, nimirum nostram cognitionem, ab huiusmodi rebus, quas, ut in exemplo persistamus, intuemur, produci: contrà uerò res istas notitiam illam diuinam producere. Turpe est enim, & iunumera secum trahere uidetur incommoda; Deum, asserere, à rebus aliquid addiscere. Quamobrem B. Augustinus lib. XV de Trinit. cap. XIII. Vniuersas (inquit) creaturas, & spirituales, & corporales, non quia sunt; ideo nouit, sed ideo sunt; quia nouit. Non enim nesciuit, quæ fuerat creaturus; quia ergo sciuit, creauit: non, quia creauit, sciuit. Et paulò ante ex B. Dionysio dicebamus, Non ex his quæ sunt, ea percepta diuinam mentem cognoscere, sed ex se, & in se, secundum causam, omnium notionem, & scientiam, atque substantiam, & habere, & ante excellenti ratione compræhendere; non tanquam ab exemplari singula ducentem, sed iuxta unicam causæ complexionem, omnia scientem, & continentem. A`rebus igitur Deum suam desumere cognitionem, nequaquam censendum esse uidetur. Sed contrà potius notitiam illam diuinam rerum omnium esse causam asserendum multis uidetur, non Theologis catholicis solùm, sed etiam Ethnicis, & Philosophis; quod in mille locis, cum Algazele, in destruct. replicauit Auerr.; ita ut disputatione XII dub. II, & III, scientiam Dei, scientiam agentem appellauerit. Et lib. duodecimo diuinæ Philosophiæ commento LI ponens Auerr. differentiam inter diuinam scientiam, & nostram, inquit: quod diuina scientia est causa rerum; nostra autem est causata à rebus. Si ergo diuina Sapientia res, antequàm sint, prænouit: & eadem est rerum causa; non autem (ut nostra cognitio, effectus est rerum; & quia nouit, creauit; non autem quia creauit, nouit; diuina autem cognitio omnino necessaria est; quatenus nec fallere, nec falli potest. Deus etiam est causa omnium efficacissima, qui quidem alias omnes impedire; ab aliis autem omnibus etiam simul sumptis impediri non potest; quod nobis lib. Iliad. octauo per funem illum aureum, per quem, à cunctis simul Diis, non posse Iouem ad terras protrahi; contrà uerò à solo Ioue posse omnes à cœlis in terram trahi, significauit Homerus. Si igitur (inquàm) Deus est rerum omnium causa; & efficacissima causa; & non quia res sunt, ille nouit; sed contrà quia nouit, illæ sunt. Quomodo non statim uidebitur sequi, omnia, ut diuinus intellectus nouit; & ut diuina uoluntas decreuit, & causarum series deposcit, & à Deo disposita, necessariò euenire? iuxta illud quod legitur Gen. XXIIII. A`domino egressus est sermo; non possumus extra placitum eius, quicquam loqui. Hac autem ratione, non'ne exemplum de eo, qui homines multos diuersa in foro agentes contuetur; parum ad rem nostram facere uidebitur? Ponas uirum illum; qui res istas quæ in foro geruntur, intuetur; non intueri solùm; sed etiam esse causam eorum omnium; quæ conspicit; causam inquam huiusmodi, cui nihil resistere; & quàm impedire possit nihil; non'ne statim (quantùm ad res illas attinet, quas intuetur) ineuitabili necessitate fieri singula (quæ uidet fieri) & euenire omnia, ut eueniunt, consequetur?

AD obiectionem hanc uel omnium difficillimam (Hæc est enim illa difficultas, quam in principio huius libri, in tertio de Diuina præscientia theoremate, contingere posse dicebamus) Res'ne ita sint, quia eas Deus ita nouerit; an contrà Deus ita nouerit, quia res ita sint. de qua & inter scholasticos, & inter grauiores Theologos aliqua in uerbis saltem uideri potest controuersia; & ex cuius dissolutione, & toti huic nostræ disputationi terminus; & tot, ac tantis, quæ passim non in scholis tantùm, sed in tonstrinis etiam audiuntur sæpe, litibus, ac clamoribus finis imponi facilè poterit: ad hanc (inquam) dubitationem duas daturi sumus responsiones. unam quidem nunc afferemus; alteram uerò in sequentibus. Dicimus igitur in præsentiarum ad dubitationem. quoniam (ut prius sæpiusculè dictum fuit) & si Deus omnium causa est; est tamen rerum extra se omnium prorsus contingens causa. non contingens, inquam, quia (ut solent sæpissimè loqui Philosophi) indeterminata causa sit, aut ita ut effectus omnes, qui à Deo contingenter uel producti, uel producendi dicuntur; ab aliis etiam produci causis possint, uel potuerint. Terram enim, Lunam, Solem, Cœlum, Animam, Angelos, mundum denique, & ea, quæ in mundo sunt, omnia; quæ à Deo nulla necessitate, sed liberè, & contingenter producta fuerunt; quemadmodum solus Deus creauit; ita solus Deus creare poterat. sed eatenus rerum dicitur Deus contingens causa; quatenus hoc ipsum quod Deus produxit, & creauit; poterat idem non producere; & ita id, quod euenit, poterat non euenire. Ab æterno tamen diuina uoluntas contingenter hoc uel illud, & producere, statuit; & euenire, uoluit. Est enim diuina uoluntas, ut in principio huius disputationis fuit à nobis superius dictum, omnis contingentiæ origo, fons, causa, & principium. quæ & si contingenter de omnibus statuit, aliqua tamen à causis secundis de necessitate, quorum nonnulla necessitate ineuitabili, nonnulla autem euitabili, aliqua uerò prorsus contingenter fieri decernit: pro ratione, & natura, & modo operandi ipsarum secundarum causarum: unde ea, quæ à secundis causis contingenter eueniunt, si ad Deum referantur, ex necessitate contingenter eueniunt: quæ uerò à secundis causis necessariò fiunt;

non

A non ex necessitate, si ad Deum referantur, & si diuina præscientia, & prouidentia falli non possit, sed contingenter necessariò fiunt. Nam cùm causas illas omnes Deus contingenter produxerit; & esse illas decreuerit, ac operari, & eisdem ad operandum suppetias tulerit, quid prohibet dicere, immo cur non tenemur fateri, quòd illi secundarum causarum effectus necessarii; ut ad Deum referuntur contingenter tantùm necessarii sint; & effectus contingentes? ad Deum enim relati, & necessariò, & contingenter contingentes sint. necessariò nanque contingentes sunt. Quoniam extra, si operatur Deus, de necessitate contingenter operatur. Hæc est una responsio, quam ad hanc difficultatem nostri Theologi communiter exhibere solent: à nobis etiam quasi per Paraphrasim, explicata.

ALTERA, ad hanc eandem dubitationem, subtilior responsio est; & quæ facilè sciolorum ora perstringat, & claudat; Sed hanc non nisi dissolutis prius nonnullis suborientibus difficultatibus, commodè afferre possumus. inferius propterea principio cap. IX præsentis sectionis illam allaturi sumus.

In his, quæ dicta fuerunt, dubitationes duæ tanguntur; & earum prior tollitur; Deumque tam & si contingenter, non tamen indeterminatè agere ostenditur. CAP. V.

B



DICTUM est, Deum contingentem rerum omnium causam esse; & ad extra, quidquid agit, contingenter agere. Huic illud uidetur posse obiici; quòd contingenter agere, sit indeterminatè agere; sed ad agendum, indeterminatio in agente imperfectio est. est autem à Deo abigenda omnis imperfectio. Igitur non agit Deus contingenter.

ADDE si contingenter agat; sicuti nunc istud agit; ita illud agere poterat. igitur sicut ad hoc agendum, se determinat; ita ad illud agendum, se poterat determinare. mutabilitas igitur in Deo. Sed absit nobis tanta blasphemia. cum in Deo, ne obumbratio quidem sit uicissitudinis.

EST altera dubitatio in eo, quòd contingentiæ principium, & originem diuinam uoluntatem esse diximus; & præterea Deum non huius mundani theatri spectatorem tantùm; sed causam etiam & effectorem eorum omnium; quæ in eodem contuetur. erit igitur causa illorum e-
C tiam omnium; quæ ab humana uoluntate procedunt. Ita ut quòd nostra uoluntas in hoc, uel alio tempore, hoc, uel illud uelit, uel nolit, uniuersa causa erit diuina uoluntas. cui, ad Rom. IX. resisti non potest. Quicquid igitur siue necessariò, siue contingenter diuina de nobis uoluntas statuerit; non uelle humana non poterit. Vnde sequitur, ut quicquid nos, uel uelimus, uel efficimus, ex diuinæ uoluntatis decreto, & necessitate quadam, hoc est non simpliciter, & absolutè, sed nobis ineuitabili, uelimus, & efficiamus. quoniam illud, quod diuina uoluntas decreuit, nos non uelle, aut non efficere, non possumus.

AD priorem dubitationem dicimus, Deum ad extra, quicquid agit, contingenter agere; non tamen mutabiliter, aut indeterminatè. cum arguitur, quoniam contingenter agere, idem est, quod indeterminatè agere; falsum est, immò maxima est, in illa distantia. Sed hoc probare conatur aduersarius. quoniam sicut nunc rem istam Deus agit, ita hanc omittere, & agere aliam poterat, alioquin non contingenter ageret. Hic duæ sunt accommodatæ responsiones. Vna, quòd hanc rem, quam agit, poterat Deus omittere, & aliam agere, potentia absoluta, non ordinaria. Bifariam nanque diuinam potentiam Theologi considerant. Vno modo quo ad ea, quæ facit; alio, quo ad ea, quæ non facit, sed, si uellet, facere posset. priorem ordinariam; posterio-
D rem absolutam potentiam iidem appellant. Certè per priorem potentiam & ordinariam facere non potest; nisi quæ ab æterno facere statuit; per posteriorem uerò, & absolutam, ea omnia potest facere; quæ uerbi rationem suscipere possunt; hoc est ea, in quibus seruari potest ratio entis. ut sunt illa; quæ pugnantiam aliquam non includunt; siue illa facere Deus statuerit, siue non. Argumentum procedere uidetur de potentia Dei ordinaria, non de absoluta; per quam potest multa agere; quæ non agit, aut aget aliquando. Matth. XXVI. An'non possum rogare patrem meum; & exhibebit mihi modò, plusquam duodecim legiones angelorum? De potentia igitur absoluta loquendo, aliud potest agere, quàm agat; non tamen inde sequitur, ut posit, indeterminatè agere, quia illud agere ab æterno determinasset. Si obiicias, quoniam Deus tunc ageret, ut determinasset agere; igitur non per absolutam potentiam ageret, sed per ordinariam. per ordinariam autem secus non potest agere, quàm agit, reuertitur igitur argumentum; ut non contingenter agat. Ideo est alia responsio. quòd tametsi posse, uelle, & intelligere unum in Deo, & idem sint; quadam tamen ratione, inuicem distinguuntur, & quodam signo originis, siue naturæ. u-

num alterum præcedit. In p. p. quæst. xxv, art. v, inquit B. Doctor, quòd intelligitur potentia ut exequens, uoluntas, ut imperans, intellectus, ut dirigens: Ita ut in primo signo sit intellectus; qui uoluntatem dirigat; in secundo uoluntas, quæ potentiæ executiuæ præsit, & imperet; in tertio, de potentia, quæ iussa capescat, & exequatur. Et quanuis potentia non possit in oppositum uoluntatis diuinæ imperantis; potest tamen uoluntas in eo signo, quo potentiam præcedere diximus, ut hoc uult, ita uelle illud; ut uerbi causa, sicut uult Antichristum fore: ita potest uelle Antichristum non fore. Ex quo quamclarissimè sequitur, posse diuinam potentiam aliud facere, quàm faciat: nunquam tamen indeterminatè; quoniam potentiam præcedit uoluntas, & intellectus, à quib. potentia ipsa determinatur. Si quæratur, an possit uoluntas secus imperare, quàm imperet, dicerem (meliori semper iudicio sine contentione cessurus) quòd sicut potentia in exequendo uoluntatem imperantem sequitur; nec quicquam potest aduersus illam: ita uoluntas intellectum dirigentem sequitur: nec potest aduersus illum. potest autem uno, uel altero modo uoluntatem cum ratione intellectus dirigere; & uoluntas similiter unum uel alterũ uelle, & imperare potest; & potentia exequi. sed de ista difficultate hactenus. E

Ad posteriorem dubitationem respondetur; & tametsi pro diuina uoluntate cuncta fiunt; non tamen ineuitabili necessitate fieri, ostenditur. CAP. VI. F



AD posteriorem arduam omnino, atque iterum arduam dubitationem, propter quam libr. tertio de Libero arbitrio, contra Euodium, D. Augustinus certamen inierat, qui differendo quidem, non autem ex sententia definiendo, contendebat, non posse Deum esse præscium futurorum, & hominem nulla necessitate, sed uoluntate liberè, & contingenter peccare: respondebimus, duobus suppositis, unum de humana uoluntate, siue de ipso homine, duo ab æterno Deum statuisse. primum in rerum natura hominem existere, & eo tempore, quo æternis ante sæculis, apud se existere statuisset. Secundum pro ratione naturæ suæ, eundem & uelle, & agere Deus statuit, idest statuit, ut consultando deliberaret, & deliberando, atque eligendo operaretur. Voluit nempe Deus summus rerum omnium parens, humanam uoluntatem, & ipsum deniq; hominem esse, existereq; prius, quàm uoluerit illum uelle quidpiam, & operari. prius inquam fortè etiam tempore; sed si non tempore, certè saltem natura, uel origine. Quædam enim sic se habere dicuntur; ut tametsi quo ad existentiam, nullum sit inter illa temporis interstitium. quo tamen ad eorundem naturam, & originem, unum omnino alterum præcedat. G Quamuis nanque & sol, & solis splendor, simul quantum ad tempus, à Deo glorioso producti fuerint, naturam tamen lucis solis natura, & substantia origine, sine dubitatione præcessit. Hanc præcedentiam appellant philosophi præcedentiam naturæ, theologi uerò non rarò præcedentiam originis. Hominem igitur prius esse Deus uoluit, quàm illum uoluerit aliquid uelle, & aliquid operari. Quòd ut in lib. quarto theologicarum sententiarum distinctione xii. quæst. iii. & distin. xliiii. quæst. prima, uberius Ioan. Scotus demonstrauit, ita rerum omnium exigat ordo, ut prius res ipsæ sint, postea operentur, operentur inquam non omnes idem, aut eodem modo, sed singulæ pro ratione illius esse, & illius naturæ, quam prius à Deo optimo Maximo consequutæ fuerunt. Quamobrem elementa uno modo, plantæ altero, & animalia diuerso ab utrisq; modo operantur. elementa rursus si inuicem comparentur, uariis modis plantæ similiter, & animalia pro ratione uidelicet illius naturæ, quam à Deo singula sortita sunt, operari conspiciuntur. Homo igitur per arbitrium, & uoluntatem suam, ita à Deo constitutus est, illumq; talis omnino naturæ esse Deus statuit, modumq; illiusmodi in operando illi indidit, ut liber, & suarum actionum Dominus esset. Et pro arbitrio hoc, uel illud uellet, uel nollet, uel saltem non uelle posset, & operaretur, uel non operaretur. Quæ quidem libertas, ut admonet Beatus doctor uerit. quæst. xxii. art. vi. in tribus conspicitur, in actu, quatenus potest uelle, & non uelle; in obiecto, quatenus potest uelle hoc, uel illud, uel suum oppositum; & in iis, quæ ad obiectum tanquam ad finem sunt, quatenus potest uelle uti hoc, uel illo medio, bono uel malo, ad illud assequendum, quod concupiscit. H Non ergo actionum ab humana uoluntate procedentium, ita diuina uoluntas est causa, quasi illam impellat, & cogat. Non enim quemadmodum ego hunc calamum, per quem hanc de diuina præscientia disputationem conscribo, licet de contingenti moueam, eundem tamen ad motum ita compello, ut huius motus, & scriptionis nulla iam in ipso calamo, omnis autem in me causa constituenda sit. ita asserendum est, humanam uoluntatem meam contingenter à Deo moueri; ut etsi hanc uoluntatem meam, ad hanc disputationem scribendam Deus contingenter ab æterno statuerit, uel etiam eandem in præsentiarum commouerit, quod tamen ad me attinet, compellar ego ita in hanc scripturam, ut hanc ipsam disputationem non scribere non possim,

A ſim,& nulla mihi,omnis autem ſit Deo huius diſputationis,huiusque ſcriptionis aſcribenda cauſa:abſit huiuſcemodi,abſit inquam iterum à fidelium mentibus huiuſcemodi deteſtanda exiſtimatio,peruerſaq́;, de operationibus humanis atque de ipſa humana uoluntate opinio. Res enim
» (lib.ſeptimo de Ciuit. Dei cap.xxx.inquit B. Auguſt.) quas Deus condidit,ita ſua pietas admini-
» ſtrat,ut eaſdem actiones proprias agere ſinat. Et ante Auguſtinum. B. Dionyſius cap. VIII. de
» Diuinis nominibus inquit. Δέον εἰδέναι τὴν θείαν δικαιοσύνην ἐν τούτῳ ὄντως οὖσαν ἀληθῆ, δικαιοσύνην, ὅτι
» πᾶσιν ἀπονέμει, τὰ οἰκεῖα κατὰ τὴν ἑκάστου τῶν ὄντων ἀξίαν, καὶ τὴν ἑκάστου φύσιν, ἐπὶ τῆς οἰκείας διασώζει τάξεως,
» καὶ δυνάμεως. Ideſt ſcire opus eſt, diuinam iuſtitiam ex hoc maximè ueram eſſe iuſtitiam,quòd ſin
» gulis, pro dignitate cuiusque rei, propria quædam diſtribuat, ſingulorumq́; naturam in ordine
» ſuo,& uirtute propria conſeruet. Hæc ille. Eſt autem humanæ uoluntatis naturalis uirtutis, & eius uirtutis opus proprium,liberè agere,& non agere ſuarumq́; actionum omnium apud ſe poteſtatem & imperium habere. uoluntas nempè noſtra(ut fusè lib.tertio de Lib.arbit. oſtendit Auguſtinus) uoluntas non eſſet, niſi in noſtra eſſet poteſtate. Non enim noſtræ aliquo pacto uoluntatis & noſtræ actionis urgens Deus eſt & cogens cauſa,ſed benè dirigens,conſilians,& adiuuans.
B dirigit,quia propter peccatum primi hominis,genus humanum ad terram delapſum eſt.conſulit, ne terrenarum rerum cupiditate terram ſemper proni ſpectemus, ſed ad ſidera, & ad Deum ipſum,qui noſtra beatitudo eſt, tollamus uultus. adiuuat, ſua nos præueniente, & ſubſequente ineffabili gratia, ut erigamur, & de lacu peccati in eternam gloriam facili greſſu progrediamur euehamurq́;. Ad quæ omnia ſicut diuina gratia eſt neceſſaria,ſine qua uolũtas noſtra poteſt nihil, ita libertas nobis requiritur arbitrii,& uolũtatis ſine qua nihil mereri,nihil conſequi nobis poſſemus. Et adeò nõ eſt in operibus noſtris nos neceſsitans Deus cauſa,ut contra etiã Dei uoluntatẽ (ſicut diximus ſuperius)humana quandoq;(quid dicã quandoq;)imo ſæpiſsimè uoluntas ueniat. Chriſtus in Euangelio præcipiebat ſanato, ne cui diceret; ille autem multo magis prædicabat. Aug. de Spiritu & litera cap. XXXIII. Infideles, inquit, agunt contra Dei uoluntatem; cum eius
» Euangelio non credant. & libro quinto de Ciuit. cap. VIII. A Deo, inquit, ſunt omnes pote-
» ſtates; quamuis ab illo non ſint omnium uoluntates, & breuiter mala & peccata noſtra omnia, (quod ſemel atque iterum ſuperius à nobis dictum fuit) præter uel etiam contra Dei uoluntatẽ accidere, ſine dubio, cenſendum eſt; quamuis & mala non ageremus ſi ille non uellet, & malis noſtris, ad noſtram (ut dictum eſt ſuperius) utilitatem, & ſalutem, ſumma Dei bonitas, ſum-
C maque eiuſdem prouidentia, non dicam ſæpè, ſed ſemper utatur. Deſipit nanque, atque iterum deſipit; qui malum diuinam uoluntatem, propter malum uelle & permittere exiſtimat. cùm humana uoluntas, de qua in Geneſi legimus, quod ad malum omni tem pore prona eſt, non propter malum, ſed propter bonum; immo malum ipſum bonum exiſtimans, etſi ſæpiſsimè, quod Deo accidere, non poteſt, decipiatur, quod malum eſt, eligere uideatur. Voluntas igitur noſtra etſi diuinæ uoluntati ſubiecta ſit; cum illam creare, ad nihilum redigere,& illius actionem ſuſpendere, & immutare Deus ualeat; poteſt tamen contra diuinam uoluntatem, ideſt contra diuinæ uoluntatis præcepta (in præceptis nempe, præcipientis uoluntas manifeſtatur) multa uelle; ut à diuina uoluntate illam in ſuis actionibus cogi, uel modo aliquo neceſsitari nequaquam ſentiendum, uel dicendum ſit. Nam ſi uult illam Deus operari, uult in primis illam eſſe; ſed eſſe non poteſt; niſi ſuarum operationum ſit domina, & ſuæ poteſtatis ſit, & arbitrii; quod hæc ſit etiam ad opinionem multorum philoſophorum, & in primis Alexandri Aphrodiſienſis, nedum ad theologorum noſtrorum ſententiam, natura & eſſentia uoluntatis & hominis. dicebat etiam Auer. in Deſtruct. dub. primo. ſi non eſſet libertas in uoluntate, remoueremus naturam uoluntatis. Ergo quomodocunque de nobis Deus ſtatuat: noſtrarum operationum arbitrium penès nos ſemper, ex
D his, quæ dicta ſunt, relictum ita eſſe conſequitur: ut non ſolùm nullo modo noſtram uoluntatem Deum cogere exiſtimandum ſit, ſed contrà eum, qui à Deo humanam uoluntatem in ſuis operationibus cogi exiſtimat, damnandum eſſe: quòd & de Deo, & de humana uoluntate præpoſterè admodum, ac iniquiſsimè ſentiat. Quinimmo ex his, quæ hactenus diximus, rem admirandam nunc fortaſſe tibi amice lector colligemus, nimirum quòd non ſolùm non neceſsitat, & non cogit Deus humanam uoluntatem; ſed neque illam etiam, ſi uellet, cogere, poteſt: ideſt non poteſt effici, ut ab aliquo, uel etiam à Deo ipſo Opt. Max. humana uoluntas ad uolendum & operandum aliquid, neceſsitetur, atque cogatur. nec minus repugnat dicere, uel facere uoluntatem ab aliquo (quodcunque illud ſit) eſſe coactam: quàm dicere uel facere hominem eſſe elephantum, album eſſe nigrum, calidum eſſe frigidum,& demum facere oppoſita eſſe ſimul uera. Quemadmodum enim homo talis eſt naturæ; cum qua per potentiam aliquam, etiam diuinam, elephantis forma ſtare non poteſt; ſed impoſsibile eſt ſimul quidpiam eſſe, & hominem & elephantum; ita uoluntas quæcunque (ſed aliis omiſsis uoluntatibus, de humana nunc tantùm loquamur) talis eſſentiæ, & talis naturæ à Deo Opt. Max. rerum omnium opifice, conſtituta eſt; ut quamuis actionem eiuſdem Deus ſuſpendere, uel ipſam uoluntatem immutare, aut etiam in nihilum redigere

gere potest; cum ea tamen coactio, uiolentia,& necessitas stare non possit. Violentum enim species inuoluntarii est, non uoluntarii. Nempe qnemadmodum ignis actionem Deus potest suspendere, nel immntare; Cæterum si agit, non nisi naturaliter, agere, & non nisi calefacere potest; ita uoluntatis actionem; & electionem potest Deus suspendere uel etiam immutare. At si agit, non nisi liberè, & pro electione, agere potest, idest non potest esse; ut simul & uoluntas sit, & quidpiam uelit, & simul ad oppositum uolendum, & eligendum necessitetur, atque cogatur. ut sicut lapis cum inclinatione, quam ad descensum habet, simul ui in altum proiectus mouetur & fertur sursum, ita uoluntas cum inclinatione, idest electione, quam ad aliquid operandum habeat, simul ui in oppositum feratur, atque moueatur. sed pro arbitrio & uult quidquid uult; & operatur quidquid operatur. Quamobrem rectè & doctè Ioannes Scotus in primo lib. Theologicarum sententiarum distinc. XXXIX. uoluntatem in primo etiam instanti suæ creationis, quidquid ipsa uelit, contingenter & liberè uelle ostendebat. alioquin si uoluntas (ut in ultima quæst. quollibettorum idem intulit) naturaliter moueretur ab alio, ut uerbi causa ab intellectu; sicut intellectus naturaliter mouetur ab obiecto; homo esset unum bonum brutum: quanto igitur magis si ab obiecto ita dicam, uolibili, uel ab alio quocunque, aliqua uiolentia, moueretur? & in lib. secūdo distinct. VII. non cogi aiebat uoluntatem ad amandum ab ipsa bonitate obiecti: sicut ex complexione primi principii, ad assentiendum, intellectum cogi uidemus. rectissimè propterea D. Bernardus humanum arbitrium diffiniens, aiebat esse liberum consensum ob uoluntatis inamissibilem libertatem. Si nanque ab aliqua siue inferiore, siue superiore causa, cogi posset uoluntas, non dixisset D. Bernardus libertatem uoluntatis esse inamissibilem. Et lib. de Gratia & libero arbitrio idem Bernar. inquit: quod tam post peccatum, quàm ante, semper libertatem arbitrii tenuit homo inconcussam. Et ideo quæ ab humana uoluntate proueniunt: non nisi contingenter, & pro arbitrio & electione euenire possunt.

Tolluntur aliquot, quæ in iis, quæ de humanæ uoluntatis arbitrio dicta fuerunt, suboriri poterant dubitatiunculæ. Cap. VII.



VERUNTAMEN in hac maxima, atq; amplissima, quam exposuimus, uoluntatis libertate, eius, quod super Genesi scripsit Origenes, quæso lector memineris. Si quispiam, inquit ille, absolutam ita nostram uoluntatem esse putat, ut nulla re præcedente, uoluntas nostra hoc, aut illud amplectatur: is mundi se particulam esse, contineneriq; ab uniuerso, oblitus est. Hæc Orig. Potest nanque Deus (ut ait B. Augustinus.) omnem secretissima, atque efficacissima gratia sua, à corde obicem, & omne à uoluntate impedimentum auferre, quo homo id propria uoluntate uelit, quod illum uelle, Deus ipse uoluerit. Et 10. lib. de Spiritu & litera cap. XXXIIII. Ex libero (inquit idem) arbitrio est, quod uisornm suasionibus agit Deus, ut uelimus, & ut credamus siue extrinsecus, per Euangelicas exortationes, uti & mandata legis aliquid agunt; si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ; ut ad gratiam iustificantem credendo confugiat, siue intrinsecus, ubi nemo habet in potestate; quid ei ueniat in mentem, sed consentire uel dissentire propriæ uoluntatis est. Et Libro de lib. arb. cap. XX. idem asserit, hominum uoluntates ita esse in Dei potestate, ut eas, quo uoluerit, quando uoluerit faciat inclinari. Et cap. XXI. Agit omnipotens in cordib. hominum, etiam motum uoluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse uoluerit. Et ideò Iob XII. legitur, quòd Deus immutat cor principum terræ. Item in Prouerb. cap. XXI. Cor regis in manu domini, quocunq; uoluerit, inclinabit illud. Et per Ezechielem capit. XXXVI. dicitur, Ego faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Agit quippe (ut inquit B. Chrysostomus) in nobis Deus, ut quod uult ipse, & nos uelimus, & agamus. quod nō Deus solùm, sed malus etiam Dæmon facere, utcunq; cum permittitur, idem posse uidetur, ut in lib. duodecimo. Quolib. art. XI. & in quæst. disputatis de dæmonibus D. Thomas declarauit. Nam operatione dæmonis, potest alicui us idolum cuipiam sub ratione rei abhominabilis, uel delectabilis, præsentari, unde maleficia ad amorem, uel odium fiunt, sed istud non est uoluntatem cogere, sed uel allicere, uel immutare. Verùm quòd uelimus id, quod nolumus, dum scilicet nolumus aut nolimus, quod uolumus, dum uolumus, quod est uoluntatem cogere; sicut accidit petræ, quæ dum ad inferna nititur tendere, ad superna, ui cogitur, agere Deus non potest, quem ad modum potest nihilominus quispiam (ut diximus) sursum lapidem proiicere, dum in eo inclinatio remanet ad deorsum, sed inclinationem, quam ad aliquod peragendum habemus. Deus immutare quidem potest, quoniam in uoluntate ita operatur, ut in natura, & sicut naturalis operatio à Deo est, ita omnis etiam actio uoluntatis.

NEQVE obiiciatur nobis, quod Ioan. ultimo, Christus ad Petrum ait; Cùm senueris alius cinget te; & ducet quo non uis. Vel quod ad Roma. VII, scribit Apostolus, Non enim qnod uolo bo

num

A num hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago: Et ad Gal.v. Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, ut non quæcunque uultis illa faciatis. quasi uim, ab externa causa, humanam uoluntatem pati sensisse Apostolus uideatur. & ad hoc, uel illud perpetrandum cogatur. Non enim ui cogi illam uult D. N. Iesus Christus, uel Paulus, si nanque ad malum illa cogeretur: nullum in malo coactè perpetrando posset nobis imputari peccatum: quòd peccatum illud non sit; quod ultroneum & uoluntarium non est, sed dicimur catenus ex Paulo uelle, & operari, quod noluimus; quatenus, etsi Dei legem, mente, & uiuida ratione probamus; illecebris tamen carnis, & sensuum uoluptatibus allecti, contra diuinam legem sopita ratione, & Dei spiritum aliquid, non coactè quidem sed spontaneè uolumus, & operamur. Ducere uerò quempiam, ubi ille alioquin non uellet, non est uoluntatem eius etiam quo ad exteriores actus (ut quidam putarunt) aliquomodo cogere; cum cogi non patiatur. nisi nanque uirtuti motiuæ illa imperaret, & pedes moueret, duci Petrus non posset; sed bene super equo, uel plaustro uiolenter, & nullo uoluntatis consensu uehi poterit, quòd arbitrium non in passione, sed in actione consistat.

Dices, poterit saltem uoluntas cogi, ad non uelle aliquid; quia poterit Deus illam annihilare; uel etiam ad uelle quidpiam, si Deus in illam crearet quempiam actum, & illum conseruaret.

B Respondebimus, sunt istæ friuolæ obiectiones; & quæ non sunt relatu dignæ; tametsi utrique annuerint quidam Theologi, qui de libero arbitrio tractatum ædiderunt. dico ego ad primam, quòd id, quod non est, non potest cogi; sed, ut uoluntas, cogatur, necesse est, quòd supersit.

Ad secundam dicendum, quod illud non esset uoluntatem siue uoluntatis arbitrium cogere; sed agere, ut uoluntas quid patiatur, quod Deus eam pati uellet per uoluntatis ipsius immutationem. At pridem diximus libertatem non in passione, sed in actione consistere.

Obiici etiam fortasse nobis possent humanorum animorum in alio statu, & angelorum uoluntates in bono, uel malo confirmatæ; in quibus non uidetur integrum, & incolume ipsum arbitrium; sed ad alteram potius bonam, uel malam partem, necessitatæ uoluntates illæ uidentur.

Verum obiectionem tollit compilator Theologicarum sententiarum in lib. secundo distinc. VII, in quo loco inquit: quòd boni angeli non aliqua cogente necessitate, sed propria, ac spontanea uoluntate, per gratiam quidem adiuti, bonum eligunt; & malum respiciunt. Et mali similiter angeli contrà, spontanea uoluntate, à gratia destituti, bonum uitant, & malum sequuntur: ut omnino uerum illud sit, quod diximus, à nulla externa causa, quæcunque illa sit, uoluntatem posse necessitari. Sed redeo unde discesseram. Cum igitur sit homo suarum operationum dominus, quòd humana uoluntas, ut ostendimus, à quoquam cogi, & uim pati non possit: multa autem homini præter intentionem, & uoluntatis suæ decretum, extrinsecus accidere uideamus: multa propterea ad humanam uoluntatem relata, casu, temerè, & fortuitò euenire dubitandum non erit; quæ tamen quoquo modo euentura sunt; Deus, ante cuius conspectum nuda & aperta omnia sunt, certè & determinatè cognouit & eorum curam & prouidentiam gerit. Ex iis igitur omnibus, constat primò illa simul stare posse; quæ pugnare putabat Euodius, Deum uidelicet cunctorum euentuum præscium esse: & hominem simul non necessitate, sed uoluntate peccare. Item secundò multa & contingenter, & temerè euenire, & si cuncta à Deo Opt. Max. adamussim præcognita uel etiam decreta sunt. Eius nanque præscientia, ut patere iam potest, quod etiam exactius declarabitur, contingentiæ temeritati euentuum obstat nihil.

C

Tangitur alia in iis, quæ in superioribus fuerunt dicta, exoriens dubitatio; quoniam ea saltem, quæ agentium naturalium opera eueniunt, ineuitabili necessitate euenire, dicentur. & huius solutio aliquantisper differtur; in D præsenti autem capite dubitatio illa, an Deum frustrà precemur, obiter tangitur, & dissoluitur. Cap. VIII.



Satis iam multa, de hac quæstione, diximus; & tamen nondum quiescit animus, ingensq; aduersus ea, quæ dicta sunt, & maxima nobis adhuc imminet difficultas. Quamuis enim quodcunque, quod uel contingenter, uel etiam fortuitò & temerè futurum est, infallibili, à diuino intellectu (ut diximus) cognitione cognoscatur; atque ista omnia, quæ contingentia sunt, nouerit intellectus diuinus esse contingentia: & diuina uoluntas eadem, quæ contingentia sunt, contingenter, & esse, & fieri decreuerit; quorum aliqua ad humanam uoluntatem, uel ad aliquas secundas causas relata, non solùm contingentia, sed fortuita etiam, & temeraria dicantur; nihil tamen obstat; quin ista eadem (quantum ad se attinet) qualitercunque à nobis appellitentur, ineuitabili necessitate eueniãt: cũ illo modo cũcta infallibiliter eueniãt; quo prius

prius à diuina uoluntate statutum fuerit, eadem euenire; nec impediri eorum euẽtus possint. alioquin nec certa starent diuina decreta, nec certa de eisdem, apud Deũ esset intelligentia, præcognitio, & prouidentia. Non enim in iis, quæ uel naturaliter eueniunt, uel naturaliter operantur, nec in cæteris breuiter quibuscunq;, præter illa, quæ ab humana uoluntate dependent; illud uidetur dici posse: quod in effectibus prius humanæ uolũtatis dicebamus. cùm nec in iis libertas sit aliqua; nec illa ab aliqua uoluntate, nisi diuina, à qua decreta cuncta uidentur, dependeant. Ex quo non solùm omnia, præter pauca illa, quæ homo facit, & operatur, fatali quadam (quod absurdum est) necessitate euenire: sed etiam quod eo, quod dictum est, non minus absurdum, in Christiana potissimùm religione uidetur; nos frustrà Deo pro serenitate, pro pluuia, pro uictoria, pro salute, & aliis id genus innumeris orationem effundere, omnino consequens esse uidebitur. Quoniam si ab æterno, quanuis contingenter, dare, uel non dare quippiam Deus decreuerit; cum mutari ille non possit; & deprecantibus, & non deprecantibus, sed torpentibus etiam, & stertentibus nobis, ut decreuerit, impendet, uel non impendet. quoniam id, quod semel decretum est, & à Deo præuisum, quocunque modo illud Deus decreuerit, & præuiderit, non euenire non poterit. E

AD hanc tam grauem, ac tam difficilem dubitationem in primis dicimus; quòd duas illa tangit graues admodum, & perdifficiles difficultates. Vna est, an quæ eueniunt omnia, iis exceptis, quæ ab humana procedunt uoluntate, quoniam nullo suo arbitrio, sed naturali quodam ordine, & naturalium causarum nexu, & actione, ex decreto tantùm diuinæ uoluntatis, euenire uidentur; ineuitabili necessitate eueniant. Altera an stante de re quacunque diuino æterno decreto, ad Deum sint à nobis preces effundendæ. Ad quas nobis quidem dicendum est, sed quàm breuissimè. Ad priorem illam dicemus in sequentibus. F

AD posteriorem tametsi fusè satis, & exactè, in libro de Humano Arbitrio, à nobis dictum fuerit; nonnulla tamen nunc etiam dicemus, quæ fortè locus ille desiderare poterat; ut tum ex hiis, cum ex illis plenior sit ad dubitationem solutio. Ex Theologis igitur nostris, uel ex illis potius, qui ex nostris erant, nonnulli & propter hoc argumentum, & quoniam certa & infallibilis sit rerum cunctarum apud Deum præcognitio, & diuinæ uoluntatis de eisdem, quòd eueniant, uel non eueniant, & quando, & quomodo sint euentura, determinatio (Non enim quemadmodum humana, ita diuina uoluntas in futuris euentibus anceps fluctuat, aut ab eo quod semel statuerit, flectitur) huiusmodi, proh dolor, deprecationes uanas, & futiles esse dixisse uidentur; quum tamen interea Iamblichus Ethnicus Theologus (ut in lib. de Humano arbitrio ubi de prædestinatione agitur, diximus) admirandæ uirtutis esse asseruerit orationem; etiam si Homerum Deos orationibus flexibiles affirmantem acerrimè, & tanquàm nefarium hominem repræhenderit. Sed hos hæreticos mittamus. G

ALII rectius respondent, quòd non uanæ, & superfluæ sunt humanæ deprecationes, etiam si Deus cuncta certè, & determinatè præcognoscit, & de rerum euentibus etiam præstituerit, & immutabilis ille sit, ita ut nostris obsecrationibus, ab eo, quod semel statuerit, non deflectatur; quoniam ab æterno ipse nouit; quid per tuas in tempore futuras orationes, sit ipse effecturus. illud sanè, quod mediis tuis præuisis precibus se ab æterno effecturum statuit: efficere, si nostrum modum intelligendi sequi liceat, non statuisset; aut etiam non statueret. Non enim ad modum temporis, æternitas labitur, quæ tota simul permanens est. Huius rei clarissimum exemplum habes ex Ierem. XXIX, in quo loco asserit Dominus, se aliquando liberaturum de captiuitate Babylonica Israeliticum populum; sed non sine præuisis eiusdem precibus, & orationibus. Ego enim scio, inquit, cogitationes, quas cogito super uos, ait Dominus. cogitationes pacis, & non «
afflictionis. ut dem uobis finem, & patientiam; & inuocabitis me, & ibitis; & adorabitis me, & «
exaudiam uos; quæretis me, & inuenietis; quum quæsieritis me in toto corde uestro; & inue- «
niar à uobis dicit Dominus; & reducam captiuitatem uestram; & congregabo uos de uniuersis «
gentibus, & de cunctis locis; ad quæ expuli uos, dicit dominus. In quo loco liberationem pol- «
licetur; quoniam, inquit, inuocabitis me, & ibitis; & quoniam adorabitis, ego exaudiam uos. H
& quoniam me quæretis; inuenietis. In lib. etiam Tobiæ cap. sexto, alterum habemus ex Angelo Raphaele pulcherrimum exemplum; qui Tobiam admonet; ut cum uoluerit esse cum Sara sponsa sua; primùm surgant ambo; & Dominum cœli deprecentur. Et ideo ad finem libri secundi de uocatione gentium dicebat Ambros. Quanuis quod statuat Deus; nulla possit ratione, non «
fieri; studia tamen non tolluntur orandi; nec per electionis propositum, liberi arbitri deuotio re- «
laxatur, cùm implendæ uoluntatis Dei ita sit prædordinatus effectus; ut per laborem operum, «
per instantiam supplicationum, per exercitia uirtutum, fiant incrementa meritorum. Et B. Au- «
gustinus libro quinto de Ciuit. cap. x. Preces (inquit) ualent, ad ea impetranda; quæ se precantibus concessurum esse, Deus præsciuit. Item D. Greg. inquit, Obtineri nequaquam possunt; quæ prædestinata non sunt. Sed quæ sancti uiri orando efficiunt; ita sunt prædestinata; ut

eorum

A eorum precibus impetrentur. Hoc ipsum, si ex profanis nonnulla adducere liceat, in libro sexto subindicauit nobis Virgilius; dum Sibylla Aeneam admonet frondis aureæ, ex illustri pulchræ Proserpinæ arbore decerpendæ.

» *Carpe manu, nanque ipse uolens, facilisque sequetur,*
» *Si te fata uocant; aliter non uiribus ullis*
» *Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.*

VNDE rectissimè mihi B. Augustinus, & alii plerique catholici, ac sanctissimi uiri dicere uidentur. Vt de pace, aut de pluuia, uel de serenitate, & aliis huiuscemodi, nos minimè solicitari, debeamus. Sed magis deprecari; ut diuina uoluntas de nobis adimpleatur: secundum illud Apost. ad Philippen. IIII, Nihil soliciti sitis; sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum. Et dominus Matth. VI. Orantes nolite multum loqui; sicut Ethnici faciunt. Putant enim; quòd in multiloquio suo exaudiantur.
» Nolite ergo assimilari eis. Scit enim pater uester; quid opus sit uobis; antequam petatis eum.
» Quasi uelit dicere, breuibus ita oretis, ut petitiones uestræ, diuino iudicio, & uoluntati relin-
B quantur. ad quem modum oramus. Fiat uoluntas tua; sicut in cœlo & in terra. Vnde lib. pri-
» mo Reg. cap. primo, ad Annam coniugem, inquit Elcana. precor ut impleat Dominus uerbum
» suum. Et B. August. orabat, Domine da, quod iubes; & iube, quod uis. Hoc est, quod in Psal. CXVIII, orantes dicimus. Da mihi intellectum ut discam mandata tua.

Nobis quid ex oratione acquiramus; & quid est dictu, oratione Deum ad nos flecti, declaratur. CAP. IX.



VIDIMVS, quàm minimè frustrà exoretur Deus à nobis; quum ab æterno, per merita orationum nostrarum, dare quidpiam, aut non dare, statuerit. Nunc quid dictu sit, Deum ad nos flecti, uel oculos suos conuertere Deum ad nos, declarare proposuimus. Non enim (ut paulò ante dicebamus, & lib. de Humano Libero arbitrio fusius dictum fuit) existimare debemus; nostris, quanuis Deo gratissimis precibus, ita Deum permutari, sicut putarunt Aegyptii quidam (si B. Thomæ lib. tertio contra gentes cap. XCIII, credamus) ut qua-
C si deprecationibus nostris, nunc nonnulla uelle incipiat; quæ antea non uoluerit. permutatur certè nostris obsecrationibus (liceat nunc uerbo permutationis uti; quanuis nihil minus Deo conueniat, quàm mutari) sed diuino conspectui ab æterno præsentibus (adsunt enim omnia æternitati) propter quas nobis petentibus impendere disposuit, quod petimus. Ab eo autem, quod in æternitate statuit (si humano more, de Deo nobis loqui fas est) dimoueri non potest, uel melius dicamus, dimoueri non uult. quòd mutabilis ipse non sit. Num. XXIII. Dixit ergo & non faciet? locutus est, & non implebit? Non enim probamus illud quod Io. Antonius Delphinus, Franciscanæ familiæ præpositus scriptum reliquit, Deum posse nunc (de ordinaria potentia loquor, de qua, ille etiam loquebatur) uelle secus, quàm prius uoluerit; uel etiam uelle quidpiam; quod ab æternitate non uoluerit; & posse præterea actum suum, & suæ uolun-
» tatis decretum suspendere, ac permutare. Putauit nempe ille (ita dicendo) euentuum necessitatem effugere. Sed non aduertit, in quantam incommodorum abyssum, ne dicam blasphemia-
» rum, inciderat. Deum (ut infinita præteream) euentus futuri ancipitem, & inscium facit; mutabilem ac uicissitudinarium, & prius & posterius in æternitate constituit. quæ omnia, nemo est; qui non inter absurdissima reponat. Sed hoc loco notatum cupio; cum dicimus Deum quidpiam
D statuisse; eundem esse sensum, ac si Deum statuere; uel Deum statuturum esse, diceremus. omnia enim temporum curricula æternitas ipsa complectitur. Non tibi (quæso) cum dicimus Deum hoc, aut illud statuisse, subeant infinita sæcula præterita; ante quæ illud, quod statuit, statuisse dicatur; sed ita potius dictum intelligas; In ipsa æternitate, quæ ipsemet Deus est, Deum statuisse, statuere, & statuturum esse. Omnia enim tempora illi conueniunt; qui non solùm æternitate, ita dixerim, metitur; sed est ipsa æternitas; cui & præterita, & futura, præsentia sunt. Nobis autem, qui tempore metimur, sunt hæc tempora diuersa. Sed redeo unde discesseram. Est igitur etiam atque etiam utilis nobis oratio; quum per eam Deum, qui immutabilis est, permutemus. non quidem ad modum, quo homo mutatur; ut modò unum uelit, & modò priore illo spreto, alterum; & decidat de sententia. sed modò suæ maiestati, & suæ immutabilitati congruentissimo; quo etiam illum ad nos flectere, & conuertere dicimur. Quem modum si scire cupias pie lector; audi quæso, & diligenter aduerte, Deum ad nos per orationem flecti, nil aliud esse, ut in lib. de Humano arbitrio, parte illa, in qua de prædestinatione agitur, declaratum fuit, quàm nos ad Deum ipsum, per orationem, flecti, moueri, ferri, & (ita dixerim) pertrahi. Ad suscipienda nanque diuina consilia, & ad recipienda diuina nobis ab æterno decreta munera, nos

orationes paratiores, capacioresque efficimur: ut non Dei decretum in nostram concupiscentiam permutemus; sed contrà concupiscentiam nostram in diuinam mutemus uoluntatem; & in eius decretum transformemus nos ipsos. Atque hoc est, quod oramus, cum dicimus, Fiat uoluntas tua. Quamobrem lib. secundo de Sermone domini in monte, inquit B. Augustinus. E
" Quid opus sit oratione, quæri potest. Si Deus iam nouit; quid nobis necessum sit; nisi quia ipsa
" orationis intentio cor nostrum serenat, & purgat, capaciusque efficit, ad excipienda diuina mu
" nera; quæ nobis spiritualiter infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus;
" quia paratus est suam lucem dare nobis, non uisibilem, sed intelligibilem, & spiritualem. Sed
" nos non semper parati sumus accipere; cum inclinamur in alia; & rerum temporalium cupidita-
" te, quasi tenebris quibusdam, inuoluimur; uel etiam tenebramur. Sit ergo in oratione, con-
" uersio cordis ad Deum; quia semper dare paratus est; si nos accipimus; quod dederit. Hæc ille.
" Non enim, ut ad Donatum scribit B. Cyprianus, in capescendo munere cœlesti, mensura ulla, uel
" modus est. profluens largiter spiritus nullis finibus præmitur; nec coercentibus claustris, intrà
" certa metarum spatia, refrenatur; manat iugiter; exuberat affluenter; nostrum tantùm sitiat
" pectus, & pateat. Quantum illhuc fidei capacis afferimus; tantùm inde gratiæ inundantis hau-
" rimus. Hæc Cyprianus. Nostra igitur oratione mutamur nos. non Deus mutatur. per eam cordis desiderium in Deum accenditur; mentis radius illustratur: temporalium alioqui sordium, & peccatorum fece obtenebratus, atque pollutus. Ad diuinum nos donum capescendum disponit; & quantùm accipere disponimur: tantùm, ut nihil minus, ille donare est paratus. abeant tantùm creaturis terrenarum rerum cupiditates; alioquin audituri sunt id, quod Zebedei uxori, pro filiis, nescio quid petenti dictum est à domino. Nescitis quid petatis. Nempe nec Dauid pro uita filii, nec Paulus pro remotione stimuli, fuerunt exauditi. quoniam rerum temporalium cupiditate erant utcunque obtenebrati. Quinimmo Dominus noster Iesus Christus Dei filius, in quo sibi semper diuinam uoluntatem complacuisse, scriptura testata est; obnixè, & ad sanguinis sudorem usque, pro transitione calicis, deprecatus, minimè exauditur. iuxta illud quod in Psal. XXI, scriptum est. Clamabo per diem & non exaudies. quoniam hæc petitio ad carnem, & ad humanæ infirmitatis fragilitatem, aliquo modo uergere uidebatur. Sed in eo fuit exauditus: in quo diuinæ uoluntatis se subiecit dicens: non tamen fiat sicut ego uolo, sed sicut tu. exemplo suo nos instruens, quousque carni liceat Christiano indulgere: ad Domini inobedientiam usque, exclusiuè tamen. Quàm primùm enim mandatis Domini & diuinæ uoluntati se caro subtrahere nititur; tam cito eius comprimenda est audacia: & cum Christo exclamandum. Domine non sicut ego uolo; sed sicut tu. Multis etiam modis in nostris deprecationibus erramus. Verumtamen spiritus, ut inquit Paulus ad Roma. VIII, adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: Sed ipse spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus: qui autem scrutatur corda, scit, quid desiderat spiritus; quia secundum Deum postulat. Cæterùm ad quem modum uideamur ad nos Deum flectere, cum tamen nos contrà flectamur per orationem, & moueamur ad Deum, B. Dionysius lib. de Diuinis nominibus cap. III duobus accommodatissimis exemplis declarauit. In quo loco de supersubstantiali bonitate edisserens, ex interprete inquit: Illa omnibus adest non tamen omnia illi adsunt. Quando uerò illam castissimis precibus, & intellectu tranquillo, affectuque ad diuinam unionem apto, precamur, tunc nos etiam illi adsumus. Et paucis interpositis. Quamobrem nos ipsos, per orationem uidelicet, ad diuinorum salutariumque radiorum sublimiorem intuitum eleuamus. Veluti si cathena quædam multis contexta luminibus à summo cœlo suspensa, usque ad infima protendatur, nosque hanc manibus semper alternis in anteriora porrectis apprehendamus, trahere quidem ipsam ad nos uidebimur; re autem uera, non deducemus eam ad nos, supra uidelicet, infraque præsentem; sed ipsi potius ad excelsiores radiorum uariè lucentium splendores fœliciter prouehemur. Aut fortè quemadmodum si ingressi nauim, funes ex petra quadam usque ad nos extentos teneamus; quippe quorum nitamur auxilio; non petram quidem ad nos, sed nos potius, nauimque reuera promouemus ad petram. Quemadmodum uicissim, si quis stans in naui, maritimum percutiat saxum, in illud quidem tanquam immobile permanens, nihil efficiet, sed seipsum potius arcebit à saxo, & quanto uehementius contendet impellere, tanto illhinc longius repelletur. Hæc ille. F G H

Quòd non frustrà Deum deprecamur, ut omnes etiam exaudiamur.

CAP. X.

Addimus

A DDIMVS responsioni prius, ad difficultatem illam, an frustra deprecemur Deũ exhibitæ, responsionem aliam, ex B. Aug. tractatu VII, super Epistolam Diui Ioannis. Ea autem est. quod adeo non frustra deprecamur Deum: ut bonos omnes, quinimmo malos etiam, diuersis tamen modis, à Deo semper exaudiri dicamus. A Deo nempè exaudiri, bifariam contingit, tum ad salutem tum ad uoluntatem. Mali non ad salutem suam, sed ad uoluntatem quandoque exaudiri dicuntur, quemadmodum de diabolo legimus; qui, Iob primo, obtinuit à Domino uniuersam substantiam ipsius Iob. Et Matth. VIII obtinuerunt dæmones, in gregem porcorum ire. Boni uerò contrà, non ad uoluntatem, sed ad salutem exaudiuntur. Quemadmodum D. N. cùm patrem pro transitione calicis, ad sanguinis sudorem usque deprecatus est, qui quidem uisus fuit, non exaudiri ad uoluntatem; ad salutem, exauditus fuit. non quidem suam,
» sed nostram. Ideo ad Hebræos cap. V, exauditus est pro sua reuerentia. Et Ioan. XI. pater gratias
» ago tibi, quia audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis. Et Paulus, & alii sancti ui-
» ri, ad salutem non ad uoluntatem cuncti exaudiri dicuntur. De Paulo ita inquit Aug., Rogasti,
B clamasti, terclamasti, ipsum semel quod clamasti audiui. non auerti aures meas à te. noui quid
» faciam; tu uis auferri medicamentum, quo ureris; ego noui infirmitatem, qua grauaris. Hæc
» August. prodest enim aliquando petitis nos frustrari, uel ad sanandum tumorem superbiæ, uel ad probandam, exercendamque patientiam, uel ad punienda, & abluenda peccata. Et ideo B.
» Chrysost. in sermone quodam de diuina prouidentia, ex interprete, inquit. Interdum Deus dat,
» interdum etiam non dat, utrunque utiliter; ut siue accipias, siue non accipias; aliquid tamen re
» ceperis, in nihil recipiendo. Vtque impetraris, siue impetres, siue non impetres, in non impe
» trando. Est enim interdum non accipere utilius. Nisi enim utile nobis esset aliquando non acci-
» pere; omnino dedisset; utiliter autem re aliqua excidi; assequi est. D. item August. in epistola ad Paulinum; & Therasiam, Bonus, inquit, est Dominus; qui non tribuit sæpe, quod uolumus;
» ut quod mallemus, attribuat. Et Magnus Basilius ad Eusthatium Philosophum. Melius omni-
» no quàm nos elegerimus; res nostras Deus gubernat. Nonnulli pii & sancti uiri alias quàmplurimas afferre solent causa; cur differat Deus, quod petimus. Vt pote quo donum Dei sit gratius, & quo orantis animus magis ferueſcat. Nam ut ait B. Gregorius, uera desideria dilata crescunt, uel etiam ut dono petito meritum accedat perseuerantiæ. Nemo (dicebat XXII, moralium Gre
C gor.) quia tardius auditur; arbitretur, quòd à suprema curia negligatur. Sæpe etenim nostra desideria celeriter non exaudiuntur; & quod concitè petimus; ex ipsa melius tarditate prosperatur.

AVDEO ego (at non sine emendationis protestatione, si error fuerit) audeo, inquam diecere; tam malos, quàm bonos, & ad uoluntatem à domino, & ad salutem exaudiri. mali quidem aliquando ad suam uoluntatem: ad salutem uerò semper uel suam, uel aliorum; etiam si aliorum salus minus illis sit curæ, suam quidem, si affectu ad diuinam unionem apto orant, sin minus aliorum cum per prauorum opera, boni uirtutum suarum incrementa recipiant. Quoniam autem nec ad uoluntatem suam, nec ad suam salutem mali aliquando exaudiuntur, ideo nullo modo exaudiri creduntur. & eorum orationes in sacris codicibus nonnunquam uanæ leguntur. Vt Iacobi cap. IIII, Petitis, & non accipitis; eo quòd malè petatis. Et prouerb. XXVIII. Qui declinat aurem suam, ne audiat legem; oratio eius erit execrabilis. Et Esaiæ cap. primo. Quum multiplicaueritis orationem, non exaudiam; manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Et Ierem. VII, tu ergo noli orare pro populo hoc; nec assumas pro eis laudem, & orationem; & non obsistas mihi. Ezech. cap. XIIII, implacabilem se facere Deus uidetur, super terra; quæ peccauerit; etiam si in medio eius, tres uiri Deo gratissimi Noe, Daniel, & Iob extiterint. Et Psal. LXV, Iniquita-
D tem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. boni contra & ad salutem suam, & ad suam uoluntatem semper exaudiuntur; quatenus uoluntati diuinæ propriam sui ipsorum uoluntatem obtemperare desiderant. sicut orant, Fiat Voluntas tua. His omnibus, quæ ex Theologis nostris adduximus, in Alcibiade II, Plato Theologus Ethnicus subscripsisse uisus est; quum nos ad quem
» modum orare debeamus, docuit. Non enim (ex interprete inquit) dicendum est, Deus da nobis
» hoc: quoniam illud fortasse (quod petimus) minimè conuenit nobis. & sæpe ea petimus: quæ
» cum profutura putamus, maximè nocitura sunt. quod ex Phaetonte paterni currus ductum ex-
» postulante ostendi potest. Sed orandum est, ut Poeta quidam admonuit, Iupiter optima quidem
» nobis & uouentibus, & non uouentibus tribue: mala autem, poscentibus quoque abesse iube. Pythagoræ, & Orphei consilio, quod iustum est, & honestum, à Deo petendum est. Seneca bonam tantùm mentis, & corporis ualetudinem à Deo expostulandam censuit. Sed de oratione hucusque.

Altera, ad dubitationem prius in cap. IIII, prædatam, responsio: ex qua dubitatio illa, quæ cap. VI, dimissa fuit, dissoluitur. in præsenti autem capite pro dubitatione soluenda, res bifariam considerari declaratur. CAP. XI. E



AM tempus est: ut alteram, quam prius polliciti fuimus, luculentiorem certè, ad grauem illam superius cap. IIII, huius libri tactam difficultatem, exactioremque, & quæ omnem in hac ulterius dubitandi materia ansam, tam indoctis quàm doctis & peritis præcidat, responsionem afferamus: ex qua, dubitationem illam, quam prius cap. VIII, insolutam omisimus, mira facilitate dissoluemus. Arguebatur igitur, Scientia Dei non est à rebus causata & producta, quemadmodum nostra; sed contrà est rerum caussa, & origo. Omnis nanque cognitio ut sit rei cognitæ uel effectus, uel causa, necessarium sapientibus multis uidetur. Nescit autem de fortuitarum, & contingentium rerum euentibus intellectus diuinus (ut abundè in primo libro Theologicarum sententiarum declarant Theologi) nisi ea, quæ prius à uoluntate diuina decreta fuerunt. scit nihilominus (ut prius sæpè dictum est) omnia: omnia igitur (ut non tantùm de iis, quæ ab humana uoluntate sunt, sicut superius, sed de euentibus omnibus, à quibuscunque, & qualitercunque agentibus causis, proueniant, modò argumentemur) quæ uel euenerunt, uel eueniunt, uel etiam euentura sunt, decreta prius à uoluntate diuina fuerunt; cuius decreto, cùm nihil possit esse impedimenti; qualitercunque siue necessariò, siue contingenter, à diuina uoluntate, illa decreta fuerunt (quantum ad res, & ad rerum euentus, & ad nos, & ad ea omnia, quæ decreta sunt, attinet, non euenire non poterunt. Omnia igitur (quantum ad res ipsas, uel ad nos, attinet) fatali quadam necessitate euenire uidebuntur. F

AD hanc grauem certè, & arduam difficultatem, est altera, ab ea, quam prius dedimus, responsio: luculentior nempe, & eruditior, & quæ omnem (ut diximus) dubitandi in hac causa scrupulum auferre facillimè potest. Illa enim prius exhibita responsio, & si eam Theologorum plerique, ac si omnem ambiguitatem amputaret, charissimè complectuntur; difficultatem tamen penitus tollere, & euacuare (si rem diligentius considerabimus) non uidebitur. Quòd & si de rebus, contingenter Deus decernat: decretæ tamen (quantum ad res ipsas attinet) non euenire ipsæ non possunt. Vnde relinquitur, quòd non contingenter (si tantùm ad res ipsas intentionem habere uoluerimus) sed fatali quadam necessitate & diuino quodam, ac impermutabili decreto, illæ eueniant; nec euenire non possint. Et est, ac si diceremus, Fur ideo contingenter suspenditur: quia in eum sententiam iudex contingenter protulerit. Sed quis non uidet, quòd fur ipse, quomodocunque, siue ex necessitate, siue contingenter de eo tulerit iudex sententiam, quantum ad se attinet stante iudicis sententia, ineuitabili necessitate (quoniam coactus, & necessitatus) suspenditur, cui dubium, quòd mortem, præsertim, ita turpem euitaret, si posset? Hæc igitur, quam nunc exhibituri sumus; solutio difficultatem, & modum omnem dissoluet, cuius tametsi prius cap. VI. huius libri ita typum & formam innuerimus, ut doctrinato uiro longè iam ante esse perspectam existimemus. Nam illud quod eo loco dictum est, eruditis sufficere poterat, clarius tamen, & fusius nunc eam explicare, & (ut aiunt) ad uiuum dubitationem ipsam resecare non grauabimur. Arguebatur nempè, Deus res cunctas, quæ in Orbe uniuerso sunt, fuerunt, & erunt præsentes contuetur, & idem est rerum omnium causa, adde etiam si placet; & est impermutabilis causa. Malach. III, Ego Dominus & non mutor. Et Num. XXIII, Non est Deus ut filius hominis ut mutetur. & Iacob. primo, apud Deum non est trasmutatio, nec uicissitudinis obumbratio. & stant cuncta in uoluntate diuina decreta. eueniunt igitur ita omnia, ut aliter, quàm eueniant, euenire non possint. Cuncta ergo ex diuino decreto, fatali & ineuitabili quadam necessitate proueniunt. Respondebimus tandem ad hoc argumentum, sine dubio difficillimum, & in responsione, omnem, spero, amplius dubitandi præscindemus occasionem. Dixerunt igitur quidam, ad hanc dubitationem, ut B. Thom. lib. tertio contra Gentiles, & alibi, quòd etsi Deus omnium est causa, & immutabilis, & præuisa atque decreta sunt apud illum omnia; nonnulla tamen contingenter eueniunt. Quia à Deo decretum est, illa contingenter euenire, & si stante diuino decreto, non euenire non possint. exemplum erat, Est Ferdinandus regnaturus; quia præuisum est à Deo, illum regnaturum: ita ut illum non regnare, stante diuino decreto, non sit possibile. contingenter tamen regnaturus est, tum quia effectus secundum se consideratus est contingens, tum quia à Deo præuisum est, quòd contingenter sit regnaturus. G H

HAEC responsio quæ (ut prius cap. IIII. diximus) est communis theologis omnibus & si pulchra certè, & subtilis sit, rudiorum tamen ingenia perturbat, quæ aliqua & ex necessitate, & contingenter euenire posse, nō capiunt. cū modi isti necessariò, & cōtingēter inuicē aduersentur.

ADDE

A ADDE, quòd cum contingentia fit ex parte causæ secundæ, necessitas uerò uideatur esse ex parte primæ: prima autem (ut millies prius dictum, & repetitum fuit) magis efficiat, uidebitur effectus quilibet plus habere necessitatis, quàm contingentiæ.

TERTIÒ, quoniam si à Deo præuisum; & decretum est; ut aliquid fit, etsi decretum est illud contingenter fore; non poterit tamen quantum ad rem attinet, non esse. ergo de necessitate erit.

AT dices non poterit non esse contingenter. sed qui hoc modo dicit; audientium mentes certè confundit; & regulas Aristotelis sectione IIII. libr. Perihermeniæ subuertere uidetur; in quo loco ista æquiualere tradidit. Non possibile est non esse; & necesse est esse?

NOS igitur dubitationem facilius dissoluentes dicimus quòd res cunctæ, quæcunq; in Orbe uniuerso sunt, siue simul omnes, siue seorsum singulas sumpseris, bifariam considerari possunt. Vno modo quo ad propriã eorum naturam, & substantiam, quam singulæ (dicamus) à natura (ut artem excipiamus) atque ab ipso naturæ opificè Deo Opt. Max. habere dicuntur. quæ nanque ab arte sunt, ab humano arbitrio sunt, in quibus nulla maior necessitas esse potest, quàm sit in aliis humanæ uoluntatis operibus, de quibus cap. VII. prius à nobis abundè satis dictum fuit. Alio modo non quo ad eorum naturam, sed quo ad effectiones suas, & operationes; quas res singulæ,
B pro ratione naturæ suæ, quam à Deo Opt. sortitæ sunt, efficiunt, & operantur. Quo ad essentiam, & naturam rursus duobus modis considerari res posse uidentur. Vno modo in uniuersa specie: ut homo, inquantum homo, in uniuersum, alio modo in singulari, ut hic uel ille homo, & breuiter, ut in humana specie aliquis à natiuitate, & à natura singulari est surdus, alius cæcus, uel claudus, & huiusmodi. Verùm est tamen, quòd quoniam istæ & aliæ id genus dispositiones, & si præter naturam eueniunt: inter effectus tamen, & operationes naturalis causæ numerantur; quod duobus modis natura consideretur; in uniuersali, siue inspecie, & in singulari: & aliqua naturalia sint secundum causam particularem, quæ præternaturalia sunt, secundum communem causam, ut morbi monstra, ut huiusmodi. Duobus propterea tantum modis inuniuersum res considerari dicamus: quo ad naturam, & essentiam, & quo ad effectiones, & operationes suas. si primo modo, atque quo ad earum essentias; in uniuersa sua specie, & quo ad naturas suas, res considerare uoluerimus; bifariam adhuc considerare illas poterimus. Vno modo quo ad principium productionis, & creationis earum; de quo in initio libri Genesis abundè, alio modo quo ad successiuam si
C ue unius ab altero, siue alio modo generationem. Et quocunque istorum duorum modorum illas consideremus; idem ferè erit dicendum: utrisque nanque modis rem, quo ad substantiam suã, sumimus. Verum est, quòd posterior modus dicit operationem quandam causæ naturalis, per quam actiua passiuis ad prolis generationem, & successionem applicantur. cæterùm res ipsa, à natura agente, produci dicitur; quam naturam Deus ipse creauit, & uim eidem agendi aliquam indidit. ut tandem in illa diuisione sit persistendum, in qua res uniuersus duobus modis considerari dicebamus; tum quo ad earum naturam & essentiam; quam Deus in principio creauit; tum quo ad earum actionem & operationem; quàm singulæ, pro naturæ suæ ratione, operantur.

Exposita distinctione, ad quem modum sit Deus rerum, & euentuum cunctorum causa declaratur. CAP. XII.



DIXIMVS superiori capite, res duobus modis considerari; & quibus. Si igitur priore modo, & quo ad earum substantiam, & naturam tantùm, res ipsas consideremus; nihil est. nihil iterum, inquam, est in Mundo, & in tanta rerum uniuersarum multitudine, quod à Deo effectum, ut est, & procreatum non sit.
D sed ita productum est in tempore; ut illud producere Deus per se statuit in æternitate. omnis nempe productæ rei substantiæ diuina uoluntas, & Deus ipse Opt. Max. uniuersa, & integra causa est. cui libet potest hoc esse manifestum ex primis uerbis libri Genesis. Dicebat in priore ad Corinth. cap. XII, Apostolus, Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut uoluit. Non enim est homo liber, rationis particeps, erectæ figuræ, & in partibus suis ita dispositus; quia liberum, rationis participem, erectũ figura, & in partibus suis ita dispositum, ante Mundi, constitutionem, aut in ipsa etiam hominis creatione, homo ipse se ita disponi uoluerit. Sed homo potius ita constitutus est quia Deus, quia, diuina uoluntas, quia diuina clementia, eum liberum, rationis participem erectæ figuræ, talem denique, qualis est, ab æterno esse uoluit; & decreuit. Num Angelus immaterialis, intellectualis, tam excellens substantia est; quia talem angelus ipse, ante Mundi & ante suipsius creationem se esse uoluerit? uel Asinus ne materialis, rudibilis, quadrupes, ad ferendas sarcinas duntaxat aptus est; quia ad hunc modum ita rudem, tam ineptum & stupidum, asinus (antequam uel mundus, uel asinus ipse creatus esset) se constitui uoluerit? absit. cui enim dubiũ, esse potest; quòd si asino data fuisset optio; hominem uel angelum se quàm asinum esse maluisset?

Verum-

Verumenimuerò res, rerumque naturæ illo modo (ut dictum fuit) cunctæ productæ sunt; quo E
ab æterno illas & diuinus intellectus sciuit, & diuina uoluntas producere decreuit. quæ quidem producere ideo decreuit; quia prius suo modo intellectus sciuit. & istud est quod per Augustini uerba, quæ obiiciebantur, intelligendum est. Omnino, inquit ille, uerum est. Vniuersas creaturas & spirituales, & corporales, non quia sunt; ideo à Deo cognosci; sed contra ideo esse, quia Deus nouit. quia ergo sciuit creauit; nō quia creauit, sciuit. Eo nanque modo res cūctas creauit; quo eas nouerat, & quo eas nouerat, easdē creare statuit. loquitur nāque de creaturis B. Augustinus; siue de rebus ea ratione qua à Deo creatæ sunt. creātur etenim res rerūq; substantiæ ipsæ aut etiā in substantiis accidentia nonnulla, non autē rerum operationes. At si secundo modo, idest nō quo ad earū naturam, & essentiā; sed tantū quo ad operationes, & quoad proprias cuiusq; naturæ functiones res ipsas cōsideramus; tunc contra paucas, paucas inquam, & nullas fortasse, ab ipsa diuina uoluntate, ita decretas res esse reperiemus; ut (de lege communi loquendo) suæ operationis, & suæ effectionis omnis, tota, & integra causa sit sola uoluntas diuina. Non dicimus, quin multorum, immo etiam omnium quoruncunque siue naturaliter, siue liberè agentium operationes Deus suspendere, uel immutare queat; ut producendorum alioquin ab eisdem effectuum tota causa Deus esse non posit (quod paulò post luculentius declarabitur) sed dicimus, nullius actionis (fusius autem iamdiu actionis nomine utimur. non enim ignoramus πράττειν, & agere, esse F
quid homini proprium) nulliusq; operationis rerum à Deo conditarum, (non de possibili, sed de facto, & de lege communi, qua Mundum communiter administrare Deum dicimus, & quasi experimur) Deum esse totam prorsus, & integram causam. sunt enim res (ut non malè declararunt Physici) propter suas operationes. cum enim non habuerint res (inquit Auerr. lib. nono Metaph. commento. VII) actiones proprias; non habebunt essentias proprias. Et lib. quarto de cœlo commento. XXII, Actio est finis formæ; forma uerò finis generationis. Aristoteles quoque lib. secundo de cœlo, tex. XVII. Vnumquodque habens opus, est gratia suæ operationis. Nec abhorum dogmatibus in hac causa nostri Theologi discrepant; nisi quòd rerum (ut diximus) operationes, sine earundem corruptione, Deum posse suspendere affirmant: quod Peripatetici non faciunt. Cæterùm Deum res creasses eisdem uim quandam agendi (ne corpore marcescerent, indidisse, ut agerent; ultrò confitentur & docent. Nullius igitur (rursus inquam) rei agentis effectionis (de lege, ut diximus, communi loquendo) & operationis Deus, siue diuina uoluntas tota, & integra causa est: sed modo quodam, quem modum inferius exponemus, concausa potius tantùm dicendus est. Ita nempe (ut prius ex Augustino lib. septimo de ciuit. Dei cap. XXX, diximus) res, quas condidit, Deus administrat: ut easdem proprias operationes agere sinat, quod ex principio lib. Gen. latè declaratur. ubi Deum uim herbis, & animantibus cunctis, indidisse legitur. per quam singula facerent semen, pro generis cuiusque ratione, ut crescerent, & multiplicarentur; & replerent terram. Frustrà nempe fuisset rebus illa uirtus inserta; nisi etiam pro uirtutis ratione, aliquid operaturæ fuissent. Nollem enim te ita religiosum, uel magis superstitiosum ne dicam stupidum esse; ut si igne supposito, aqua, quæ in lebete est, ebuiliat: à Deo tantùm, non autem ab igne excalefactam ferueścere aquam opinareris. Non'ne si ignes subduxeris: illam statim deferuere conspicies? Quod si ebullitionis tota, & integra causa erat Deus: nulla relinquitur ratio; quare aqua subtracto igne deferueat. Non est ergo istius, ut dicebamus, operationis, & aquæ ebullitionis tota, & integra causa Deus; sed & Deus, & ipsius ignis natura. adde etiam, si placet, tertiam causam, hominem scilicet: qui lebeti ignem supposuit; agentiaque patientibus applicauit. Verumtamen quia Deus est rerum omnium causa; est etiam rerum & operationum earum causa; nec causa utcunque, sed essentialis, & prima. Quia rursus est effectionum, & operationum omnium quorumcunque agentium quouis modo, siue naturaliter agant, siue liberè, prima causa: ideo in quamlibet cuiuscunque causæ operationem, plus ille influit, plus efficit, quàm aliqua secunda causa: ut in ista etiam aquarum ebullitione, plus Deus efficiat, quàm ipse ignis. Verùm etsi in huiusmodi operationibus magis, quàm faciant secundæ causæ, influat, & magis efficiat Deus Max. hoc tamen constantissimum esse debet; quòd non est, ut diximus (de communi semper lege loquendo) earum operationum Deus tota causa; sed tantùm (ita nunc dixerim) pars causæ: siue, ut in scholis dicitur, partialis causa, & (ut paulò ante dicebamus) concausa. concausa inquam, non ad illum modum, quo duo eandem nauim trahentes, aut etiam mas & fœmina sunt partiales concausæ filii; sed ad eum potius, quo Sol, & homo (sed in multis exemplum etiam deficere eruditi cognoscunt) hominem generare dicuntur. Nanque, ut sine Sole, id est sine motu, & lumine cœlesti; homo frustrà in hominis generationem nititur: ita agens quodcunque sine Deo, ad agendum, incassum properat; cum nisi à Deo seruaretur, ne esset quidem; sed in nihilum statim redigeretur. Est igitur Deus causa, quæ aliis causis cunctis auxiliatur; & eis, ut causæ sint, & ut aliquid operentur, est causa: quibus etiam suppetias perpetuò ferre non desinit; quòd si desineret, nil ulterius illæ agere possent. Sed redeo ad prima. Si igitur operationis ignis

(Marginal letters: G beside "integra causa est…"; H beside "…effectionum, & operationum".)

A ignis (qui agens naturalis est, & ex natura sua ad unius generis operationes decretus, atque determinatus est) non est Deus tota, ut diximus, causa; sed pars tantùm; eo modo partem exponendo, quo exposuimus: quatenus agentem seruat; & eidem ut causa esse possit, cum impartitur, auxiliaturque. quod idem de reliquis quorumcunque efficientium operationibus existimandum est; actionum humanarum, quum inter subcœlestia omnia, homo unus sit uoluntatis, & arbitrii, particeps; & ad opposita operationum genera solus ualeat; & sui ipsius sit maximè compos, Deum ita, quod multi scioli faciunt, auctorem faciemus; ut nihil nobis, contra non solùm humanæ naturæ sed rerum etiam uniuersarum constitutionem; & contra ipsius uoluntatis naturam, & essentiam; & contra agentium aliorum ordinem, sit relictum? Sed id tantùm ineuitabili quadam necessitate, quod à diuina uoluntate de nobis, sine nobis, decretum fuerit; nos uelle, uel nolle putabimus? & non aliter, quàm operamur, posse nos uelle, uel nolle operari, nos ipsi existimabimus? absit, à nobis procul hæc impia & sacrilega opinio. Nostrarum etenim operationum, ut superius cap. VI, abundè uidimus, & alibi, quum de humana libertate, disputaremus, fusè diximus, nos dominos esse Deus uoluit: uoluntatemque nostram, ut prius loco citato huius libri dicebamus, ita à natura liberam esse, constituit; ut neque ab ipso suo conditore, plusquam eadem uoluerit, cogi possit. nostrum est enim, nostraque in potestate collo-
B catum est uelle, nolle, appetere, non appetere, assentire, aut dissentire, eligere, aut reiicere, sequi, aut declinare, persequi quod inchoatum est, aut abiicere, uel iam abiectas actiones resumere, & resumptas deponere, ac uertere, flectereque sese ad alia. Nec iam sunt, uel aliquando futuræ sunt unius, uel alterius generis nostræ siue bonæ, siue malæ actiones, & operationes; quoniam tales ab æterno Deus illas cognouerit: sed contrà: quoniam tales à nobis, uel sunt, uel futuræ sunt, pro arbitrio scilicet, ex nostræ uoluntatis electione, illas propterea huius, uel illius generis esse, uel futuras esse, ab æterno, Deus cognouit. Hoc est quod ad Roma. cap. VIII, dicebat Orig. Non propterea aliquid erit; quia id scit Deus futurum: sed qua futurum est; scitur à Deo, antequam fiat. Hoc enim modo Origenem loco citato exponendum arbitramur: ut de rerum operationibus cunctis, sed præsertim humanis, non de rerum naturis, ibidem ille loquatur. cuius hæc sunt ex interprete uerba. Nam & si communi intellectu, de præscientia, sen-
» tiamus: non propterea tamen erit aliquid; quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est; sci-
» tur à Deo antequam fiat. Nam & si uerbi gratia fingimus Deum, non prænoscere aliquid; futu-
» rum tamen sine dubio, ita erat; ut puta quòd Iudas proditor factus est; & hoc ita futurum pro-
» phetæ prædixerunt. Non ergo quia prophetæ prædixerunt, idcirco prodidit Iudas: Sed quia fu-
C turus esset proditor: ea, quæ ille ex propositi sui nequitia, gesturus erat, præduxerunt prophe-
» tæ. cum utique Iudas in potestate habuisset: ut esset similis Petro, & Ioanni, si uoluisset: sed e-
» legit pecuniæ cupiditatem magis, quàm Apostolici consortii gloriam. Et hanc eius uoluntatem
» futuram præuidentes prophetæ, librorum tradiderunt monumentis. Hæc ibi Orig. In com-
» mentariis etiam super Genesi. Dicam, inquit idem Origenes, etiam si absurdum multis forsam ui-
» deatur: id, quod futurum est, causa est; ut Deus euenturum illud præuideat. Hactenus ille, qui
» (ut per exemplum, quod adduxit, de Iudæ proditione, clarissimè patet) de operationibus hu-
» manis, non de humanæ naturæ constitutione, loquebatur; cum aiebat. Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed contrà quia futurum est, scitur à Deo antequàm fiat. In lib. quæst. ad Orthodoxos, quæst. LVIII, Origenianæ sententiæ subscripsit Iustinus Philosophus, & Martyr ex interprete inquiens. Proditionis Iudas ipse fuit auctor; quam futuram sciens Deus,
» prædixit, per literas; nec est prænotio causa eius, quod futurum erat, sed quod futurum erat;
» causa est prænotionis. Non enim prænotionem sequitur res futura; sed rem futuram prænotio;
» nec ullo pacto, qui prænoscit, causa est rei futuræ. Itaque non Christus causa est proditionis;
D sed proditio causa est prænotionis Domini. Hactenus Iustinus. Simili modo B. Chrysostomus
» Homil. LX super Matth. edisserens illud Luc. XVII. Necesse est ut ueniant Scandala, inquit.
» Non ipsius prædictio, scandala inducere, putanda est. Non enim quia futura scandala Dominus
» prædixit; idcirco ueniunt; sed quoniam omnino uentura erant; idcirco prædixit. Eodem pror-
» sus modo exponere possumus illud Apost. Priore ad Corinth. XI, oportet hæreses esse. Ad eundem modum Atticus Hieronymianus aduersus Critobolum lib. tertio contrà Pelagianos inquit. Neque enim ideo peccauit Adam; quia Deus hoc futurum nouerat: Sed præsciuit Deus, quasi Deus, quod ille erat propria uoluntate facturus. Idem superius Ezechiele cap. II affirmat. B. Hieronymus. Idem super illis uerbis Ieremiæ XXVI. Nolite subtrahere uerbum, si fortè au-
» diant, inquit, Non enim ex eo quod Deus scit futurum aliquid; idcirco futurum est; sed quia fu-
» turum est; Deus nouit; quasi præscius futurorum.

Ad concordiam sancti doctores reducuntur; qui in hac materia sentire contraria uidebantur; & dubitatio tandem dissoluitur. CAP. XIII. E



AD ARGVMENTVM igitur respondentes dicimus: hosce doctores ecclesiæ præstantissimos, in eandem uenire sententiam. Nam & Augustinum, & alios ecclesiæ proceres, & doctrina insignes Theologos, qui diuinam scientiam asserunt esse ipsarum rerum uniuersam, & integram causam, cum illis conuenire asserimus: qui illam affirmant esse earundem quasi effectum. Illi enim de rebus, quo ad earum naturas, & essentias, quibus à Deo solo, secundum diuinam, & à nobis ineffabilem sapientiam suam, res sunt conditæ; isti uerò de rebus non quo ad naturas earum, sed quo ad operationes, quæ ex earundem naturis prodeunt, loquuti fuerunt. Nisi enim de rebus, atque de rerum substantiis, loquutus fuisset D. Augustinus; non dixisset; quia ergo sciuit, creauit. Creantur enim (ut prius diximus) à Deo non rerum operationes, sed res ipsæ, atque rerum substantiæ, & naturæ; uel saltem aliquæ in ipsis rebus qualitates & accidentia: quæ sunt aliarum in operibus, qualitatum principia; iuxta illud Psal. L. Cor mundum crea in me Deus. Cæterùm de operationibus idem sentit Augustinus quod Orig., Hieronymus, F Chrysostomus, Iustinus & alii multi. Qua propter libro quinto de Ciuit. Dei cap. IX, ita scribit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non uoluntatum. Malæ quippe uoluntates ab illo non sunt; quoniam contra naturam sunt; quæ ab illo est. per malas autem uoluntates, actiones obliquas intellexit. Item lib. III, de Libe. arb. cap. IIII, ait. contra Euodium, Sicut tu memoria tua, non cogis facta esse; quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua, non cogit facienda; quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi: nec tamen quæ meministi omnia fecisti: ita Deus omnia, quorum ipse auctor est, præscit. nec tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est. quorum autem non est malus auctor; iustus est ultor. ubi quarundam licet malarum actionum, non esse Deus causam asseruit. Et lib. de prædestinatione & gratia cap. XV. Si dicitur (inquit) iam Pharaonem non potuisset mutari; quia eum præsciuerit « Deus, non esse mutandum. Respondetur. Dei præscientiam non cogere. homiuem, ut talis sit; « qualem præsciuit Deus. Sed præscire talem futurum, qualis futurus est. quamuis eum non sic fe « cerit Deus. Et lib. de Prædest. sanctorum cap. X. præscire potens est Deus; etiam quæ ipse non « facit: sicut quæcunque peccata. & lib. VI. Hypognosticon. Ideo Deus (inquit) cui præscientia G non accidens est; sed essentia, fuit semper, & est: quidquid, antequàm fit, sicut præscit, prædestinat; & propterea prædestinat; quia quale futurum sit, præscit. Hæc August. Dicimus igitur de « rebus, & rerum substantiis non ideo res, atque rerum essentias, Deum cognoscere; quia eas pro- « duxerit: sed contrà ideo produxisse: quia illas nouerit. de operationibus autem rerum contrà se « habet res. Non enim ideo eas produxisse dicimus; quia nouerit: sed potius ideo eas nouit: quia modo sibi, de communi lege, conuenienti easdem produxerit, asserueramus. Et tota ratio dissimilitudinis illa est; quam prius diximus: quoniam rerum essentiæ, non autem earundem operationis, Deus est tota & integra, & sola causa. Vt autem rerum non æternarum dicebat Iamblichus, ita nos ipsarum rerum operationum dicere utcunque possumus: quòd Deus sit concausa: concausam semper illo modo & nullo alio intelligendo; quo paulò ante exposuimus. Non me latet, quàm malè congruat diuinæ maiestati uox hæc concausa. sed cogimur illis uti nominibus, quæ habemus. Non est igitur, ut ad dubitationem illam perdifficilem, quam prius cap. IIII, tetigeramus, tandem dicamus; omnimoda dissimilitudo, inter eum, qui in foro uidet hunc, uel illum, hoc uel aliud agentem: & Deum, qui ex alto cuncta prospectat. utriusq; nempe tam Dei, quàm hominis cognitio à rebus, siue ab effectionibus, & ab operationibus rerum suo modo producta H est. quòd si non contemnenda est similitudo: responsio quoque illa non erit abiicienda: ut etsi Deus cuncta præsciat; & simul uniuersa contueatur; nulla tamen hinc rebus emanet necessitatis ratio; ut ea, quæ eueniunt, de necessitate, & quodam quasi fatali decreto, euenire suspicandum sit; quòd non sit ipsorum euentuum Deus tota ipsorum euentuum atque integra & adæquata causa; sed (dicere liceat) pars, & concausa, quatenus agentia cuncta pro ratione naturæ suæ agere ille permittit; hoc est non impedit, sed adiuuat illa, eisdemque (ita dixerim) coagit, suppetias successiuè ferendo, & agentem ipsum in esse seruando.

Ad quem modum diuina uoluntas de euentibus contingentibus cunctis & temerariis decernere, ac determinare dicatur. CAP. XIIII.

A EX HIS, quæ, superiori capite, dicta fuerunt; euidenter satis colligere possumus; agentium operationes, & futuros euentus, non ita à diuina uoluntate, decretos esse, ut sunt rerum essentiæ, & naturæ. De his nanque solo suo consilio, sine rebus ipsis seipsa decernit. At de illis (præter nonnullas, quas sibi archano consilio seruari uoluit) non sine ipsis rebus, sed unam cum ipsis, hoc est pro rerum ipsarum natura, atque ui, & potentia, uel impotentia, nec non pro ipsarum (ita dixerim) arbitrio, uel appetitu, siue propensione, & inclinatione, & modo quodam rebus ipsis accommodata, atque (dicere liceat) inclinata diuina uoluntas tandem decernit. Nam in lib. Sap. cap. VIII, de diuina sapientia ita legimus. Attingit à fine usque ad finem fortiter; & disponit omnia suauiter. Attingit quidem à fine usque ad finem fortiter; quatenus cuncta à suprema usque ad infimam creaturam, creat, conseruat, curat, atque administrat. creare nanque minimam quamcunque rem; & uniuersa seruare, atque protegere; solius infinitæ uirtutis est; & omnium efficacissimæ; quæ potens adeo, & efficax sit; ut solo nutu, uniuersa efficiat. Additum est propterea, à Spiritu sancto, aduerbium, [fortiter] idest potenter; ut illius potentiæ atque uirtutis, quæ à fine usque ad finem attingere dicitur, immensitatem, quæ nullo
B fine concluditur, intelligeremus. Quamobrem ad Trasimundum regem lib. secundo B. Fulgen-
» tius inquit. Hic utique cum à fine usque ad finem sapientiam attingere audimus; intelligendum
» est; quia cum à fine usque ad finem attingit; utrunque finem immensitate suæ infinitatis excedit.
» ille enim omnem potest creaturam attingere; quem omnis non potest creatura concludere. Nã
» sicut implens cœlum perseuerat immensus; sic à fine usque ad finem attingens permanet infinitus.
» Hæc ille. Disponit uerò omnia suauiter. disponit sanè; in quantum res uniuersas certo quodam ordine distribuit; mirisque dotibus exornat, atque uirtutibus; quibus aliquid agere, & operari, illæ ualeant; & in primis rem sibi similem generare, quinetiam easdem, dum operantur, adiuuat atque dirigit; non autem urget; aut cogit; aut aliò earum uim, & actionem inflectit; quàm quo ipse sese tendere ipsa sapientia contuetur. Nempe si res ad operandum cogeret; aut alio, quàm ipsæ uellent, aut earum formæ, & eisdem à Deo inditæ naturæ inclinarentur, & niterentur, inflecteret sua potentia; non res, & rerum uirtutes, & actiones suauiter, sed insuauiter, & rigidè, quia uiolenter, & præter earum naturam, disponeret. at scriptura inquit [disponit omnia suauiter] nec est contenta dicere [disponit omnia] sed adiici uoluit aduerbium [suauiter] ut diuinæ dispositionis modum ostenderet suauissimum; & creatarum rerum naturis accommodatissimum. Res igitur, pro earum ratione, & natura, operationes proprias Deus agere sinit. si-
C nit, inquam, non illas relinquendo & deserendo, qui ubique præsens est; sed adiuuando, & ad optatum ab eis finem singulas dirigendo. Hæc, puto, significare nobis uoluit. B. August.; quando lib. secundo de lib. arb. cap. XI, ea potentia (dixit) qua à fine usque ad finem Deus attingit.
» numerus fortasse dicitur; ea uerò, qua disponit omnia suauiter, sapientia propriè iam uocatur;
» cum sit utrumque unius eiusdemque sapientiæ. Et prosequendo, quæ sunt in Orbe uniuerso sin-
» gula, etiam minima corpuscula, suis numeris, creata, & absoluta fuisse declarat. Non essent autem suis numeris absoluta cuncta; si eorum actiones aliò torquerentur, & flecterentur; quàm quo natura sua, & suæ naturæ conditio naturaliter tendit; & inclinatur. Hæc potest esse illa dispositio; & hic ille rerum ordo; cuius in diffinitione fati meminerat prius Boethius; quum fatum esse, dixerat, inhærentem rebus mobilibus dispositionem; per quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus. Non enim hoc loco B. Thomæ lib. tertio aduersus gentes cap. XCIII, probamus expositionem; qui per inhærentem dispositionem, rerum duntaxat ordinem, & nil prætere a uoluit intelligi. nos quippe non ordinem tantùm; quo uel res una ab altera procedit, uel cunctæ à diuina sapientia, & prouidentia emanant & ad finem suum ordinata est unaquæque, sed & ip-
D sam rerum qualitatem, atque uirtutem, per quam, aliarum siue rerum, siue operationum, & euentuum aliæ principia sunt; per inhærentem rebus dispositionem intelligimus; quæ uirtus & suauiter in re disponitur; quatenus rei cuique, pro ratione naturæ suæ, certa distribuitur; & suauiter in aliam ordinatur; quatenus non suiipsius, sed alterius hoc est, efficiendæ rei gratia, à Deo Opt. uirtus rebus impartiatur; & singulas pro uirtute sua agere, permittat. agunt autem hæc unum, illa aliud, & aliqua naturaliter, alia spontè, nonnulla liberè; & quocunque modo agant; suauiter agunt; idest pro ratione naturæ suæ, & diuino semper assistente auxilio. Hoc est illud decretum, per quod superius dicebamus, euentus omnes, idest uniuersa cunctarum simul rerum opera, diuina uoluntate; esse decreta; quòd ipsa diuina uoluntas, in omnibus rerum euentibus, & ipsarum operationibus, ita decreuerit fieri ut nouit, agentia cuncta pro tempore, & eorum natura & posse & uelle facere; in omnibus inquam præterquam in paucis, in quibus ostendere uoluit; quantum ipsa possit, si uelit, præter, & contra etiam uim, & ordinem secundarum causarum & rerum omnium à se productarum. Verùm illud semper habendum præoculis est; quod prius libro quinto dictum à nobis fuit; quod peculiari modo hominis Deus procurationem ha-

bere dicitur: ſpeciali propterea quadam ſuauitate res humanas ills diſponit. quod nobis ad Rom. E
VIII ſignificauit Apoſtolus, cum dixit, Nos quid oremus, ſicut oportet, neſcire, ſed ſpiritum ip "
ſum poſtulare pro nobis, noſtræ infirmitatis adiutorem; cuius deſiderium nouit ille: qui ſcruta- "
tur corda. Non enim decreuit diuina uoluntas: ut uelim, nolim, ego ſcribam: ſed ſua ineffabili ſa
pientia nouit ab æterno, iis me temporibus, hanc de diuina præſcientia diſputationem uelle & poſſe ſcribere: & quia nouit, decreuit; hoc eſt dictu, inter ea, que efficienda erant, iſtam meam uoluntatem admiſit: nec admiſit ſolùm: ſed ſe etiam auxiliatricem exhibuit. admiſit autem, quia cauſarum ordinem, quæcunque cauſæ illæ ſint, ad hanc ſcripturam uſque non impediri intellexit, & mihi, ac ſpiritui meo, qui rectiſsimus eſt, ſuppetias ſe laturam decreuit. Nec decreuit ſimiliter uoluntas diuina, ut annuente, uel renuente ſacro Cardinalium collegio Pius IIII in ſummum Pontificem eligatur; ſed quia ab æterno ſanctum huius collegii deſiderium nouit; ideo eidem ſe auxiliatricem exhibere; & prudentiſsimum pariter ac ſapientiſsimum ſui ouilis paſtorem, pro ſpiritus deprecatione PIVM IIII nobis concedere decreuit. Ita enim cuncta ſiue eueniant ſiue non eueniant; ſtant apud diuinam uoluntatem decreta; ut ſunt eorum cauſæ, & principia in natura, & in Orbe uniuerſo diſpoſita; quæ ſiue ex naturæ ratione, ſiue ex uoluntatis arbitrio, & electione agant; apud eandem nota, ideſt nuda prorſus, & aperta conſiſtunt. quæ nulla F
neceſsitate, & coactione, ſed pro cuiuſque naturæ ratione, liberè, uel naturaliter bene uel malè, ab eadem agere permittuntur, nec permittuntur ſolùm; ſed eiſdem etiam, ſi bene; & rectè operatura ſunt; auxiliatur, nec auxiliari deſinit; quouſque optatum ab eis finem, uel etiam optato fine quid melius denique conſequantur. In bene & rectè agendis, diuinum decretum intelligere, non admodum difficilè eſt; & in iis, quæ malè, & non ſine crimine, & culpa aliqua eueniunt diuina uoluntas non ſatis manifeſta eſt. cùm mali auctor minimè omnium Deus ſit. Veruntamen diuinam etiam uoluntatem in his, producto exemplo per bellè declarare poſſumus. Lib. II. Reg. cap. XVI. improbus Gemini filius, maledicebat Regi Dauidi; hunc "
nonnulli percutere uolebant, quibus Rex, Quid mihi, & uobis filii Seruiæ? dimittite eum, ut "
maledicat; quia Dominus dixit illi, maledicere Dauid. Hunc locum lib. de Gra. & lib. arb. cap. XX, "
ediſſerens B. Aug. inquit. Non iubendo dixit (ſupple tu, Deus) ubi obediētia laudaretur; ſed quòd "
eius uoluntatem, proprio uitio ſuo, malam, in hoc peccatum, iudicio ſuo iuſto, & occulto, inclina "
uit (iterum ſupple, Deus) ad quem modum autem inclinauerit. paucis interpoſitis, idem Auguſt. "
declarat inquiens. Nec cauſa tacita eſt; cur ei dominus iſto modo dixerat maledicere Dauidi; hoc G
eſt, cor eius malū miſerit, uel dimiſerit. Hæc ille. quibus dicitur primùm, [Deū dixiſſe, ut ille ma "
le diceret Dauidi] at quid eſt Deum dicere, niſi Deum decernere, & ſtatuere? poſtea quō dixerit, declarat, cum inquit [cor eius malum dimittendo, mala nanque Deus decernit, corda dimittendo; bona uerò, hominum uoluntates adiuuando. Quoniam autem de malis Deus decernit, non eligendo, aut adiuuando, aut dirigendo; ſed tantùm dimittendo: à quibuſdam propterea doctis, ac ſanctis uiris, ritè, piè, & catholicè mala à Deo non determinari, dicuntur. Vnde Damaſcenus lib. de Fide orthodoxa. Oportet (inquit) intelligere: quòd omnia quidem præcognoſcit Deus; "
non autem omnia prædeterminat. præcognoſcit enim omnia; quæ in nobis ſunt; ideſt à poteſta- "
te noſtra dependent; non autem ea prædeterminat. Hæc ille. Ea minimè inter determinata à Deo "
numerando; quæ Deus dimittendo decernit. Vt uerbis tantùm ab Auguſtino diſſentiat; qui & bona, & mala determinari à Deo rectè exiſtimauit: modis tamen (ut dictum eſt) diuerſis. Si res igitur ita ſe habet; ut ſe habere uerißimum eſt; & tam ſua ui (ut dictum eſt) modo, res uniuerſas diſponit; ut de rerum euentibus nihil plus (de communi lege loquendo) ſtatuat Deus & decernat; quàm illud, quod à ſuis cauſis proximis, ſiue ſingulis ſeorſum, ſiue pluribus ſimul, ſiue omni H
bus unà collectis, fieri ab æterno, & produci perſpexerit. Si rem unamquanque pro natura ſua, & naturæ ſuæ inclinatione, animalia cætera pro appetitu ſpontaneo, hominem pro arbitrio agere permittat; alioqui non ſuauiter omnia diſponeret, ſed inſuauiter. Si & rebus cæteris, & animalibus brutis, & homini inter agendum, multa ſæpenumero occurrant: quibus ne id, quod agere inſtituerant, agant; ſed fine propoſito fruſtrentur. ſi in his, quæ uel ab homine, uel à bruto, uel ab aliis cauſis fieri uidentur, nulla eſt (quatenus fiunt) niſi (ut dictum fuit) ſuppoſitionis neceſsitas; quoniam omne quod fit, dum fit, neceſſe eſt fieri. Et omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe; ſi in cunctis rerum à Deo certiſsimè etiam præcognitis euentibus, neceſsitas aliqua, etiā ſi cuncti fato, ideſt ex inhærente ſuaui illa diuina diſpoſitione fiant: de qua paulò ante & per quam diuina prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus, niſi ſuppoſitionis ſtatuenda non eſt; cum qua nihilominus ſuppoſitionis neceſsitate, contingentiam, fortunam, caſum, & temeritatem ſtare, nemo eſt, qui non intelligat euidentiſsimè, cùm ipſa neceſsitas ſuppoſitionis, ſpecies ſit quædam contingentiæ, cui dubium eſſe poterit; nullam ex diuina prouidentia, nullam ex fato (ex fato inquam quod uerè fatum eſt) hoc eſt ex diuina uoluntate, & ex Dei Opt. Max. decreto nullam ex diuina præſcientia, poſſe ſimiliter eſſe in rebus neceſsitatem, niſi ſuppoſitionis. Sequitur igitur, ut illud

A lud nunc tandem collectum ac demonstratum esse intelligamus; quod à principio probare ac demonstrare proposueramus; uidelicet & fatum nihil aliud esse quàm diuinā uoluntatē rerum ab se productarū inclinationi ac propensioni apprimè, dixerim, inclinatam, atq; accommodatā: & cum rerum necessitate, nec non cum diuina prouidentia, & cum fato, & cum diuina præscientia fortunam, casum temeritatem & omnē breuiter contingentiæ naturā locum habere posse, immo habere quam amplissimmum. Et præterea argumenta illa atque illas connexiones, Hoc fato fit, igitur ineuitabili necessitate Deus illud præscit, ergo non potest non esse per diuinam prouidentiam. Id factum est, non ergo poterat non fieri, & alias id genus uanissimas esse & falsissimas, & quæ rudiorem ac simpliciorem lectorem decipiant. Nulla est enim in iis & aliis id genus necessitas nisi illationis & consequentiæ, qualis in illis est, Socrates currit, igitur non moueri non potest.

Aduersus ea, quæ in superioribus dicta fuerunt, quinque dubitationes tanguntur. CAP. XV.



B NONDVM plenè quiescit animus; quoniam his, quæ in superioribus dicta fuerunt, multa uidentur posse obiici. Talis est (dicebat Boethius lib. quarto de Consol. prosa VI) ista materia: ut una dubitatione succisa, innumerabiles aliæ, uelut hydræ capita, sucerescant. Vnum, Quoniā sequi uidetur prædestinationem, ex operib. præuisis, non autem ex mera diuina gratia, pendere. Cuius oppositū lib. de Humano arbitrio, ex B. Aug. à nobis demōstratū est. Probatur. Nā & si nō sint merita nostra prædestinationis cā: pro ratione tamē nostrorum meritorum exhibetur nobis gloriæ præmiū; cum autem merita sint operationes nostræ, operationum aūt nostrarū, ex his, quæ piè & catholicè diximus, non sit Deus tota causa: cùm nos ēt, sed diuino auxilio, bene operemur. neq; ergo prædestinati nobis præmii erit Deus totalis causa: immo nostra merita, ad causæ integritatem, concurrent. Sed non aliter possunt concurrere; quàm ut præuisa. erit igitur ex præuisis meritis prædestinatio. cuius oppositum loco citato, id est libro de Humano arbitrio diffiniuimus. Alterum cùm omnis scientia (ut prius arguebatur) rei, cuius est scientia, aut effectus, aut causa sit: cognitio, quam de rerum euentibus & de operationibus nostris habet Deus, non est (ut superiori capite demonstratum fuit) nostrarum operationum causa; alioquin ineuitabili necessitate euenirent omnia; erit igitur earundem effectus. Generabitur ergo à nobis, & ab humanis operationibus, scientiæ aliquid in Deo. quod asserere, cum diuina excellentia, ac maiestate pugnare uidetur. Scientia enim Dei (ut lib. decimoquinto de Trinitate cap. XIII, admonet August.) sapientia eius est: eius uerò sapientia, eiusdem essentia est. Non minus igitur absurdum est, dicere; scientiam qualemcunque, ab iis rebus, in intellectu diuino produci; quàm dicere, ab eisdem, diuinam essentiam generari; quod non mens sola, & ratio, sed aures etiam abhorrent. Confirmari potest argumentum, Quoniam (ut doctè lib. undecimo de Ciuit. cap. XXI declarauit Augustinus) ab æterno Deus nouit, quæcunque nouit. Res autem esse habent ex tempore; qui igitur, cum nondum res erant; in diuino intellectu scientiam efficere poterant?

C

TERTIO diuinæ præscientiæ, eo, quo fuit à nobis, modo declaratæ, ea obstant omnia, quæ libro quinto de Consol. prosa III, obiecit Boethius; ea autem uerbis suis referemus. Neque enim (inquit) illam probo rationem; qua se quidam credunt hunc quæstionis nodum posse dissoluere. aiunt enim, Non ideo quid esse uenturum: quoniam id prouidentia futurum esse prospexerit; sed è contrario potius; quoniam quod futurum est: diuinam prouidentiam latere non D possit. eoque modo necessarium est, hoc in contrariam relabi partem. Neque enim necesse est contingere; quæ prouidentur; sed necesse esse, quæ futura sunt, prouideri. Quasi uerò quæ cuiusque rei causa sit, præscientia'ne futurorum necessitatis: an futurorum necessitas prouidentiæ; laboretur. Et aliquot interpositis. quatuor mediis, contra hunc modum dicendi quem nos in superioribus sequuti fuimus, & multorum sanctorum patrum testimonio roborauimus est, argumentatus. Quæ eiusdem similiter uerbis explicabimus.

PRIMVM. Nam etiamsi idcirco, quoniam futura sunt, prouidentur; non uerò ideo, quoniam prouidentur, eueniunt: nihilominus tamen à Deo, uel uentura prouideri, uel prouisa euenire, necesse est: quod solùm ad perimendam arbitrii libertatem (adde tu, & omnis contingentiæ naturam) satis est.

SECVNDVM. Iam uerò quàm præposterum est: ut æternæ præscientiæ temporalium rerum euentus, causa esse dicatur.

TERTIVM. Ad hæc sicuti cum quid esse scio: idipsum esse necesse est: ita cùm quid futurum noui: idipsum futurum esse necesse est. Sic fit igitur: ut euentus præscitæ rei nequeat euitari.

POSTREMVM. Si uti sunt, ita ea futura decernit prouidentia: ut æquè fieri ea, uel non fieri

posse cognoscat. Quæ est hæc præscientia: quæ nihil certum, nihil stabile compræhendit? Aut quid hoc refert uaticinio illo ridiculo Tiresiæ? Quicquid dicam, aut erit, aut non? Hæc obiecit Boethius. E

QVARTO. Quoniam aduersus multorum patrum definitionem, & sacræ scripturæ au&toritatē aliquam humani peccati causam Deum esse, sequeretur. Quia nanque humanæ (ut dictum fuit) operationis Deus causa est, licet non integra; liceat in sano sensu, hoc est in eo, quo prius à nobis fuit expositum, concausæ nomine uti. Quamuis non me interea prætereat, apud peritos, & cordatos, Theologos, nomen concausæ Deo nudè tributum, minus rectè sonare; inter humanas autem operationes uidentur esse, occidere, furari, fornicari, & alia id genus innumera; quæ à Theologis uno uerbo, peccata dicuntur. igitur earundem operationum concausa erit Deus. Cuius (ut diximus) oppositum & sancti patres, & sacræ literæ proclamant, ut in tractatu de Prædestinatione abunde à nobis demonstratum fuit. absit nobis ut culparum nostrarum Deum auctorem faciamus.

QVINTO est argumentum illud certæ difficile, Quoniam ad opus, uel seipsam determinat humana uoluntas; uel determinatur à Deo si primum aliqua erit actio humanæ uolnntatis, ipsa scilicet sui ipsius determinatio, cuius nulla penitus causa erit Deus, unde consequens erit, non omnium nostrarum operationum Deum esse, primam causam, & operis adiutorem. Cuius contrarium semel prius, atque iterum asseruimus. Si secundum, Sequitur rursus quòd alicuius humanæ operationis, quoniam ipsius humanæ uoluntatis determinationis; erit Deus tota causa. quod nihil minus iis, quæ in superioribus, dicta fuerunt, aduersatur. Præterea quod magis urget, illud sequetur absurdissimum, quòd cùm uoluntatis humanæ determinationem humanæ operationes insequantur omnes: ab illaque, pro uarietatē determinamanæ uoluntatis ad tionis, uariæ eueniant: humanarum actionum cunctarum Deus erit tota causa, [illegible]d ab illo hu- agendum determinationes proficiscerentur; nec alia, aut alio modo poterit ho[illegible]rari; quàm ea, & eo modo, quo eius uoluntatem, ad agendum, Deus ipse determinauerit. Hæc omnia iis, quæ de sententia catholicorum Theologorum superius à nobis, fusè satis declarata & definita fuerunt; insuper & fortunæ, & temeritati, & humano arbitrio, & uniuersæ denique contingentiæ rationi, quæ in rebus ipsis esse demonstrauimus, repugnare uidentur. F

Ad primam dubitationem respondetur: & in responsione, quomodo ad prædestinationem præuisa merita faciant, breuiter declaratur. Cap. XVI. G



EX iis, quæ lib. de Humano libero arbitrio, dum de prædestinatione disserebamus dicta fuere; ad dubitationem primam patere facilè potest responsio. Dictum est enim; duplicem esse prædestinationem, unam ad gloriam; ad gloriam inquam nudè & simpliciter intellectam. Alteram non ad ipsam gloriam nudè sumptam, sed sumptā cum certo gradu. Hæc distinctio ex uerbis D.N.Io.XIIII, colligi potest, cum inquit, In domo patris mei mansiones multæ sunt. per domum gloriam intelligo quam exhibiturus nobis Deus est, per mansiones, diuersos pro meritorum ratione gloriæ gradus. Multæ nanque mansiones (inquit B. August.) diuersas meritorum in una uita æterna significant dignitates. Ad priorem quidem prædestinationem quæ ad gloriam tantùm & ad domum est, nihil humanas operationes ex D. Aug. conferre diximus: sed illius, sola diuina misericordia, & ineffabilis, qua delet culpas nostras, diuina bonitas est tota causa. Ad posteriorem uerò, quæ ad mansionem, & ad certum gloriæ gradum est, humanas operationes aliquid, tanquam medium conferre, easque esse aliquam prædestinationis causam, idest causam, sine qua non, concedimus; quamuis quod ad prædestinationem & ad gloriam nostræ operationes conferant; quòd medium sint; quod aliqualis causa sint; ex diuina etiam gratia, & diuina prædestinatione habeant: ex quibus præuisis operibus, ad alium, alium gloriæ gradum, pro meritorum ratione, nos prouehendos diuina pietas ita uoluit; sicut nouit. nouit certè prius meritorum pondus, quam ad hunc uel illum gloriæ terminum nos decernat. prius inquam natura, siue origine, non autem aliquo temporis interstitio, cum supra tempus, sit ipsa diuinæ maiestatis operatio Sed dubitabit hoc loco lector, Si ut ad domum, & ad gloriam prædestinemur, nihil ex nobis requiratur; sed hoc unius diuinæ misericordiæ sit, consequens est ut uel omnes ad gloriam prædestinemur, & salutem consequamur cuncti, uel acceptor personarum Deus sit. Vtrunque falsissimum & absurdissimum iudicatur. H

DICENDVM est, neutrum sequi. Verum quidem illud est, quod infertur, uidelicet quòd omnes ad gloriam prædestinamur, quatenus Deus omnium salutem exoptat, & neminem uult perire, sed pro omnibus CHRISTVS mortuus est, ut omnium peccata deleret, omnesque in beatitudinem (quatum in se est) destinat, ordinatque præceptis, & admonitionibus. Falsum tamen est quo

A quod salutem consequamur omnes: sed qui non consequuntur, per eos stetit non autem per Deum, ut nullo modo acceptor personarum dominus dici posit. qui uerò consequuntur, atque diuinam domum ingrediuntur, ex mera quidem diuina gratia in domum permittuntur: quam cuicunque dominus gratanter obtulit; ex meritis uerò mansionem, & certum in domo gradum receperunt. Sed de his lib. de humano arbitrio parte ea, in qua de prædestinatione à nobis tractatum est, diffusius & exactius dictum fuit.

Ad secundam dubitationem respondetur, & pro responsione quatuor prænotantur. Cap. XVII.



AD SECVNDAM dubitationem, quæ difficilis est, respondebimus, per aliquot dicta. dicimus igitur primò, uerum esse omnem scientiam esse rei, cuius est scientia, uel causa, uel effectus: adde, uel utrunque; modis tamen diuersis. causa est sola diuina scientia, effectus uerò omnis alia, à diuina; quæ in quouis intellectu creato reperitur. utrunque diuina quidem, respectu rerum omnium, quæ à quacunque causa agente efficiuntur humana uerò respectu eorum, quæ
B potissimùm ab homine, ex arte fiunt. Architectus nempe quia sciuit, perbellè domum extruxit: & è contrà, quia aptè domum extruxit, sciuit. quoniam ab experimento, primordia sumpsit humana cognitio. Cæterùm ab ipsa re tanquam ab obiecto scientiam, quam de eadem habemus, omnem immediatè generari, falsum est. sed uel immediatè ab ipso scilicet obiecto, uel mediatè, hoc est à quopiam modo aliquo obiectum repræsentante. Exemplum si per diuinam uoluntatem, & reuelationem, animam patris mei Philosophi, & medici suis temporibus præstantissimi, ac clarissimi, Marciantonii Carrarii Sirenii, cum beatis, æterno gaudio perfrui, ego nouerim: habebo de eius beatitudine scientiam; quæ rei, de qua est, nec causa est, nec effectus immediatus, sed mediatus, quoniam diuina reuelatione mediante.

SECVNDO. dicimus, res istas uniuersas habere duplex esse; æternum unum, alterum temporaneum, esse quidem rerum temporalium, non tantùm in tempore est: sed in æternitate etiam & in diuina essentia, in qua, ut in speculo, relucent omnia; eo modo, quo in tempore, singula esse habent. extra nanque diuinam essentiàm (si tamen extra illam aliquid esse potest) id est in rerum natura, & in reali existentia: esse temporaneum habent, in essentia uerò diuina spirituali quadam intelligentia, esse æternum res temporaneæ habent: quod æternum esse, non in tempo-
C re, sed in æternitate, & in diuina essentia tantùm consistit. quoniam præter Deum (ut in primo libro dictum fuit, & ad Marcellam Beatus Augustinus scribit) quod immortale, & æternum sit, est nihil. Si igitur aliud quidpiam à Deo uerè, & propriè, æternum esse dicitur: eatenus æternum esse dicetur; quatenus Deo & diuinæ essentiæ modo aliquo unitur, atque identificatur.

DICIMVS tertiò. quòd quidquid de creaturis, & de creaturarum in tempore existentium operationibus, nouit Deus; illud non in æuo, hoc est non in natura angelica; non in tempore, hoc est non in ipsis, aut ab ipsis creaturis, uel creaturarum operationibus, ut in tempore extra diuinam essentiam realiter consistunt; sed ab ipsis rebus, & rerū operationibus, ut in æternitate sunt; idest ut in ipsa sua propria essentia; in qua æuiterna, & quæ in tempore sunt, eo modo quo sunt, relucent; cuncta cognouit. Hæc enim omnia, inquit B. Aug., stabili, àc sempiterna præscientia Deus nouit. quod uerum esse nequaquam posset; si à creaturis ipsis, ut in se sunt, & ut in tempore realiter, & cum fluxu, & mutabilitate existunt, suam cognitionem Deus assumeret; cum non stabiles & sempiternæ res istæ sint, sed temporaneæ, & irrequietæ; ac more labentis aquæ, ita
D præter fluentes, ut illorum philosophantium, qui ephectici appellati sunt, inde & nomen, & opinio sit desumpta; qui sermonem continentes, nutibus, de aliquo interrogati respondebant; quod inter loquendum rem unamquamque raptim labi existimarent. Hoc omne lib. de Prædest. & Gra. cap. IIII declarauit B. Aug., cum inquit, Mundus quamuis pro tempore, ex quo factus est, cœperit; in illa tamen diuinæ præscientiæ luce faciendus, nullum potuit habere principium, & quanticunq; tamen uel ex Adam, usq; in hodiernum diem, homines nati sunt; uel post nostram ætatem, generationis sunt propagine nasci turi, apud Deum, nati sunt iam; & decurso totius uitæ tempore transierunt. in illo nihilominus diuini obtutus lumine permanentes. Deus enim, qui nec loco clauditur; nec tempore præuenitur; omnium rerum tam præteritarum memoria, quàm imminentium scientia, plenus est; nec reminiscens uoluitur in præteritum, nec sperans tendit in futurum. Et quæcunque omnino sunt; quæ temporum motibus agitantur; ab eo principio, in quo erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, usque in finem omnium sæculorum: de quo fine cum diceret B. Moses. Domine, inquit, qui regnas in sæculum & sæculum & adhuc; nec sperantur futura; nec præterita transierunt; sed in præsentia diuinitatis, præsente semper luce cernuntur. Hactenus August. Neque obiiciatur nobis quòd libro Gen.

Gen. cap. XVIII legamus dixisse dominum, Descendam, & uidebo, an opere compleuerint &c. Et cap. XXII, ad Abraham. Nunc cognoui quoniam times Deum; quasi prius non illud Deus agnouerit; & à rebus de nouo quidpiam didicerit, aut quòd Christus Io. XI, interrogauerit de sepultura Lazari; ubi nam esset? & Marci VI de hmorrhoissa, inquiens; quis me tetigit. Non enim in illo sensu sunt uerba scripturæ sumenda; quasi de nouo quidpiam Deus addiscat; sed in eo, ut intelligamus suauiter, & humano more, cum homine Deum egisse; & data opera occultasse sæpe suam diuinitatem. Ex illa uerò Abrahæ obedientia, Deum tunc ita fecisse; ut Abraham se cognosceret Deum timere uel, ut alii fuerunt interpretari, Deum tunc fecisse; ut Abraham Deum timere, essent multi cognituri. E

DICIMVS quartò, quòd quicquid in Deo & in diuina essentia continetur, Deus est, Diuina essentia est. Sed de iis quæ prænotanda erant, hactenus.

Ex prænotatis quatuor pro responsione ad secundum dubitationem, colliguntur. CAP. XVIII.



Ex iis quæ dicta sunt, corollaria aliquot colliguntur. Primùm, quòd quiuis homuncio, & quælibet eiusdem etiam uilis operatio, in quantum à Deo cognoscitur, qui omnia in propria, ut diximus, essentia, quocunque modo id fiat; & cognoscit, & intuetur; idem realiter est, quòd Deus ipse Opt. Max. quòd quicquid in Deo, & in diuina essentia est, Deus realiter sit. Hoc est quod cecinit Lucanus. *Iupiter est, quodcunque uides.* F

SECVNDVM. quòd etsi ad diuinam cognitionem, quam, de nostris habet Deus operationibus, ipsæ eædem operationes, ut prius uidimus, aliquid faciant; & sint suo modo diuinæ cognitionis causa; nostræ tamen operationes, ut nostræ sunt, idest quatenus à nobis in tempore realiter extra diuinam essentiam existentibus, cum fluxu, & permutatione fiunt; non sunt diuinæ cognitionis aliquo modo causa; nisi effectus æterni causam temporaneam repugnante utriusque natura asignare uoluerimus. Optimè propterea dicebat Boethius, præposterum ad modum esse, ut æternæ præscientiæ temporalium rerum euentus, causa esse dicatur. A' nobis enim, ut in tempore realiter sumus; & ut cum fluxione quadam operamur, nihil discit summa illa æterna, & perfecta atque impermutabilis sapientia. Sed si ad diuinam cognitionem, nos, nostrasq; effectiones aliquid facere, affirmauerimus: eatenus illas facere dicemus; quatenus & nos, & nostræ non tantùm operationes omnes, sed & cuncti nostrarum operationum modi, in diuina essentia, ab æterno, consistunt. Et in eadem, tanquam in mundissimo speculo, cuncta ante sæcula distinctissimè relucent. Nec ideo relucent; quia iam in rerum natura, & in reali existentia sint; cum antequam Petrus realiter esset; eius actiones, & operationes omnes, in eadem, distinctissimè relucerent: sed ideo relucent; quia in essentia, quæ est rerum omnium summa, & suprema perfectio, & perfectionum omnium immensum pelagus, cunctæ res, & cuncti rerum euentus sunt. sunt autem in essentia, modo non qui rebus ipsis conueniat; sed qui tantæ, ac tam præstanti, in qua sunt, naturæ congruus esse censeatur. Talis nanque & tantæ perfectionis illa essentia est; ut quæcunque sunt, fuerunt, & erunt: cuncta simul, & singula distinctissimè, admirando, ineffabilique prorsus, atque in excogitabili à nobis modo, ueluti immensum, ut dictum est, infinitumq; perfectionum omnium pelagus, in sese, expressa, ordinata, & distincta contineat: & complectatur. Hoc est quod Vulielmus nominalium Coryphæus alibi dicebat. Nos dum sumus in corpore mortis huius, ad quem modum intellectus diuinus certò omnia futura comprahendat, minimè scire possumus. G H

TERTIVM. Quòd cum in Deo, ut tradunt rectissimè nostri Theologi, nihil sit, quod, ad ipsummet Deum relatum, rationem causæ, uel effectus propriè habere dicatur: quanquam aliquid sit, quod uel producentis, & principii, uel producti, & principiati rationem subeat, sequitur, quòd cognitio, quam de rebus humanis Deus habere dicitur, quoniam eam per propriam (ut dictum est) essentiam habet, neque sit ipsarum rerum cognitarum, quatenus scilicet cognitæ sunt, si propriè loquamur, causa; neque sit rursus earundem effectus. Impropriè tamen loquendo dici potest; quòd rerum quidem cognitarum est causa, operationum uerò à rebus procedentium, effectus. Quamuis enim Deus ipse sit etiam operationum omnium, siue liberè, siue natuliter procedentium causa; & plus influat, in quamlibet cuiuscunque causæ operationem, & effectum, quàm ipsa secunda, & effectui proxima causa: cognitio tamen illa, quam de effectionibus, & operationibus secundarum causarum idem habet, ipsarum operationum, non tantùm causa; sed etiam effectus dici potest; Quanquam, ut diximus, impropriè & causa, & effectus dicatur.

QVARTVM. quod dicere cognitionem humanarum actionum, quam de illis habet Deus, ab eisdem

A eisdem esse causatam, uel productam, impropria, & impertinens quidem locutio est; ad hunc tamen sanum intellectum, dictum illud reduci debet; quod nostræ operationes, ut in diuina essentia sunt, & in eadem relucent, cognitionem de se in intellectu diuino producunt: ita ut non ideo in diuina essentia sint; quia ab intellectu diuino cognoscantur; sed contrà ideo ab intellectu diuino cognoscuntur; quia in diuina essentia sunt; & relucent. relucent autem in essentia diuina; quoniam à diuina uoluntate ad esse decretæ sunt; nec nisi prius decretæ & in diuina essentia relucere, & ab intellectu diuino cognosci possunt. ad quem modum autem à diuina uoluntate decretæ sint: superius cap. XIIII, abundè satis, & exactè à nobis declaratum fuit. Contrà uerò de rebus ipsis, id est de rerum naturis & essentiis dicendum est. ideo enim in diuina essentia sunt, atque in ea relucent; quia ab intellectu diuino in signo scilicet quodam (ut dicunt Theologi) originis priori, quàm uoluntas diuina uelit illa existere, cognoscuntur. Intelliguntur enim rerum essentiæ prius, quàm per diuinam uoluntatem ad esse, & ad existentiam determinentur. non intelliguntur quidem existere, ante diuinæ uoluntatis determinationem; sed intelliguntur essentialiter esse. Posito nanque (ut rem tam difficilem aliquo exemplo declaremus) quod hominem diuina uoluntas creare noluisset; intellexisset nihilominus diuinus intellectus hominem B ipsum; & ea omnia, quæ essentialiter insunt homini. ut quod homo esset, sit dictum exempli causa, animal rationale, mortale, liberum &c. quoniam & si contingenter à uoluntate diuina habet homo existentiam; non tamen si ab essentia existentiam separari uoluerimus, ab ea contingenter habet essentiam. Vnde siue uelit, siue nolit Deus hominem esse, homo est sua essentia, & est animal rationale &c. at si Deus non intelligeret hominem esse animal rationale &c. homo animal rationale non esset. Voluntas autem diuina, ideo uoluit hominem illius naturæ esse, & creari; quia intellectus diuinus eum illius naturæ, & essentiæ prius nouerat; ideo quia nouit, creauit; non è contrà. De rerum autem operationibus, res contrà se habet. Prius enim decernitur à diuina uoluntate, quòd sint; quàm à diuino intellectu esse intelligantur. Et ideo illarum existentia relucet prius in diuina essentia; deinde quia in ea illæ relucent, ab intellectu diuino esse cognoscuntur. ut benè dixerint Orig., & alii, quod quia futurum aliquid est; ideo scitur à Deo, antequàm fiat. Isto igitur modo Orig. Hieronymus, Ambros. & multi alii, qui ab ipsis rebus diuinam scientiam aliquo modo pendere arbitrabantur, sunt exponendi. Nec interea me præterit: quòd B. Thomas quæst. 11, de Verit. art. XIIII secus senserit; & in responsione ad primum, C Origenem aliter exposuerit. Noluit enim diuinam scientiam modo aliquo à rebus causari, illa ratione; quoniam res temporaneæ sunt, diuina essentia æterna: nullam faciens distinctionem tum inter essentias & operationes rerum, tum inter esse rerum æternum, quod habent res in mente diuina, & temporaneum, quod in tempore; sed simpliciter existimauit ille doctor sanctus, excellentissimus alioquin Theologus, scientiam Dei esse causam rerum, & euentuum omnium & contingentiam putauit se tueri posse: tum ex contingentia causarum secundarum tum ex eo quòd prima causa contingenter efficiat, uel etiam decernat de efficiendis: ut effectus quispiam dicatur contingens; quia uel causa secunda est contingens, uel causa prima contingenter operatur. Sed uehementissimè urgent illum argumenta prius à nobis facta, in quibus soluendis diu ac multum sudauimus. Illud etiam Origenis, quia futurum est, ideo scitur à Deo: non essendi inquit B. Thom. sed inferendi tantùm causam importat; quasi, in re tam seria, ac tantæ molis, iocis logicalibus egeamus. Si illud non est causa essendi, sed inferendi tantùm; quæro, quæ est causa essendi consequentis, & quæ est causa, quòd illud sciatur à Deo si dicas, Deus ipse (non enim aliter dicere potest ille doctissimus doctor, cum simpliciter asserat diuinam scientiam esse causam rerum) quomodo non statim sequetur; quòd Deus fuerit causa proditionis Iudæ? quod di D cere quàm graue incommodum sit, puto cunctos uidere. Sed de iis hactenus.

Ex iis igitur omnibus, quæ paulò longius dicta fuerunt, & ad secundam dubitationem, & ad eiusdem dubitationis confirmationem, clarissimam habere possumus responsionem. Est quidem Deus nostrarum operationum causa, sed non integra & adæquata causa; sed concausa: concausam semper eo modo intelligendo; quo à nobis prius rectè expositum fuit, nos scilicet seruando, adiuuando & suppetias nobis ferendo. Cognitio autem, & præscientia quam de rerum effectionibus habet Deus, aliquo modo quanuis impropriè effectus ipsarum operationum dici potest, quatenus quicquid uirtutis, & operationis secundæ causæ expressuræ sunt; ab illis Deus (dicere liceat)addiscit: non quidem ut sunt in tempore; sed ut relucent in æternitate. ita ut impropriè ad modum earum effectus censeatur & rebus Deum addiscere credatur, neque istud si eo modo exponatur, quo nos exposuimus, diuinæ perfectioni & maiestati aliquo modo repugnare; immo contra eidem quàm maximè conuenire, existimandum esse, nemo est, qui non uideat. Res igitur ipsæ ab æterno habent esse; sed non reale, idest ut ipsæ ex tempore in se sunt; & realiter existunt; sed spirituale, & intellectuale, & in diuina essentia. quamuis illud esse, quod in diuiua essentia habent, sit uerius esse simpliciter, quàm esse illud, quod in se realiter habent, quod copiosius lib. quarto

quarto Theologicarum sententiarum distinct. prima, quæst. item prima, declarauit Ioan. Scotus. E
Auerroes etiam in Destruct. disputa. III dub. XV inquit, quòd Deus apud Philosophos est omnia entia in gradu nobiliori; quàm ipsa sint in seipsis. Hæc Auerr. Et istud esse huiusmodi est; quod ipsarum operationum, à rebus, quouis tempore, procedentium cognitionem, in diuinum intellectum, media diuinæ noluntatis determinatione, producere potest. Et non est aliud ab essentia; sed identificatur realiter penitus essentiæ diuinæ. Vt tandem sequatur, à rebus Deum nihil addiscere, sed tantùm à proprio obiecto, à quo & in quo, noui nihil addiscit, sed ab æterno nouit omnia.

Ad tertiam dubitationem respondetur. Cap. XIX.



Er ea quæ hactenus dicta fuerunt, ad quatuor obiecta Boethii, facilis est responsio.

Ad primum. longè inter se differunt, dicere prouidentiam siue præscientiam esse causam rei; & dicere rem esse causam præscientiæ. primum nempe tollit arbitrium, & contingentiæ naturam; non autem secundum, cum arguit quocunque modo sit præscientia, res prscitnr. igitur non poterit non euenire. Euenire ergo necessarium est, quod ad perimendam arbitrii libertatem satis est. F
Dicendum diuinam præscientiam bifariam considerari posse; uno modo ut est uera, alio modo ut est rei causa. Et utroque modo infert quidem necessitatem; sed priore, necessitatem tantùm consequentiæ, & illationis; quod non illa Dei solùm, sed nostra etiam facit. Si enim scio inclytum Venetiarum Principem Hieronymum Priolum prandere, aut in medio suorum ciuium in publicis comitiis sedere, sequitur ex necessitate, ut ille prandeat, & in comitiis sedeat. Si enim non prandeat, aut in comitiis non sedeat, possum quidem opinari, sed non scire illum prandere aut sedere in comitiis. Scientia nanque cum re, cuius est, quadrat; & impermista est falsitati, ac posteriore modo, præscientia non tantùm erit causa necessaria consequentiæ; sed etiam causa consequentis necessaria. id est erit causa eius, quod dico, principem prandere, siue sedere in comitiis: & cum illa diuina falli non possit; esse non poterit, quin prandeat princeps. aut quin sedeat in consilio suorum nobilium. priore modo, ueritas scientiæ pendet à ueritate rei; sicut ab eadem pendet ueritas orationis; posteriore uerò modo, res contrà se habet, scientia est causa rei; & ita pendet res à scientia; ut sine scientia præcedente esse non possit. Vt mirum sit, ad quem modum, G
Boethius tantus Philosophus, & Theologus, cum non admiserit, præsciri aliquid à Deo, quia futurũ sit: sed contrà de euentu quocunque crediderit, futurum esse, quia præscitur: suppo suerit aliàs euentus esse; quorum non sit præscientia. Si præscientia est rei causa: quo modo ablata præscientia rem statuere erit possibile? quod si possibile est; iam sequitur præscientiam non esse causam rei. cum rem esse absque eo, quòd sua causa præcesserit, sit impossibile.

Adde quòd prosa IIII, & ultima libri quinti, non aspernatus est Boethius exemplum illius; qui ea, quæ fiunt, in foro contuetur; quorum certam spectator habet scientiam; absque hoc quòd eorum sit causa. ut ab ipsa tandem ueritate coactus, in eam, quam paulò ante exactè satis explicauimus, sententiam deuenerit.

Ad secundum & tertium epicherema Boethii iam patet respõsio. Dictum est enim, res temporaneas non ut in tempore, sed ut in æternitate sunt, causas (ita dixerim) esse diuinæ scientiæ. Item dictum est quòd necessitas quæ ex præscientia infertur, est necessitas tantùm illationis, & suppositionis. At quod ex suppositione necessarium est; per se & absolutè & simpliciter contingens iudicatur.

Postremum ex his, quæ tum ex Boethio, tum ex aliis superius cap. III, huius libri dicta fuerunt, facilllimè diluitur. ut nullo pacto u..ticinio Tiresiæ sit similis diuina præscientia: sed ab eo bis per omnia distet. Et ad dubitationem tertiam hactenus. H

Ad dubitationem quartam respondetur; & in responsione peccatum effi cientem causam non habere, sed deficientem tantùm, declaratur. Cap. XX.



D quartam dubitationem. Quoniam modo aliquo nostri peccati Deum esse causam, & auctorem sequaretur: si cunctarum operationum nostrarum Deus esset prima causa, Dicimus. Quòd & si in libro de humano lib. arb. parte illa, in qua, de prædestinatione agitur; ad quem modum possit Deus dici peccati causa, sufficientissimè declarauisse uideamur; non grauabimur tamen his, quæ loco illo dicta fuerunt, addere. Duo catholicos Theologos in peccato considerare, tum operationem humanæ uoluntatis (nunc autem humanæ uoluntatis opera-

A operatione fusius utimur)ut sensuum simul,& membrorũ corporis uoluntati famulantiũ motũ, & illecebrã intelligamus: tum solius uoluntatis opus proprium:quale est,ré turpem honestæ præ eligere; eidemq; turpi rei assensum præbere ; atq; inhærere,in priori illa operatione,per se,& formaliter loquendo,labes est nulla:sed tantùm in posteriore,quæ adhuuc bifariam considerari pôt: tũ quo ad id, quod in se continet, positiui: tum quo ad id,quod ad positiuum illud consequitur, priuatiui. declaro me ipsum. potest inquam considerari fornicatio, uel quo ad ipsum fornicationis actum; siue etiam quo ad assensum, qui actus uoluntatis positiuus est, quem fornicationi uoluntate præbemus; uel quo ad eam legis diuinæ difformitatem, quæ in ipsa fornicatione, & in ipsa etiam electione, & uoluntatis assensu est; atque quo ad ipsius assensus, & electionis, ab eo, ad quod illum ordinari oportebat, inordinationem ac obligationem: & breuiter quo ad auersionem uoluntatis à Deo, & à mandatis diuinis. Priori modo re uera, & (ut in scholis dicitur) formaliter peccatum in uoluntate non est; sed posteriore modo duntaxat. Ille enim uoluntatis assensus, ut assensus est, peccatum esse non potest, quoniam ille assensus actio positiua est: at peccatum priuatio est: sed in illo assensu eatenus peccatum esse dicendum est, quatenus in eo, conformitatis pri-
B uatio, id est difformitas ad præcepta diuina, quæ peccatum formaliter est, includitur. Ad illam enim siue uoluntatis, siue sensus, siue membri cuiuspiam uoluntati deseruientis, & eiusdem prosequentis operationem, & ad ipsius uoluntatis assensum, ut assensus est, cooperatur, tanquam prima operationum cunctarum causa, Deus Benedictus. Ad inordinationem uerò,& diuinarum legum difformitatem illam quæ in ipsa est operatione, & electione, & assensu uoluntatis, Deus nullo modo cooperatur. Etenim sine ipso factum est nihil. Sed si quispiam ad illam operari dicendus est; homo tantùm, & eo modo, quo ad umbram (ut libro de Humano arbitrio diximus) ipsum opacum operari dicitur. Quamobrem lib. Priore ad Monimum B. Fulgentius dicebat. Homines mundi huius dilectiores, non ideo pro dilectione mundi puniendi sunt; quia aliquam substantiam malam diligunt; cum substantia naturaliter nulla sit mala; sed quia dilectionis ordinem non tenentes, dum plus iusto diligunt mundum, minus Deum diligunt; quàm diligere debuerũt. Et paulò post. Peccati initium, si attendatur, puto,quòd nihil est aliud quàm inordinatarum rerum inordinata rationalis creaturæ dilectio, quæ sponte perdendo dilectionis ordinem, perdidit & salutem, quibus uerbis, in priuatione ordinis amoris, non in amore peccatum constituit Fulgentius.

C VERVM obiici nobis illud facilè poterit; quod aliqua erit humana operatio; quæ nullatenus à Deo pendebit; & cuius non erit Deus aliqua causa: si ad istam difformitatem nullatenus Deus concurrat

DICENDVM, Ad huiusmodi legum diuinarum difformitatem, & ad operationum nostræ uoluntatis à diuinis regulis obliquitatem, & inordinationem; & breuiter ad peccatum; neq; Deus, neque homo propriè, & re uera operatur. fieri enim non potest; quod esse positiuum non habet: sed habet tantùm priuatiuum. Quamobrem non solùm ipsum peccare, sed ille etiam (ita dixerim) uoluntatis assensus, quo fornicationi consentitur, quin etiam ille sensuum,uel membrorum uoluntati deseruientium motus, quo, uerbi causa,ad lupanar quispiam progreditur: & meretriculam contrectat; & rerum breuiter omnium simul sumptarum ad peccandum abusus (quatenus scilicet ad peccatum patrandum illa omnia tendunt) si à fine (ut libr. secundo de Anima, parte XLIX, admonet Arist.) facienda denominatio est. & si (ut lib. tertio moralium cap. VII, ipsemet tradidit) singula suo fine definienda sunt; non potest re uera opus & ratio dici sed operationis defectus. qui defectus (ut lib. de Humano arbitrio, cum de reprobatione disserebatur declaratum fuit) totus humanæ imbecillitati, & ignorantiæ uel malitiæ, & nullo pacto Deo imputandus est.
D Absit (inquit Fulgent.) hoc à nobis, atque ab omnibus Christianis; ut causam cuiuslibet peccati quisquam deputare diuinæ audeat æquitati; cum nec malitiæ,nec impietatis cuiusquam causa esset posit, nisi in eo qui malus, atque impius fuerit. Hæc Fulgentius. peccare nanque non est efficere sed (ut sanctisime inquit B. Thomas prima secundæ. quæst. CIX. art. II,) nihil aliud est quã à bono, quod alicui secundum naturam conuenit, deficere. Dionysius propterea lib. de Diuinis nominibus cap. IIII, inquit. Κακὸν δὲ ἡ ἔλλειψις τοῦ ἀγαθοῦ, idest, malum est boni defectus. Et paulò post. Τὸ κακὸν ᾗ κακὸν, οὐδεμίαν οὐσίαν, ἢ γένεσιν ποιεῖ: μόνον δὲ κακιώει, καὶ φθείρει τὸ ἐπ' αὐτῷ, τὴν τῶν ὄντων ὑπόστασιν. hoc est Malum, qua malum est, nullam substantiam, aut generationem efficit: sed tantùm uitiat, & corrumpit (quantum in ipso est) rerum substantiam. Omne quippe uitium (inquit libr. tertio capitulo decimotertio, de libero. arbitrio. Augustin.) eo ipso quo uitium est; contra naturam est.

ADDE quòd superius dictum fuit, Peccatum esse priuationem; priuationis autem causa per se positiua esse non potest; sed priuatiua tantùm, & defectus. Nam si priuationis positiua aliqua posset esse per se causa: sequeretur, contrarium posse esse sui contrarii per se causam: quod (sine dubitatione) apud Philosophantium cunctorum dogmata, inter absurda omnia absurdissimum

esse derelinquitur. Sicut igitur priuatiuus (ita dixerim) effectus: melius autem erat dicere, defectus non potest esse effectus causæ priuatiuæ: ita contrà priuatio, causa esse non potest, nisi effectus priuatiui. Vnde B. August. lib. de Lib. arb. cap. primo, quærens ad quem modum, ab homine mala, & peccata fiant; eo (inquit) fortasse quòd se à disciplina, idest à discendo auertit, atque abalienat. & paulò post subdit. malè facere nihil est; nisi à disciplina deuiare. Hæc ibi. Veruntamen quoniam priuatio nulla sese consistere potest; sed cuipiam semper, quod positiuum sit, innititur: peccata propterea sæpe actuum positiuorum nomine nuncupantur: eorum inquam, quibus ipsa priuatio, quæ peccatum est, innititur. Quamobrem lib. primo de Lib. arb. cap. ultimo B. August. post multa, concludit, nihil aliud esse malefacere; quàm neglectis rebus æternis quibus per se ipsam mens fruitur; & per se ipsam percipit: & quas amans amittere non potest, temporalia, & quæ per corpus hominis, partem uilißimam sentiuntur, & nunquam esse certa possunt; quasi magna, & miranda sectari. Et paulò post, inquit, Assentior omnia peccata hoc uno genere contineri; cum quisque auertitur à diuinis, uereque manentibus, & ad mutabilia, atq; incerta conuertitur. Et lib. tertiò eiusdem cap. XVI, inquit. Non iniustè aliquid pati, sed iniustè aliquid facere, peccatum est. facere autem iniustè quidpiam non est facere sed in actione deficere. Vnde Ierem. II. de peccatoribus legitur. Verterunt ad me tergum, & non faciem. Sed uertere tergum nil aliud est quàm se ab eo auertere, ad quod conuerti debebat, hoc autem est defectus in actione, & priuatio quædam. Sed redeo ad difficultatem, quam lib. secundo de Lib. arb. cap. XX, tangit, & soluit B. Aug. inquiens, sed tu fortasse quæsiturus es: quoniam mouetur uoluntas, cum se auertit ab incommutabili bono, ad mutabile bonum: unde ei iste motus existat, qui profectò malus est? Si enim motus iste, idest auersio uoluntatis à domino Deo, sine dubitatione, peccatum est; num possumus auctorum peccati Deum dicere? Non erit ergo iste motus ex Deo. Vnde igitur erit? Ita quærenti tibi si respondeam: nescire me: fortasse eris tristior: sed tamen uera responderim, sciri enim non potest; quòd nihil est. Hactenus August. quum enim auersio ista conuersionis priuatio sit; priuatio autem si sit nihil; qui sciri potest, unde id sit: quod nihil est? Ioannes item in sua Epistola cap. III, peccatum dixit esse iniquitatem, inquit enim, Omnis qui facit peccatum & iniquitatem facit. est autem iniquitas æquitatis priuatio, & rectitudinis illius, quam in nostris à nobis operibus, Deus requirit, defectus. unde B. Aust. contra Faustum, peccatum est (inquit) dictum, uel factum, uel concupitum contra legum Dei. Peccare igitur non est aliquid agere; sed à conuersione, ab æquitate, à rectitudine dificere. Ideo in lib. confeßionum, dicebat August. quòd cum poma furaretur, non poma ipsa, sed defectum suum amabat. Et Io. primo, peccatum appellatur nihil. ait enim. Sine ipso factum est nihil. Et in lib. de casu Diaboli B. Anselmus iniustitia malum & nihil est. Et cap. XXVI. Malum, quod est inistitia, semper nihil est. quæ dicta omnia ideo uera sunt; quoniam priuatio (ut priuatio est) nihil est, est autem peccatum priuatio: est igitur nihil. quod quæso illi Theologi aduertant, qui peccato entitatem, & substantiam, & per se causam ineptè satis attribuunt: quæ omnia cum peccati natura & diametro pugnant. Sed ad quartam difficultatem actenus.

Ad quintam & ultimam dubitationem, respondetur: & quòd à Deo, & à seipsa, sit humanæ uoluntatis determinatio declaratur, & quo modo. CAP. XXI.



AD QVINTAM dubitationem, quæ est, quòd uoluntas ad opus, uel ex se, uel à Deo determinatur, si primum, Deus, si secundum, uoluntas ipsa humana, non erit omnium nostrarum operationum concausa (liceat nobis concausæ nomine sæpiusculè uti, & si alio, & longè sine aliqua comparatione excellentiori modo dicatur Deus concausa, quàm uel uoluntas humana, uel quæuis alia secunda causa concausa dicitur, quem modum prius semel atque iterum exposuimus) sed erit aliqua in nobis operatio: quæ uel solius Dei, uel solius erit humanæ uoluntatis: utrunq; iis, quæ prius catholico, determinata fuerũt repugnat. Dicimus (multa hoc loco prætermittentes, quæ multi scholastici Theologi ineptè satis aceruare solent; quorum aliqui à Deo tantùm, alii à seipsa dumtaxat determinari uoluntatem asseruerunt.) in multis locis libri de Fato, Petrum Pomponacium magni fecisse, adeo hoc argumentum; ut si à Deo determinari aliquo modo uoluntatem dixerimus, Fatum, ineuitabilemque in humanis operationibus necessitatem concludere, atque demonstrare ille existimauerit, nostramque à Deo uoluntatem, si ad actum suæ determinationis Deus agat (non enim dicendum est non agere) totam ita à Deo pendere, ut ad suiipsius determinationem, nihil facere uoluntatem consequi, & obstinatè ipse crediderit: & aliis pluribus persuadere conatus fuerit. Ex quo illud, deinde absurdißimum sequebatur

A batur: nostrarum non esse nos dominos operationum; sed uelle, uel nolle poteramus nihil: nisi pro determinatione diuinæ uoluntatis: quæ nostram uoluntatem ad sic, uel aliter eligendum; uel non eligendum, operandum, uel non operandum ageret, & determinaret. Abigenda propterea ab humanæ uoluntatis determinatione, si arbitrii libertatem, & contingentiæ naturam tueri uolumus, est inquit ille, omnis diuina operatio, cum enim sit Deus prima causa: ubi concurrit; ut causa principalis concurrit; cui effectus potissimùm debeatur.

VERVMTAMEN etsi argumentum certè difficile sit; ut quorundam etiam nostrorum Theologorum ingenia sæpenumero plurimùm torserit; non tamen uideo, ad hanc quanuis magnam, & ualidam demoliendam, tollendamque difficultatem, quid nouis egeamus machinamentis. Dicimus nanque idipsum, de ipsa nostræ uoluntatis determinatione; quod de cæteris humanis operationibus, dictum fuit; uidelicet quòd est & à Deo, & à nostra uoluntate. Non enim nobis arridet; quod uel illi Theologi scripserunt; qui humanam uoluntatem seipsam per se sine Deo determinare putauerunt; quibus idem Pomponacius affatim subscripsisse uidetur; & assensum ad agendum per se, uel dissensum præbere; quasi his absque Deo fungi ualeat operationibus; uel illi, qui contrà uoluntatem humanam Deum determinare crediderunt. Illi enim humanæ uoluntati plus B tribuunt; quàm uel conueniat, uel conuenire posit. Hi uerò tollunt meo iudicio arbitrii libertatem; & ineuitabilem in cunctis euentis necessitatem inducunt. Nos autem & prius diximus; & nunc repetimus; quòd nostræ uoluntatis determinationis, sicut & aliarum non tam nostrarum operationum, quàm (ut antea dictum fuit) cæterorum agentium (de communi lege loquendo) duplex est causa. Deus, & humana uoluntas, siue alterius cuiusuis agentis appetitus, atque propensio. Deus, inquam, quatenus & humanæ uoluntatis arbitrio, & cæterorum agentium appetitui, sese accommodat; eidemque ferre suppetias non desinit. Ita nempe & humanam uoluntatem, & brutorum appetitum Deum determinare dicendnm est; ut ad actum determinationis (undecunque determinatio sumat occasionem, siue ab obiecto, siue à fine) non secus quàm ad cæteras tam uoluntatis quàm aliorum agentium actiones quascunque Deus ipse concurrat. Humana nanque uoluntas à Deo, & à seipsa, ut tamen ab obiecto, uel à fine, cognitione mediante, quæ uel in uoluntate est; uel si illa potentia cœca sit, in intellectu & cum discursu, qui discursus intellectus practici esse dicitur, mouetur; brutorum similiter appetitus, & à Deo & ab C appetibili, media sensus cognitione, determinatur. Hoc autem modo humanæ uoluntatis determinationem definientes; illud nequaquam sequitur quod Pomponacius existimauit, uoluntatem uidelicet uel à seipsa tantùm, uel à Deo duntaxat determinari; ut si ad eius determinationẽ Deus concurrat; nullum apud se determinandi arbitrium, & causam retineat; ut inde necessitate ineuitabili efficere hominem, quicquid efficit, consequatur.

SI quæras, an utraque causa determinationis ipsius uoluntatis sit ex æquo causa, an una potius ex altera dependeat?

DICIMVS quòd una ex altera dependet.

SI rursus quæras, quæ est illa; quæ ab altera dependere dicatur, uoluntas'ne diuina ab humana, an contrà uoluntas humana à diuina?

RESPONDEBIMVS, meliori semper iudicio sine contentione cessuri, quòd ista dependentia unius ab altera, est cum aliqua, ita dicam, subdependentia, sine contradependentia (libentissime meliorihus & accommodatioribus nominibus uterer, si haberem) qua & diuina ab humana, & humana à diuina uoluntate, sicut in ista determinatione, ita in reliquis humanis operationibns dependeat. Humana quippe à diuina absolutè dependet, quòd ab ipsa habeat & quòd sit, & quòd uoluntas sit, & quòd sui actus determinationis causa sit; & quòd sit sui compos, & operari uel D non operari queat. Diuina autem ab humana dependet κατάτι & secundum quid; quatenus in hâc, ut ad exemplum descendam, meæ uoluntatis determinationem, qua de diuina præscientia scribere decreui, sine aliqua meæ uoluntatis operatione, & aliqua eiusdem pro ratione, & natura sua; determinatione, ipsa, de lege communi, diuina uoluntas non potest. Nec istud amice lector mireris, In omnibus enim agentium naturalium operationibus, ita se habet diuina uoluntas; ut ab ipsis rebus (de communi lege semper loquendo) aliquo modo pendere dicatur, quanquam non ita ab aliarum rerum, sicut ab humanæ uoluntatis operationibus, quod hæc natura sua ad operandum liberior sit; & diuinitatis aliquo modo particeps uideatur, dependere communiter censeatur. Aliæ nanque res, in suis operationibus, quoniam ad unum fere determinatæ sua natura sunt, uidentur totæ dependere à Deo. Homo uerò talis naturæ est; ut ad opposita ualeat. ideo in sua operatione totus à Deo nequaquam pendere uidetur. Quanqnam (ut dictum est) & homo, & alia agentia à Deo, & Deus utcunque ab homine, & ab aliis agentibus naturalibus, in humanis nidelicet operationibus, dependere dici posit. Neque hoc diuinæ maiestati dissonum, immo quàm maximè congruum esse, exemplo regum, & principum eorum, qui apud nos sunt (si paruis magna componere liceat) aliquatenus declarari potest. Nam magnos alioqui dominos,

nos, amplissimosque principes atque Illustrissimos Reges, summosque Pontifices & Imperatores, à quibus non solùm quiuis ex eorum familia, sed cuncti etiam, qui in eorum prouinciis, & ditionibus sunt, dependere maximè dicuntur; à suis nihilominus uel minimis seruis, immo à bestiolis etiam quibusdam, in nonnullis modo aliquo dependere uidemus. ut (exempli gratia) in suis cœnis à coquo, in equitatu ab equo, in uenatione à canibus, ab auibus quibusdam in aucupio, & pro effectuum illorum denique ratione, quos agere reges intendunt, ab aliis etiam longè uilissimis seruis & rebus eosdem aliquo modo dependere conspicimus: quamuis ab eisdem regibus, & principibus res istæ, & canes illi, & coqui, & omnis seruorum caterua, & totum denique regnum absolutè dependeat, fallit certè exemplum; quod multo plus sine ulla comparatione, cunctæ res à Deo pendeant; quàm coqui quidam, & serui à principe; & minus atque etiam minus à rebus, Deus pendeat; quàm à seruis, temporalis dominus; & alio longeque diuerso genere dependentiæ. Sed satis sit, quòd huius dependentiæ, quam inquirimus, aliquam nobis similitudinem exemplum, quod proposuimus, referat. Deus enim qui nos sine nobis creauit & fecit: nos (ut in lib. de Verb. apost. serm. xv, dicebat Augustinus) sine nobis, id est sine nostræ uoluntatis determinatione, qua agimus, & operamur, iustificare & seruare non poterit. Sine uoluntate tua (ait loco citato Augustinus) non erit in te iustitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua: iustitia non est nisi Dei. Esse potest iustitia Dei sine uoluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per uoluntatem tuam. Et post aliquot concludit. Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. hæc Augustinus, Qui ergo potuit te facere sine te, non te sine te seruare poterit. quoniam in te seruando, à teipso modo aliquo dependet Deus. Et tractatu LXXIIII, super Ioan. idem B. August. Qui nanque hominem creauit sine homine, non iustificabit hominem sine homine. non poterit rursus inquam, de potentia (ut dicunt Theologi ordinata, non absoluta loquendo, Deus uoluntatem nostram determinare, sine actu proprio uoluntatis. quòd in iis, quæ ab humana uoluntate eueniunt, ab eadem utcunque, & modo quo (si dicere liceat) à coquo rex, diuina uoluntas, de lege semper communi loquendo, dependere dicatur. Nec à Deo solo, aut à seipsa sola, determinatur humana uoluntas (ut putauit Pomponacius) esto quòd à Deo determinetur; sed & à Deo, & à seipsa; ut omnino sit suæ uolitionis, & suæ electionis ipsa domina. alioquin nulla posset illi culpa imputari. Memento nunc amice lector eius; quod superius cap. IIII, huius libri dicebamus. Voluntatem non solùm non determinari, & cogi ab aliquo extrinseco: sed neque posse ita à quoquam agente, aut etiam à Deo determinari: ut in aliquam electionem simpliciter & absolutè cogatur, nec minus implicat dicere uoluntatem coactam: quàm dicere hominem mortuum, aut nauem lapideam. Quemadmodum enim homo mortuus, homo non est; & nauis lapidea, nauis non est, nisi fortassis æquiuocè: ita uoluntas coacta, uoluntas non est, nisi æquiuocè. Si igitur uoluntas humana cogi, non potest si agentia naturalia, de lege semper communi loquendo, suis actionibus pro ratione naturæ suæ, funguntur; non est dubium, quanquam ad eorum effectiones, & operationes omnes Deus cooperetur, quoniam rerum naturæ, & agentium uoluntati uel appetitui, & eorundem similiter efficaciæ uel inefficaciæ sese diuinam bonitas, accommodat; & eisdem pro sua uoluntate, auxiliatur; ut cuncta non ui aliqua, sed suauiter disponat; non est inquam dubium, quin tum ex ipsa rerum & causarum per Orbem uniuersum commistione; in qua, una alteram quandoque impedit, quandoque adiuuat: tum ex debilitata, uel etiam plus quàm par est aliquando aucta agentium naturalium uirtute; tum ex hominis sæpè uel inefficacia atque impotentia, uel ex maiori, quàm opus esset, uirtute, & potentia (ut in furentibus patet) præter uel humanæ uoluntatis intentionem; uel naturale cæterorum agentium desiderium, multa contingere, & euenire possint; & quin multa etiam, quæ eueniunt, aliter quàm eueniant; euenire facillimè queant. Hæc autem sunt illa; quæ nos tum fortuita, tum casualia & temeraria, cuncta autem contingentia uocitauimus. Ex omnibus igitur, quæ longissimè hactenus dicta fuerunt, colligi nunc illud securissimè potest, Diuinam prouidentiam, de qua in superioribus, diuinamque præscientiam, de qua, quantum ad nostram disputationem pertinet, & prius libro sexto ad Philosophorum dogmata, & hoc libro ad catholicam ueritatem disseruimus; nihil obstare, uel aliquo modo impedire; quin multi euentus contingenter, & temerè, & fortuitò eueniant. Cùm igitur libro tertio demonstratum fuerit; non posse rebus, ac rerum euentibus maiorem necessitatem Fatum imponere; quàm diuina prouidentia imponat, uel etiam diuina præscientia; sit autem hactenus ostensum nec præscientiam, nec prouidentiam diuinam fortunæ, uel temeritati, uel toti denique contingentiæ rationi repugnare; sed cuncta simul quàm commodè stare posse; nostræ iam disputationi summum imposuissemus fastigium; nisi aliqua in principio disputationis, ad ineuitabilem rerum euentuumque cunctorum suadendam necessitatem, adducta, soluenda superessent. Sequenti igitur libro, qui totius operis extremus erit, omnia, quæ supersunt, extremam labori nostro manum impposituri dissoluemus; interea illa quæ de Fato, & de diuina tum prouidentia, tum præscientia pluribus à nobis dicta fuerunt, quo memo-

riæ

A riæ & facilius mandari, & eidem tenacius inhærere posſint; quanta maxima fieri poterit breuitate, ſummatim colligemus.

Perſtringuntur ea, quæ de diuina præſcientia copioſè prius dicta fuerunt. Cap. XXII.



HAEC ſunt quæ pro instituta breuitate, atque pro defenſione contingentiæ, & temeritatis, necnon libertatis humanæ, quanuis pro ea tuenda copioſius ſeorſum diſſeruimus, pro his inquam omnibus & à fato, & à diuina prouidentia, & à diuina præſcientia, uendicandis quatenus ab eis exiſtimarunt nonnulli cuncta ineuitabili neceſsitate proficiſci, Et præterea, quæ ad tertium Stoicorum argumentum, quod ex diuina præſcientia procedebat, difficillimum certè tam ex Philoſophorum monumentis, quàm ex probatis noſtris Theologis, dicenda habuimus. Quibus appendicia corollaria quatuor uniuerſam ferè hanc noſtram, de Fato, B diſputationem breuiſsimis colligentia, ac perſtringentia annecti uoluimus, quo lector facilius poſsit memoriæ ea committere; quæ ad hanc noſtram diſputationem magis uidentur oportuna, & neceſſaria. Ac primùm quidem illud eſt, quòd duæ in genere, ſed diſtinctius loquendo, ſex, uel, ſeptem ſunt de diuina præſcientia opiniones.

VNA, quæ præter ſeipſum, & eſſentiam ſuam, Deum intelligere exiſtimauit nihil. aſcribitur opinio Ariſtoteli, & uniureſæ communiter Peripateticorum ſcholæ.

ALTERA eſt, quæ Deum non ſeipſum ſolùm, ſed cætera cuncta intelligere exiſtimauit; ſed hæc opinio in multas partita eſt. Quidam in uniuerſitate quadam tantùm Deum omnia cognoſcere putauerunt, & horum aliqui per eſſentiam propriam, Algazelis, Auicennæ, & multorum Ariſtotelis interpretum hæc opinio fuit, alii per Ideas, Platoni iſtam opinionem attribuere niſi fuerunt.

QVIDAM uerò non in uninerſali tantùm; ſed in particulari etiam, Deum cuncta cognoſcere, confeſsi fuerunt, qui rurſus bipartiti ſunt. Quidam enim per unicam ideam, quæ propria eſſentia eſt. Et hæc eſt germana Platonis opinio & ex Peripateticis nonnulli, uoluerunt idem ſenſiſſe Ariſtotelem. quidam uerò per plures ideas. Et cum eorum, quam iſtorum quidam Deũ C non ſolum cuncta cognoſcere; ſed ex ſua etiã præcognitione, quoniam ſcientia Dei (ut inquiunt) eſt cauſa rerum, cuncta ineuitabili neceſsitate euenire dixerunt.

VERV̀M ii rurſus in duo partiti ſunt. Quidam nanque non ex præcognitione ſola, ſed ex certa præterea cauſarum ſerie, & complicatione, neceſsitati res cunctas adiudicarunt, & hæc uidetur illa eſſe opinio; quæ Stoicis communiter attribuitur; quæ fuit etiam multorum Platonicorum opinio; unde Deum ipſum, qui prima cauſa eſt, ἀνάγκην, & neceſsitatem dixerunt.

IAMBLICHVS cognomento diuinus, unus inter Philoſophos omnes, de diuina præſcientia egregiè ſenſiſſe uiſus eſt; qui ad rerum ſiue euentuum neceſsitatem, uel contingentiam, diuinam præcognitionem nihil facere rectiſsimè exiſtimauit; ſed ea, quæ neceſſaria ſunt, uel neceſsariò euentura ſunt, ea ſimiliter quæ contingentia ſunt, uel contingenter euentura, quia ſui natura talia ſunt, & tali modo ſunt euentura, Deus propterea, ita ut ſunt, uel futura ſunt, antequam etiam eueniant, ex ſua perfectione diſtinctiſsimè, exactiſsimeque præcognoſcit; ut ex diuina præcognitione, in euentibus, neceſsitatem inferre; ſit rerum naturas & euentuum qualitates, & præcognitionis ac præſcientiæ diuinæ conditiones ignorare.

NONNVLLI rurſus fuerunt, ex diuina præcognitione, & pro diuinæ cognitionis & uoluntaD tis decreto liberè & contingenter ſi ad Deum euentum referas, & ſi ad nos, & ad res ipſas, & præterea pro ſiderum & cœleſtium corporum influxu, quibus agimur, & circunducimur, cuncta, de neceſsitate, & modo à nobis ineuitabili, euenire crediderunt. Priſcillianiſtarum, & Manichæorum, & aliorum multorum fuit hæc hæreſis, cui recentium hæreticorum plurimi ſubſcripſerunt.

NOSTRI tandem catholici Theologi, ſtante etiam de rebus ſingulis, apud Deum certiſsima, & diſtinctiſsima præcognitione; & ineuitabili, ſic dixerim, diuinæ uoluntatis decreto, cuncta, ſi ad Deum referas, innumera: ſi ad hominem, & ad ſecundas cauſas, contingenter; multa præterea ad eaſdem relata, etiam fortuitò, & temerè, euenire rectiſsimè, ut uberius à nobis hactenus declaratum fuit, atque ſanctiſsimè confitendum ſanxerunt. Quoniam omnem, quæ in rebus aliis præter Deum reperitur, neceſsitatem, in duo tantùm genera diſpoſuerunt; quorum, ut in ſecundo libro fuſius dictum eſt, unum, relationis alterum ſuppoſitionis appellauerunt. Relationis eſt, quo certos effectus in certas cauſas referunt. à quibus, & ſi, quantum eſt ex parte cauſarum illarum, ex neceſsitate illi proueniant; quia tamen cauſæ illæ uel impediri poſſunt extrinſecus uel intrinſecus deficere; multa propterea præter quàm intenderant, aliis obrepentibus cauſis, euenire

euenire uidentur. quæ non solùm contingentia sunt, sed etiam fortuita, & temeraria appellantur. Alterum (ut diximus) suppositionis nominauerunt; quod uno supposito aliud quidpiam non esse non potest. Verùm etsi res ita se habet: ut uno psito alterum non esse non possit; quia tamen id, quod supponitur, contingenter sæpè, & nonnunquam temerè reuera habet esse; nulla propterea est in huiuscemodi absoluta necessitas. Verùm quippe est, si aliquid est, siue contingenter tantùm, siue etiam temere illud fit; non potest illud, dum est, non esse; sed potest esse quòd fit contingenter & temerè. Et quoniam prior illa necessitas, quam relationis necessitatem appellauimus impediri potest: cùm Deus & causarum naturalium uirtutem suspendere, & causas ipsas destruere, & in nihilum redigere; & ipsæ se mutuo impedire, & intrinsecus deficere possint: relinquitur posterius tantùm in rebus necessitatis genus; cuius necessitas in ipsa tantùm illatione, & unius ab altero deductione est. Cæterùm cum id, quod supponitur, contingenter, uel etiam temerè sæpè esse habeat; manifestum relinquitur, nullam esse simpliciter in rebus necessariam, ita dixerim, necessitatem; sed cuncta contingenter euenire. quæ & si eueniunt contingenter aut temerè, cuncta nihilominus, ut sunt, ab æterno Deus gloriosus contuetur; & antequàm eueniant quando, & quomodo euentura sunt, præcognouit. ut ad euentus uel necessitatem, uel contingentiam: uel temeritatem, diuina præscientia faciat nihil. Hæc de primo. E F

Summatim repetuntur ea; quæ de diuina prouidentia dicta fuerunt. Cap. XXIII.



SECVNDVM appendicium corollarium est, quòd quinque in uniuersum de diuina prouidentia, sunt opiniones. Epicurus, ut diximus, & qui Epicurum sequuti sunt, quamuis, uerbo saltem, Deos esse confiteantur: à Diis tamen prouidentiam omnem, ne aliquo incommodo, eorum fœlicitatem perturbarent, abegerunt. Cum istis Mathematicos annumeremus: qui Fatum quidem affirmauerunt, Prouidentiam uerò diuinam uel penitus ignorarunt, uel à Fato saltem, & à cœlestibus, quas sibi finxerunt, influxionibus, eam minime distinxerunt. Cum iis illos constituamus, qui Deos esse uel negarunt uel dubitarunt; nempe isti omnes diuinam prouidentiam penitus abstulerunt.

STOICI (sed de Stoicorum opinione diuersi diuersimodè sentiunt) diuinam quidem prouidentiam confessi sunt: sed talem, ut à Fato differret nihil. eam propterea nec immeritò, anum fatidicam appellauerunt Epicurei; à qua ineuitabili cuncta necessitate, proficisci putauerunt. Plato egregiè sensit; cum ad summum Deum, Deorum aliorum patrem, atque opificem uniuersa retulerit: rerumque cunctarum & maximarum, & minimarum curam, & prouidentiam ipsi, pro dignitate, & naturæ excellentia, tribuerit: atque ministros quosdam diuinæ prouidentiæ, alios quorum, Deos Ethereos, alios uerò appellauit Dæmones, quos etiam plurium generum esse putauit, adhibuerit. Cæterùm erroribus scatet opinio. G

ARISTOTELES & Peripatetici humanis (ut illis perpetuus mos est) rationibus innixi Physicè, id est sensu duce tantùm, de diuina prouidentia dixerunt; sed certè ingeniosissimum, &(pro humano iudicio) subtilissimum modum tradiderunt; quo & diuina prouidentia rerum cunctarum tam in uniuersali, quàm in particulari, procurationem haberet; & cum illa, contingentiæ, & temeritatis natura affatim stare posset. Verùm cùm diuinam prouidentiam, ut superius uidimus, per mo.um, & mutationem diffinierunt; & nullam ferè in prouidente rerum prouisarum cognitionem statuerint; ualde à legitima prouidentiæ ratione recesserunt.

THEOLOGI catholici prouidentiam de rebus omnib. apud Deum affirmant, & illam in duas & quasi in tres partes dispescunt. Quod pios, & impios homines, si uel mala, & bona non æquè curet omnipotens pater: sed bona principali quadam intentione (ut modo nostro loquamur) mala uerò secundaria, & quasi per accidens: quatenus uidelicet illa etiam, quæ mala sunt, ad bonum aliquem finem diuina pietas tandem conuertat. Non item res alias, ut beluam, stirpes, & saxa tanta diligentia, quanta res humanas, hominemque ipsum administrat. Et cum diuina prouidentia res uniuersas (ut per Prophetam dictum est) suauiter disponat: non eas aliò torquet, & inflectit, quàm quò ipse propensione quadam, & suo modo contendunt: siue naturaliter, siue sponte, siue etiam liberè agant, & moueantur. ut omnis omnino temeritas, & omnis contingentiæ natura, cum diuina prouidentia, quàm commodè conueniat. Hæc de secundo. H

Breuiter repetuntur, & quæ de Fato, dicta fuerunt. Cap. XXIIII.

A ERTIVM appendicium corollarium est. Sex de fato in uniuersum esse opiniones. Epicurus, & sequaces, & si, ut quidam dixisse uidentur, in rebus cunctis fatum, & ineuitabilem necessitatem uerbo tenus posuerint; reuera tamen (ut libro tertio superius demonstrauimus) fatum negarunt; & res uniuersas casu & temere, & ut sors tulerit, euenire putauerunt. Cum his illos constituamus; qui Deos esse uel negarunt, uel dubitarunt: & qui materiata tantùm rerum principia cognouerunt: qui omnes (ut in principio nostræ disputationis diximus) cuncta temere euenire fateri coguntur: & si eorum nonnulli fatum etiam, & euentuum ineuitabilem necessitatem uisi sunt somniasse potius, quàm asseruisse.

MATHEMATICI contrà quosdam siderum influxus sibi effinxerunt: quibus cuncta certa lege, & ineuitabili quadam necessitate, euenire putauerunt. Quam necessitatem Fatum appellauerunt. Fatum inquam tum illud quod εἱμαρμένην, idest certam causarum seriem tum illud quod πεπρωμένην quasi præfixam quædam cœlitus uiuendi, & permanendi rationem dixerunt. Omnem igitur temeritatis, arbitrii, Fortunæ, contingentiæq; naturam abstulerunt; & in siderum ac cœlestium corporum motu proportione, configuratione, atque (ut multa uno uerbo perstringam) uirtute, uitæ nostræ rationem cunctam collocauerunt. opinio certè stulta, & temeraria nulla pro
B babili ratione suffulta & ab humanis mentibus, ut pote quæ inter cætera, sensui & experientiæ latissimè aduersetur, prorsus abiicienda.

CVM iis Philosophi Aegyptii possunt utcunque numerari: qui astris fatalem uim tribuerunt: & si eam quibusdam imprecationibus, per superiores uirtutes, mutari posse crediderunt. Quorũ opinio non solùm uana est, & falsa; sed etiam inuoluta adeo, ut Aegyptios illos crederem semet minimè intellexisse & uocem propriam ignorauisse.

STOICI fatum non distinxerunt à diuina prouidentia; de qua, (ut uberrimè à nobis dictum est) pessimè senserunt. cuncta nanque à diuina prouidentia, per necessariam quandam, quam sibi æternam finxerunt, causarum seriem, & complicationem, & si nonnulla eorum, quæ fierent, inter possibilia haberi putarant, fatali tamen necessitate fieri omnia existimauerunt; præter quàm quòd aliquid esse in nobis asseruerunt; quod tamen positis eorum principiis, quidquid illud sit, quod in nobis posuerunt (ut ostensum est prius) defendi non potest. Cæterùm fatum Stoici multis modis appellauerunt. εἱμαρμένην imarmenem ex causarum serie, & ordine, atque nexu. πεπρωμένην pepromenem eo quòd certo fine, & periodo unumquodque definiatur. αἶσαν Esam quoniam ab æternitate, & perpetuo causarum ordine, fluant hæc omnia. μοίραν miram quòd u-
C numquenque sua fata comitentur. ἀδραστίαν adrastiam quasi impermutabile, & inexorabile fatum, & aliis nominibus, proprietatem (ut eis uisum est) quandam fati referentibus: quibus cum alii, tum imprimis Plato, & Academici usi fuerunt.

PLATONICI cuncta fato subiecisse uidentur, præter animum & uoluntatem. de cuius arbitrio, uarii etiam uaria senserunt. Humanam nempe libertatem eorum quidam integre, quidam diminutè tueri, quidam etiam euertere conati sunt. Eorum qui illam quidem, sed diminutam defendunt; quidam sunt; qui pro ratione electæ uitæ, fatis subiici animam, uel non subiici, sed ab eis absolui crediderunt. Alii (qualis qualis uita sit) illam eatenus liberam dixerunt: quatenus hoc, uel illud eligere, uel non eligere, operari, uel non operari, hoc est operatione quidpiam aggredi uel nõ aggredi potest. Cæterùm operationem ipsam, & operationis filum, & exitum, fatali necessitati ascripserunt. Alii unicam tantùm animæ actionẽ liberam admiserunt: per quam hoc, uel illud uitæ genus primitus illa sibi deligere potuit. Cæterùm post primã illam, electiones cunctæ, & cunctæ operationes (fatis ita cogentibus) ex prima, quasi quodam continuo tenore, & complexione quadam causarum perpetua & dæmone proprio custode, ita dirigente de necessitate conse
D quuntur. Inter prouidentiam & fatum, eorum aliqui secundum rationem, alii etiam secundum rem, differentiam aliquo modo esse dixerunt. Cœterùm tribus fatum constare opinati sunt Platonici. εἱμαρμένη, necessitate, & ordine: siue, quod idem est, Lachesi, Atropo, & Clotho. Hæc est eorum raptim recitata opinio; multis ambagibus inuolutè illud tantùm, omnia ex diuino quodam nutu, & Deorum prouidentia pendere, rectissimè sunt arbitrati.

ARIST. & Peripatetici ab hac se materia expeditissimè absoluerunt, fatum & naturam idem asseuerantes. Monstra (ut monstra sunt) sicut sunt errores naturæ, ita non fato, sed casu fieri putauerunt. Si illud uerum est, quod in scholis Peripateticorum solet communiter circumferri; nusquam tamen (& si Deum aliquando, & naturam in actionibus ille coniunxerit, ut cum dicit Deũ. & naturã frustrà egisse nihil, hominẽ generari ab homine & Sole, & id genus nonnulla alia, ab Arist pronunciatũ. uidelicet opus naturæ est opus intelligentiæ; inter prouidentiã; & Fatũ uix erit discrimẽ statuendũ. At si, ut mihi non sine ratione, quã nunc omitto, uidetur dicendũ, distincta sunt rerũ Deus, & natura principia: prouidentiam in in Deo, Fatum in natura, peripateticè statuemus. Hominis τὰς πράξεις uoluntarias, & natura liberas, & à Fato absolutas dicemus; nisi fortè uelimus

mus dicere, quod ſicut natura, ita Fato liberæ illæ ſint. ita ut ſicut non à natura, ita nec à Fato liberari poſsint, cum ſint naturaliter liberæ. E

CATHOLICI Theologi in Fato, in Diuinatione in eo quod eſt concauſa, & in aliis quibuſdam huiuſcemodi rebus, aſtute procedunt: & ſanctiſsima quadam fraude utuntur. Voces etenim damnant; cæterùm rem arctiſsimè complectuntur. Cauſa uerò, cur huiuſmodi uoces condemnent, eſt quoniam illis in Dei Opt. Max. blaſphemiam, communis uſus abutitur. Huius generis inter alias eſt uox iſta Fatum: per quam Deum creaturis eſſe ſubiectum, communiter, & uulgo ſignificatur. Fatum igitur, & funditus tolli, & in cunctis iterum rebus idem adhiberi, Theologi ſentiunt. Quam rem per Fati diſtinctionem, commodè declarare poſſumus. Eſt enim ad opinionem Fatum triplex. Vnum quod in omnibus eſt; & omnia neceſsitat, quale putant Mathematici, & Stoici: cum quibus, quid prohibet, ne Platonicos etiam ſtatuamus? Alterum, quod in aliquibus ſolùm eſt, & in aliquibus minimè. ea autem tantùm in quibus eſt, ineuitabili neceſsitatate fieri dicuntur. Hæc autem ſunt uniuerſa illa, quæ natura fiunt: & à cauſis naturalibus proficiſcuntur quæ impediri nõ poſſunt: quod quidem Fatum ſicut Peripatetici ſatis doctè defendunt, ita illud, quod cuncta neceſsitare aſſeritur, cùm omnem contingentiæ & temeritatis naturam tueantur, acriter impugnant, ut lib. ſexto Metaphyſicæ, tex. VII. copiosè uideri poteſt. Vnde Auerr. lib. ſecundo Phyſicarum auſcultationum, commento VIII. ſupra quadrageſimum, inquit. Sermo dicens omnia eſſe neceſſaria, nullus eſt: & ei in Metaphyſica contradicitur. Tertium eſt, quod nullam ineuitabilitatem aſtruit; immo potius omnem euertit neceſsitatem. Fatum primum catholici Theologi penitus tollunt. Et quoniam uox iſta Fatum, in hac prima Fati ſignificatione, communiter ſumitur; ideo cum re ſignificata, uocem etiam ſignificantem, piis auribus, exulare piè & ſanctè contendunt. ſecundum aliquatenus moderantur, quoniam actionem naturæ Deum poſſe ſuſpendere, rectiſsimè arbitrantur: quod non faciunt Peripatetici. unde ea, quæ ab hoc Fato eueniunt nullo pacto ineuitabili neceſsitate euenire, dicendum eſt. tertium Fatum & ſanctiſsimè, & doctiſsimè, & arctiſsimè Theologi tuentur: quod nihil aliud eſt; quàm quædam diuinæ prouidentiæ explicatio: quæ quidem diuina prouidentia, ſicut res cunctas creauit; ita rebus cunctis, quarundam operationum principia indidit; quibus ſingulæ, pro ratione naturæ ſuæ, poſſent quidem, at non ſine diuino auxilio, aliquid operari, & ſi ex delicto, & merito noſtro (ut ad Quirinum ſcribit B. Cypr.) non ſemper diuinam opem ſentiamus, aut etiam cognoſcamus. Quidquid igitur res unaquæque operatur; & quidquid ex operatione euenit; diuina prouidentia, ac Fato, & operatur, & euenit. Non Fato, aut prouidentia, quæ rem ipſam adoperandum cogat, euentumque neceſsitet & impermutabilem reddat; ſed quæ rerum operationibus & uirtutibus auxilium præbeat, & earum uirtutem fœcundet: ſuauiterque pro rei agentis naturali appetitu, & pro optato ab eadem fine, cuncta diſponat. Dicitur autem iſtud Theologorum Fatum, non εἱμαρμένη, uel πεπρωμένη, ex certa cauſarum complicatione uel terminatione, ſed à For, faris, quod uſu caruit, à Theologis dictum eſt, quaſi effatum. Durandus propterea in primo lib. Theologicarum ſententiarum inquit, Quemadmodum in nobis uerbum uocale interioris conceptus effatiuum eſt; ſic fatum diuinæ prouidentiæ eſt expreſsiuum; & quaſi quoddam effatum, atque expreſſum. Idem habet B. Thomas in primo libro diſt. XXX, quæſt, II, art. primo ad V. Quoniam cuncta antequàm eueniant, ſunt effata; ideſt & à diuina uoluntate, quatenus ſecundarum cauſarum uirtuti, & earundem, in ſuis operationibus, opportunitati ipſa ob ineffabilem clementiam ſuam deſeruit; ac ſeſe ſuauiter inſinuat, & applicat; ſtatuta, atque decreta, & ab intellectu diuino, ante quàm eueniant, præcognita & ueluti prænunciata, atque præeffata ſunt, iuxta illud quod & in Pſal. LXI, legitur. Semel loquutus eſt Deus. Et in Iob. XXXIII. Semel loquitur Deus, & ſecundò idipſum non repetit. Et Pſal. LXXXVIII. Quæcunque procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Et Eſaias cap. primo poſtquàm diuinam quandam ſententiam pronunciauerat, ſubiecit. Os enim domini loquutum eſt iſta. à fando igitur Fatum dictum eſt; ſicut ab edicendo edictum; & à decernendo decretum; & à ſtatuendo ſtatutum dici poteſt. quoniam eo (quo ſemel, atque iterum dictum eſt) modo, Deus cuncta effatur, edicit, decernit, & ſtatuit. F G H

Tria notantur, & in tertio Boethii de Fato diffinitio exponitur, & ſuboriens in notatis dubitatio diſſoluitur. CAP. XXV.



VERVM hoc loco tria ſunt à nobis corollariò notanda. Primùm quòd res ullæ per ſe, hoc eſt diuino auxilio deſtitutæ nec operantur, nec poſſunt operari: quoniam per ſe ſtare & ſubſiſtere non queunt. Sed quemadmodum aer ad hoc, ut uiſui deſeruiat, iugi ſolis, uel alterius luminoſi corporis præſentia indiget; ita res quælibet, ut ſit, & ut operetur, diuinæ prouidentiæ perpetua aſsiſtentia indiget, quæ cum illa ſit; & ei uires ſubminiſtret; & eidem cooperetur.

SECVNDVM, quod ex priore ſequitur; de quo ante copioſius dictum fuit, eſt.

A est. quòd cuiuslibet operationis, ea tantùm excepta, quæ contra naturalium agentium uirtutes, & inclinationes, à solo Deo est, duo sunt agentia principia; Deus uidelicet, & res illa; quæ pro ratione naturæ, & uirtutis à Deo in ipsa re inditæ, operatur. Hinc accidit, quòd operationes aliquæ uidentur esse solius naturalis agentis; ut cum equus currit, ignis calefacit, homo hominem generat, & huiusmodi. Quædam uerò solius Dei, ut cùm ignis pepercerit tribus pueris; cùm sæui leones Danieli; cum duo panes intantum multiplicati sunt, ut eis quinque hominum millia sint saturata; & insuper fragmentorum tantum superfuerit; cùm aquæ maris ad Israelitici populi transitum, quasi parietes solidi, perstiterunt; & aliæ huiuscemodi multæ; quas operatur Deus, non dicam nulla adhibita naturali uirtute, sed suppressa magis quorundam agentium naturalium naturali propensione. Et hoc illius fortassis opinionis de Fato occasionem præbuit; quæ liberam electionem à nobis, euentum uerò à Fato tantùm, & Deorum decreto esse dicebat: Quoniam proiecisse in lacum leonum Danielem, & in candentissimam fornacem tres pueros, humani fuit arbitrii, at ex illis, incolumes euasisse, diuini fuit iudicii & potestatis. Quædam tertiò operationes sunt; in quibus dubitari ab imperitioribus potest; an Dei magis Opt. Max. quàm naturalis agentis uirtus uigeat; uel contrà agentis naturalis uirtus magis quàm prouidentiæ diuinæ. At hinc ne capiar quæso in uerbis; non enim dubitandum est; quin in cunctis effe-
B ctis, plus diuina uirtus ualeat, & operetur, quàm inferiorum agentium; sed intelligas, quòd aliqua eueniunt in quibus dubitari potest, an diuina prouidentia magis causis naturalibus accommodetur; quàm diuinæ prouidentiæ naturales causæ. Et sunt illa, in quibus obeundis naturalium causarum ministerio & naturali earundem motu, ac propensione Deus utitur; ut fuit tempestas illa; dum Ionas Tharsis fugeret, oborta. Sodomæ, & Gomorrhæ incendium; de quo Auicenna, & alii Auicennam sequuti naturalem causam conati sunt reddere, quod loca illa cauernosa, sulphurea, & bituminosa essent ruinæ admodum apta, & incendio. Nos tamen ex sacris literis Ionæ primo, & Gen. XIX, Dei Optimi Maximi, supremæque diuinæ prouidentiæ, peculiares hos fuisse effectus, constanter edocemur: naturalium nihilominus causarum opera adhibita. Cuncti uerò tam illi, in quibus uidetur magis uigere uirtus agentis naturalis quàm diuina; quàm illi, in quibus contrà, diuina magis quàm naturalis, & illi etiam in quibus utrius magis sint, dubitant imperitiores; effectus sunt diuinæ prouidentiæ; & à Deo cuncta moderante, pendere uniuersos, existimare debemus. ut illi etiam qui nobis casuales, & temerarii uideri poterant; à diuina prouidentia ita dependeant, ut ea sic moderante proueniant. Quamobrem rectè B. Grego-
" rius enarrans illud Ioannis cap. XX. Thomas non erat cum eis quando uenit Iesus. inquit, Quid
C " fratris charissimi; quid inter hæc animaduertitis? Nunquid casu gestum creditis; ut electus il-
" li discipulus tunc deesset; post autem ueniens audiret; audiens dubitaret; dubitans palparet;
" palpans crederet? Non hoc casu, sed diuina dispensatione, gestum est. Hæc ille. De ariete similiter cornibus inter uepres hærente, ab Abraham, pro Isaac filio, immolato, existimandum est. Cuncta nempe siue necessariò, siue contingenter, siue etiam casu, & temerè nobis eueniant; Deo præuisa sunt; & eo modo, quo prius à nobis declaratum fuit, singula suauiter, hoc est pro naturali causarum agentium ratione inclinatione, dispositione, nexu, & ordine, Deo disponente proueniunt. illis exceptis, quæ præter, uel etiam supra naturalium causarum uim fienda sibi Deus omnipotens seruari uoluit; in quibus haud diuina prouidentia naturalibus causis se accommodat; sed contrà naturales causas diuinæ prouidentiæ uniuersæ naturæ opifex, & dominus, accommodari disposuit. Constat igitur locupletissimè ex iis omnibus, quæ hactenus affatim diximus, & paulò ante compendiosissimè perstrinximus, cum diuina præuidentia, & prouidentia, & cum diuina præscientia, & cum fato, arbitrii libertatem, fortunam, temeritatem, & uniuersam denique contingentiæ naturam conuenire, nec (ut multi crediderunt) pugnare ista inuicem. Meminerimus tamen, si ad diuinam prouidentiam euentum referamus, fortuitus, aut temerarius, aut etiam necessarius absolutè, & simpliciter dici potest nullus, cum quilibet pro di-
D uinæ prouidentiæ dispensatione, liberè, & contingenter eueniat. fortuiti nempe, uel temerarii denominationem, à secundis causis, euentus sortiuntur; à quarum inefficacia, huiuscemodi effectus & esse, & nomenclaturam suscipiunt.

TERTIVM, Quòd etsi fati diffinitio, quam prosa sexta libri quarti de Consolatione philosophica nobis Boethius exhibuit, catholicè exponi possit; ipse tamen loco citato, ad Stoicorum magis opinionem, & Academicorum, quàm ad catholicorum Theologorum sententiam, illam exposuit; cum ibidem & fati necessitatem ineuitabilem, & causarum indissolubilem nexum, & diuinæ prouidentiæ immobilitatem, unde res immutabiliter dependeant, frequenter inculcet. Quod sentiunt quidem, & docent Stoici, nō autem catholici Theologi; qui fati ineuitabilitatē procul abigunt; indissolubilem causarum nexum non agnoscunt; & humanam libertatem, ciuilem iustitiam, Deorum cultum, & pietatem tuentur. Quæ omnia, quamprimùm ineuitabilem fati necessitatem, & perpetuam, atque indissolubilem causarum connexionem admiseris, abstulisti.

MM Sed

Sed excusandus est Boethius. quoniam in uniuerso opere & libro illo (ut superius cap. VII libri tertii diximus) non Theologum, sed Philosophum agit; quod etiam loco prius citato luculenter satis, & exactè demonstrauimus. potest tamen (ut dictum est) ipsa diffinitio rectè & catholicè declarari si philosophiam loquentem silere paululum, aut etiam abesse iusserimus. Diffinitio igitur est, Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio; per quam suis quæque prouidentia nectit ordinibus. Id quod definitur fatum est, non astrologorum influxus; non Stoicorum certa, & indissolubilis causarum complexio; non effectus naturalis, à causa naturali de necessitate proueniens; non breuiter fatum eo modo sumptum, quo plurimæ philosophantiam sectæ sumpsere. Sed nunc uolumus per fatum intelligi, ipsum diuinæ uoluntatis, de rebus uniuersis, decretum, statutum, atque effatum. Hoc, inquam, dicimus id esse; quod diffinitur. Sequitur definitio. [Est inhærens dispositio] iam patuit, quid per inhærentem dispositionem intelligere debeamus; non ordinem tantùm rerum, ut B. doctor existimauit, sed præter ordinem, naturam etiam rerum, & quidditatem, accidentia prærerea tam communia, quàm propria, tam aduentitia, quàm naturalia, & cuncta breuiter, quæ ipsis rebus contingunt: aut etiam contingere possunt. A' diuina nanque (ut prius diximus) prouidentia, suauissimè cuncta disposita fuerunt. Sequitur [rebus mobilibus] ubi notandum est; quod inquit, quod ipsa dispositio inhæret rebus mobilibus; non autem quod res mobiles dispositioni; cui nihilominus inhærere debebant; si rebus ipsis, atque rerum actionibus, & operationibus, diuina non se accommodaret, & (dixerim) non quasi inhæreret & inseruiret prouidentia. quum enim ipsa immobilis sit; rerum mobilitati indulget; cui interea immobili quadam (ut ex B. Iustino prius diximus) ratione se insinuat. In diffinitione propterea subditur [per quam suis quæque prouidentia nectit ordinibus] dicitur [per quam] uidelicet dispositionem [prouidentia] intelligas diuina [quæque] idest singula corporea, incorporea, uiuentia, non uiuentia, maxima, & minima, quæ in Mundo uniuerso sunt; ut neque supremos angelos, supernæ menti sine motu semper inhærentes excipiamus. Quod enim fatum illud, cuius nos in præsenti definitionem declaramus, excedat, & supergrediatur, est nihil. [suis nectit ordinib.] [suis] inquit, hoc est non diuinæ prouidentiæ (ut multi perperam intellexere) sed rerum mobilium; quoniam diuersæ res diuersum ordinem habent; quibus tamen ordinibus, quamuis diuersis, in unum tandem, & eundem finem tendunt omnia. qui est Deus benedictus. à quo, per quem, & propter quē facta sunt omnia. Prouerb. XVI, Vniuersa propter seipsum creauit dominus. Si nanque diuina prouidentia, pro suo (ita dixerim) arbitrio (capias quæso lector, non quid dico, sed quod uolo dicere) & non pro rerum momento, & propensione, nexu, atque ordine, rebus prospiceret; longè melius fuisset dicere, suo ordini, quàm suis ordinibus; quòd rei immobili, qualis est diuina prouidentia, unitas potius, quàm multitudo conueniat. Cum igitur in diffinitione [suis ordinibus] dicatur; ad res mobiles pronomen [suis] sine dubio referendum est; quoniam naturalib. rerum proprietatibus, & propensionibus accommodata diuina prouidentia, in rebus ipsis, ordines plures admittit; qui quidem ordines cuncti, quoniam ab una diuina prouidentia sunt, in unum tandem ordinem, & ad unum finem denique rediguntur, ita ut omnes ordines sint unus ordo; quem quia nihil est, quod effugere possit; proptera dicitur [nectit quæque] nectere nanque est in unum, ut fieri potest, diuersa colligere. Quum igitur ista diffinitio fati, hoc modo exposita, ut eam nos exposuimus; rebus uniuersis conueniat; sequitur ut res uniuersæ mobiles esse dicantur (Est nanque rebus mobilibus inhærens dispositio) at illud, quod absolutè, & simpliciter necessarium est; non mobile, sed immobilè est. Relinquitur ergo ut præter Deum sit simpliciter necessarium nihil; sed omnia mobilia & contingentia. res autem, ut sunt, ita eueniunt. necessaria, necessario; contingentia, contingenter; immobilia, immobiliter; mobilia, mobiliter. contingenter autem, & mobiliter euenire, idem sunt. sunt autem omnia præter Deum mobilia, & contingentia; singula ergo, sine dubitatione, mobiliter, & contingenter eueniunt. Sed de diffinitione Boethii, & eiusdem, iuxta catholicam Theologorum doctrinam, explicatione, hactenus.

Tollitur apparens contradictio, & ad quem modum nonnulla necessariò eueniant, etsi omnia contingenter eueniunt, declaratur. CAP. XXVI.



VONIAM à nobis hactenus ostensum fuit, cuncta secundum catholicam nostrorum Theologorum ueritatem, contingenter euenire, aduersus nos hoc loco diligens lector dubitabit, Quomodo in primo huius nostræ disputationis libro, & cap. II, & cap. XXIIII & ultimo, eorum opinionem commendauerimus; qui cum quorundam euentuum contingentia, & temeritate, aliorum necessitatem posuerunt; quum iam semel, atque iterum cuncta contingenter, nihil autem de necessitate ex Deo euenire dixerimus.

Dissoluitur

A Dissolvitur facillimè dubitatio; ad alias, & alias causas rerum euentus referendo. Habita nanque ad primam causam, & ad Deum Opt. Max. relatione, euentus cuncti liberè prorsus (ut sæpius dictum fuit) & contingenter eueniunt; ab eo nanque habent cuncta quòd sint, & quòd causa sint aliquorum, à quo ut habent esse, ita habere possunt non esse, & actiones omnium suspendi possunt, uel etiam immutari. Omnis creatura (inquit B. Gregorius in moralibus) eo ipso quo creatura est, in semetipsa uicissitudinem mutabilitatis habet. Mutari autem ex alio ad aliud ire est, & in semetipsa stabilem non esse. Vnaquæque enim res, quasi tot passibus ad aliud tendit, quot mutabilitatis suæ motibus subiacet. Sola autẽ natura incompræhensibilis à statu suo nescit moueri, quæ ab eo quod idem semper est, nescit immutari. Hæc ille. Cum igitur nihil sit præter Deum, quod absolutè & simpliciter dici possit necessarium; sequitur ut nulla sit causa, quæ imper mutabiliter sit necessaria. ad hoc autem sequitur, ut nulla sit in cunctis euentis ineuitabilis necessitas. unde colligitur omnia contingenter euenire. quæ nihilominus ad secundas, & naturales, ac materiatas causas relata; multis modis, euenire poterunt. Quædam enim ineuitabili necessitate, ubi causarum uirtus, quæ se se temperare nequeat, & naturaliter agat, & impedita non fuerit, & non potuerit à naturali causa impediri: quædam necessitate euitabili, ubi causa proxima B etsi impediri potuerit, non fuerit tamen impedita, sed naturalis, sit, & naturaliter operata fuerit: quædam contingenter, ubi uel agens causa aliud agere poterat; uel patiens & subiectum ita ad alios euentus sicut ad hos, qui euenerunt, æqualem habuerit potentiam: quædam fortuitò, ubi agens ex ratione, non illud perfecerit, quod intendebat; sed eius actio ab interrepente causa impedita fuerit; quædam etiam temere & casu, ut cum ea, quæ ex suæ naturæ inclinatione, aliquid intendunt, non id tamen perficiunt, quod intendunt, sed obiter inter agendum irrepunt alia, quæ impediunt; temere certè quæ hoc modo eueniunt euenire dicuntur. Manifestum igitur factum est; quod etsi cuncta secundum rei ueritatem contingenter eueniunt: quoniam singula pro diuinæ uoluntatis arbitrio liberè & contingenter eueniunt, multa nihilominus ex necessitate euenire dici possunt. Sed de tertio appendicio corollario hactenus.

Quot modis contingens quilibet, uel temerarius etiam euentus, necessarius sit, exponitur; & huic octauo libro finis imponitur. Cap. XXVII.

C



Qvartvm & ultimum appendicium corollarium illud est, quòd quamuis fortunæ, & temeritatis, & totius denique contingentiæ natura, necessitati (ut dictum fuit) ita opponatur; ut necessitas contingentiæ, & contrà necessitati contingentia è regione, & formaliter sit opposita: & rursum quamuis contingentia cuncta sint, & præter Deum ipsum sit simpliciter necessarium nihil; multis tamen modis & contingentiam necessitati, & necessitatem contingentiæ Deus Opt. Max. annecti disposuit; ut litem (quæ alioquin inter duo hæc mutuò pugnantia, & tota, quod aiunt, diametro aduersantia, perpetua erat) Deus, & (ut ait Poeta) melior natura diremerit, & dissociata locis concordi pace ligauerit. Quemadmodum enim omne bonum primo excepto, quod Deus est, mali aliquid, hoc est maioris boni priuationem, uel negationem annexam habet; & malum omne, diuina sic moderante prouidentia in bonum quodpiam semper reducitur, & ad bonum refertur: quam rem nos ipsi, quasi oculis conspicere uidemur. Bono nempe cuipiam malum quodcunque adhærere semper, diuinæ pietatis leges præcipere, nisi cæci, uel nimium tardi sumus, intelligimus. Quod etiam B. Dionysius cap. IIII de Diuinis nominibus, nobis exposuit: cuius hæc sunt uerba. οὐδὲ γὰρ ἐστὶ τὸ κακὸν ὂν ἄμιγες ὑπάρχων τοῦ D ἀγαθοῦ, idest. Neque est malum quodpiam, quod bono non permistum existat. Et quemadmodum ea, quæ sibi inuicem pugnant, & aduersantur, sibi inuicem commisceri, summum naturæ opificem uoluisse, uidemus. Cinno.n. quodam (dicebat ex interprete lib. de Mun. Arist.) Principiorũ summe contrariorum commode attemperato, coagmentationem natura ipsa digessit, una eademque concinna cohærentia. quippe siccum humido, calidum frigido, graui leue mistum, & rectum orbiculari. Hæc ibi. Ita quoque omnem necessitatem, prima excepta, quæ Deus est, contingentiæ non nihil; hoc est maioris saltem necessitatis priuationem, uel negationem annexam habere; & contrà contingentiam omnem, nulla excepta, necessitatis aliquid permixtum retinere: quin etiam in necessitatem modo aliquo illam reduci, & pertrahi, decreuit. Vt id, quod in principio libri tertii diximus. Diuinam uidelicet prouidentiam in hoc Mundo, tanquam pullos duos in eodem nido, contingentiam simul & necessitatem fouere, uerissimum esse, omnes nisi hebetes & tardi admodum sint, nunc demum facillimè intelligent. quamuis enim sint ista abinuicem distantia admodum, & opposita; commisceri tamen mutuò, unumque alteri connecti, æternæ legis imperio Deum præcepisse, non ratione tantùm appræhendimus: sed oculis, nisi cæci sumus quasi conspicimus. Fortuiti nanque, & temerarii, & breuiter contingentes euentus cuncti,

in necessitatem modo aliquo, ueluti in suum habitum & naturale principium reducuntur; contingentiamque (quantum fieri potuit) necessitati commisceri, adhærereque, Deus summus rerum omnium opifex, atque connecti, uoluit, quam quidem connexionem, ac complexionem aliàs ex Homero Plutarchus innuit: dum inquit ὅταν τὶς πράξας ὃ βούλεται εἰς ὃ μὴ βούλεται ἐμπέσῃ. hoc est. quum quis id, quod uult, fecerit; in id incidet, quod minimè uult. Huius autem mutuæ connexionis; & contingentiæ in necessitatem reductionis, multi sunt modi. E

VNVS sit iste quem nuper diximus. quoniam cum aliqua temere, & inconsultò fecerimus: in multa sæpe ui quadam, & ineuitabili (quantum ad nos) necessitate, quæ alioqui noluissemus, incidimus.

ALTER modus sit ille quem Simpl. in expositione super Epictetum posuit; & sumpsit ab Alexandro Aphrodisiensi, in libro de Fato; cuius etiam in libro, An homo bonus uel malus fiat, cap. XII, Simon Portius meminit; is autem est. quòd homo contingenter, & liberè, necessariò operatur. Homo enim, quia homo est, liberè, nec utcunque liberè, sed de necessitate liberè agit. uidimus enim superius, ab humana operatione libertatem diuelli non posse. Necessitate ergo ineuitabili homo si operatur, liberè, & ex arbitrio, ac contingenter operatur. Cum autem ab arbitraria operatione ortum ducāt fortuiti euentus, ut nos prius, & secūdo Physicarum auscultationum libro fusè declarauit Arist. ut necessum sit, fortuitos euentus esse, quasi consequens esse uidebitur. In hunc modum in Deo, qui necessitas est, contingentia poni potest. Nam & si maximè necessarius sit, quidquid tamen extra se uult, de necessitate liberè & contingenter uult. F

TERTIVS modus est, quoniam quidquid dum futurum erat, erat contingens: & poterat esse: id ipsum dum est, necessarium est; quòd omne quod est (ut sæpius dictum fuit) dum est, necessarium sit esse.

QVARTVS modus est; quòd id ipsum, quod dum futurum erat, erat contingens: non solùm dum est, necessarium est esse, sed longè magis cum extiterit, & cum iam in præteritum transierit (quanquam Cleanthi, qui Chrysippi præceptor fuit hoc non placeat) necessarium est extitisse; & usque adeo necessarium; ut neque per diuinam potentiam non possit non extitisse. Lib. etenim sexto Ethicorum cap. II. Agathonem commendauit Arist. qui hoc solo Deum priuari affirmabat: infecta fieri posse, quæcunque facta sunt. Et ideo apud Græcos extat carmen illud, quod non nulli Pythagoræ ascribunt. quod lib. undecimo de legibus citatur à Platone.

» οὐκέτι γὰρ δύναται, τὸ τετυγμένον εἶναι ἄτυκτον. id est.

fieri non potest, ut id, quod factum est; factum non sit. Consimile dicebat Antipater Tarsensis: cùm fortunam non posse non dedisse, aiebat, quod semel dederit. Ioannes. etiam Scotus lib. quarto Theologicarum sententiarum & distinct. VI. quæst. IX, & distinct. X. quæst. II. Deum, asseruit, non posse (etiam de potentia absoluta) facere præteritum, non præteriisse. Vnde contra Faustum B. August. quæ uerba afferri possunt aduersus etiam Callimachum, de quo lib. primo cap. 3. quisquis ita dicit, Si Deus omnipotens est; faciat, ut quæ facta sunt, facta non fuerint: non uidet hoc se dicere: Si Deus optimus est, faciat, ut quæ uera sint, eò ipso quòd uera sunt, falsa sint. Et B. Hieronymus. dicebat, quòd etsi Deus omnia possit; non potest tamen de corrupta, facere incorruptam. hoc fortassis uoluit ille uersiculus. G

» Δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγύθι ναίει. idest.

Posse, propè necessitatem habitat. uix enim res est, quod iam preteriit; præteritam uerò fuisse, est necessarium: cum tamen paulò ante & esse & non esse poterat. quanquam interea me non lateat carmen illud aliter explicari posse.

QVINTVS modus est, quoniam collectis per conditionem undique circunstantiis, ex contingentia in necessitatē cuncta uidentur euadere. collectis namque omnibus fortuiti euentus causis, & positis id quod alioquin & contingens, & temerarium erat; necessarium tunc demum esse cognoscetur; quod ex omnibus suis collectis causis, unumquodque non euenire, non possit. Quæ res Stoicorum opinioni, omnia per successiuam causarum seriem ineuitabili necessitate euenire, asserentium, ansam non modicam præbuisse forsan doctis uidebitur. Non enim casus est euentus ita temerarius; ut nulla prorsus causarum connexione sit productus; quum sine aliqua causarum complicatione, & ordine, euenisse potuerit nihil. Sed casus est euentus; qui, à nulla causarum complexione quæ necessaria sit, productus est. Veruntamen quamuis complicatio necessaria non fuerit, quicquid tamen inde euenerit (si cunctas simul in suo ordine, ac dispositione causas intelligamus) ineuitabili quadam necessitate, progressum fuisse, nemo est, qui non intelligat. H

SEXTVS modus sit. Quoniam omne quod uerum contingenter est; exprimi per ueram orationem potest. quæ quidem oratio, & si contingenter uera sit, ipsa tamen rei, de qua est, & contra res ipsi orationi, necessitatis non nihil impartitur. Nempe si uera est oratio. Socrates sedet, necessarium est, sedere Socratem. Nisi enim sederet Socrates; oratio illa, Socrates sedet, uera minimè

A nimè esse posset. Et contrà si uerum fuerit, sedere Socratem; ex necessitate uera est oratio, Socrates sedet, si orationem quispiam conficiat. Hinc propterea non solùm Stoicis sed aliis multis uisa fuit maximi momenti ad ineuitabilem necessitatem suadendam ratio ex diuina præscientia deducta; cum tamen nullius ponderis esse, iam quilibet diiudicare potest. nullam enim necessitatem scientia, præscientia, ueritas orationis, & alia id genus important, præterquam suppositionis, & illationis. quæ necessitas in connexione tantùm, non etiam in connexis existit.

Septimus sit. Quoniam innumera sunt: quæ si simpliciter intelligantur: hoc est si non aliqua ad aliud quidpiam, relatione, non tantùm contingentia, sed temeraria etiam esse perhibentur. At si aliquid, quod uel esse, uel fuisse, uel fore supponatur, illa referantur: necessaria statim euadunt. Venam profectò secare contingens est; & supposito quòd sanari cupias, & uelis, secare uenam, necessarium erit. Item moueri equum contingens est; sed posito quòd currat: moueri equum ita necessarium est; ut non moueri illum, sit penitus impossibile.

Adde, & est modus octauus. Quoniam necessitati contingentia opponitur. Et unum oppositorum (ut in superioribus copiosè dictum est) non potest in Orbe uniuerso esse, sine altero. Necessarium autem, quia necessarium est, non potest non esse. Contingens ergo, quia necessariò opponitur, non esse non poterit. Consimilem habet in Thæteto rationem Plato ubi ad Theodo-
B rum inquit Socrates. Mala ab Orbe uniuerso expelli non possunt. Quòd necessarium sit aliquid semper esse; quod bono, quod non esse non potest, aduersetur. Hæc sunt ex interprete Platonis uerba. At impossibile est ô Theodore, mala penitus extirpari. Nam bono oppositum aliquid semper esse, necessarium est. Hæc ibi. Necessitati igitur ipsa etiam contingentia nedum, effectus ipse contingens, erit aliquo modo admista. immo quam intimè connexa.

Accedit iis, qui dicti sunt, modus nonus, quoniam contingentes affectus æterni sunt, siue secundum Physicos, in rerum naturis, & in reali existentia, & extra suas causas, mundum æternum affirmantes; siue etiam secundum Theologos, in essentia diuina ab æterno, & intra hanc primam causam, tanquam in suæ essentiæ fonte, iampridem & æternis seculis occulti. æterna autem omnia (ut inquit lib. sexto Ethicorum cap. III. Aristoteles) quatenus æterna sunt, necessaria sunt. Quamobrem ex omnibus, quæ diximus, omnino uerùm illud esse colligitur; quod Dionysius de diuinis Nominibus cap. IIII, scriptum reliquit, quòd diuina prouidentia inferiora, conuersione quadam, superioribus alligauit. terrena nanque cœlestibus, humana diuinis, mala bonis, adde contingentia necessitatibus alligari rerum cunctarum summus opifex, atque connecti uoluit. Atque hæc quidem dicta sint à nobis, de tertio Stoicorum argumento, & de diuina
C præscientia, atque de diuina prouidentia, & de Fato, deque eo quòd contingentiæ, temeritati, humanæque libertati minimè hæc ipsa repugnent; neque contingentiam, & temeritatem ex omni rerum natura expellant; de necessitate etiam, & contingentia, quomodo hæc inter se commisceantur; seque inuicem prope compatiantur, satis multa diximus. Nunc reliquum est, ut ea omnia, quæ ab aduersariis, & ab iis, qui cunctarum rerum ineuitabilem necessitatem, & Fatum defendere conantur, pro suæ opinionis confirmatione libro primo adducta fuerant, dissoluamus.

IVLII SIRENII CARRARII HIERONYMIANI, THEOLOGI, ET PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

De Fato liber nonus.

In quo ad omnes in primo libro adductas confirmationes, quibus, ex diuinatione, & futuri euentus multiplici præsensione, contingentiæ, & temeritatis natura tolli, ineuitabilis verò in cunctis rebus fati necessitas confirmari uidebatur; respondetur.

Ad primam Stoicorum confirmationem, ex sacrorum codicum auctoritate procedentem, & secundum Philosophum, & secundum Theologum respondetur.

CAPVT PRIMVM.



ETSI ad ea omnia, quæ ad ineuitabilem rerum, & euentuum omnium, fatalemq; necessitatẽ suadendam, in principio nostræ disputationis tum ex Stoicis, tum ex astrorum inspectoribus, & aliis adducta fuerunt, ex his, quæ hactenus à nobis dicta sunt, possit quiuis nõ multa difficultate, immo mira quadam facilitate respondere; & eadem cuncta dissoluere ad; singula tamen, cum eorum aliqua sint, quæ non solùm non contemnendam, sed multis etiam modis diligentem, & accuratam considerationem desiderare uideantur, proprias responsiones afferre minimè grauabimur. G

AD primam igitur confirmationem, per quam ex sacrorum codicum auctoritate, Deum cuncta præcognoscere ac moderari, ut inde omnia (cum errare in sua cognitione, ac prouidentia & decipi ille non possit) ineuitabili quadam necessitate euenire, Stoici persuadere conantur, Dicimus, quòd sacros codices, & propter religionem, & propter miram uulgi de eisdem existimationem, Aristoteles si non mente, genibus saltem, & exteriori aliquo cultu fortasse uenerar etur; cæterùm flocci eos faceret, & mentiri in eo, quod asserunt, Deum omnia præcognoscere, illos sine dubio confiteretur. Romani contrà in tanta reuerentia libros Sibyllinos (ii erant sacri Romanorum codices) habuerunt; ut (quemadmodum lib. primo cap. XIII, de magistratibus loquens Fenestella testatus est) solis Duumuiris libros istos inspicere, liceret; sed cum Duumuirorum sacerdotium, ad decem usque protractum fuisset; ab illis demum solis Decemuiris sibyllini libri legi permittebantur; sacros adeo codices Romana antiquitas est uenerata, tanquam qui mendum nullum continerent; sed Deorum mentem, & oracula certissimè continere, & ea nobis exponere crederentur. H

PLATO lib. octauo de legib. & ante Plat. Parmenides sacros codices recipit, suspicit, ac ueneratur; infallibilemque ueritatem, sicut in omnibus aliis, ita in eo, quòd Deum omnia cognoscere, moderari, & temperare significant, illos continere est opinatus. qui etsi rerum (ut prius dictum fuit) aliquarum per se solus, & immediatè, aliarum uerò aliis uel spiritualibus, uel corporalibus quibusdam naturis mediantibus curam habeat, & patrocinium; cuncta tamen modo quodam nobis inexplicabili cognoscere; & ea ab Ipso procedere, ipsúmque ab omni procedentium communione, absolutum esse; in Timæo Plato uberrimè declarauit. quæ omnia, uel Platone teste, in sacris Græcorum codicibus, fusius exponuntur. Diuinus Iamblichus, Syrianus, Plotinus, Porphyrius, & multi uel philosophantium, uel theologizantium Ethnicorum libros, qui

A qui à suis mystagogis, & antistitibus inter sacros habebantur, & uenerati sunt: & eorum aliquot sunt illi etiam interpretati.

Nostri Theologi non solùm sacros codices ob religionem suspiciunt: sed etiam, quia soli indubitatissimam ueritatem contineant, reuerentur; & tanquam uerissima sancti Spiritus oracula, castissimis auribus eosdem recipi iubent. Discrepant à Platone, Syriano, Iamblicho, & aliis philosophantibus; quod alios inter sacros, & longè diuersos nostri theologi, ab illa siue Graecorum, siue Aegyptiorum, aut Bablyoniorum antiquitate codices habeant. Eos certè nostri habent, qui Dei Optimi Maximi uera mysteria, sanctissima sacramenta & oracula indubitatissima contineant. qui uerò à philosophantibus, siue ab Ethnicis theologis, inter sacros habentur: prophani re uera omnes sunt; & multi, uel poeticis fabulis pleni; uel stupris etiam, & incestibus, & mille obscoenis actibus prodigiosi. Sed tam eorum multi, quàm nostri omnes (esto quòd omnia apud Deum praecognita statuant) à rebus tamen contingentiam, uel etiam temeritatem penitus non abigunt; quòd diuina de rebus, & euentibus omnibus praecognitione admissa, multa (ad eum modum, qui declaratus abundè in superioribus fuit) & contingenter, & temere eueni-
B re permittantur. cuius rei maximum, ex nostris codicibus sacris, habere possumus indicium: quòd omnes praeceptis, admonitionibus, increpationibus, exhortationibus, & huiusmodi multis aliis, pleni sunt: quae cuncta humanum arbitrium (à quo multa contingentium, & fortuitorum euentuum genera prodeunt) cumulatissimè declarant, atque conuincunt. Quos & si non eo modo, quo olim Sibyllini reseruari uelim, ut paucis ad eos pateret aditus: & tantum inter Pontifices uersari possent, & ab alio nemine perlegi; optarem nihilominus, ne ita latè paterent; & in cuiusque essent potestate. ut etiam in uulgarem linguam translati, apud cerdones, & lanios, & cetarios essent: à quibus peruersè intellecti, praeposterae doctrinae, & his, & aliis ansam: unde haeresis obrepet, praebere uiderētur. Multi nanque eos legendo malè intelligunt, & aliis etiā
„ malè intelligendi occasionem praebent. Nolite (inquit D. N. Matth. VII.) sanctum dare cani-
„ bus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis: & conuersi
„ disrumpant uos. Deceret certè Christianos multam sacris literis exhibere reuerentiam, ut non passim omnibus legendae permitterentur, sed uiris duntaxat, & in scientia probatis, & in fide
„ constantibus. Nisi (Esaiae VII.) credideritis non intelligetis. Hebraeorum nulli, ut in praefatione super Ezechielem, inquit B. Hieronymus principia libri Geneseos, & canticum canticorum; & Ezechielem, legere permittebantur, nisi aetatem sacerdotalis ministerii, idest, annum
C trigesimum impleuisset; ut ad perfectam scientiam, & ad mysticos intellectus, plenum humanae naturae tempus accederet. ne uidelicet eos libros, eorundemque tropologiam, & spiritalem sensum minus percipientes, irreuerenter aliqui legerent, & contrectarent, ne dicam despicerent & contemnerent. Sed de iis hactenus.

Ad secundam confirmationem, quae ab ipsa diuinatione procedit, secundum Physicos, respondetur; & primùm ex Stoicis, diuinatio ipsa persuadetur. Cap. II.



AD SECUNDAM confirmationem, quae ex ipsa diuinatione in communi prius, deinde in particulari, hoc est ex diuersi generis oraculorum praedictione, & diuinatione procedit, eo ordine dicendum est, quo in primo libro adducta argumenta fuerunt. primùm igitur ad illud, quod pro diuinatione, in uniuersum adductum fuit, deinde suo ordine, ad singula ea, quae ex certis diuinationis generibus, deducta fuerunt.

D Ad illud igitur primum, quod ex diuinatione in communi arguebatur.

Dicendum, Diuinationem quidem Xenophontem, qui Deos esse diceret, penitus abstulisse, Stoicos uerò illam defendere. quorum aliqui, ut Chrysippus & alii plerique multis comprobare fuerunt conati. quam etiam (quemadmodum posteriore libro de Diuinatione ad finem retulit Cic.) ita diffinierunt, Diuinatio est uis cognoscens, & uidens, & explicans signa; quae à Diis hominibus portendātur. Alii, Diuinatio est futurorum praesensio, hominum uitae maximè conducens, & commoda. Alii uerò ex Stoicorum secta illam (si Ciceroni in plerisque locis libri de diuinatione credendum est) ita diffinierunt, Diuinatio est earum rerum, quae fortuitae putantur, praedictio, atque praesensio. Dixerunt alii, Diuinatio est earum rerum, quae in fortuna sunt positae, praesensio. quae quidem diuinationis diffinitiones, prophetiae etiam (de prophetia autem nunc Physica loquimur quam superius libro septimo in partes quatuor secuimus) si communem loquendi modum sequamur; & differentiam, quam inter uatem, & Prophetam posuit Plato abiiciamus, aptari possunt. Etenim hoc modo diuinare, idest uel portenta explicare, uel futura praesentire, illa maximè quae in fortuna sunt posita, prophetare est. Diuinationem autem à tribus originem

riginem ducere Posſidonius exiſtimauit. à Deo, à Fato, ſiue cauſarum connexionem, & compli- E
cationem, ſiue magis cœleſtem influxum per fatum intelligat (erat enim mathematicus egregius) & à natura diuinationem in duo genera Stoici diſtinxerunt; quorum unum ex arte, alterum ex natura eſſe affirmauerunt. Ex arte, inquiunt, ſunt auſpicia, auguria, & id genus alia.

Ex natura uerò ſunt ſomnia & furores. his nonnulli ſortes addiderunt. primùm illud coniectura iugique rerum obſeruatione conſtare antiqui putauerunt, ſecundum concitatione, & furore. Multi fuerunt Phyſici, ut Dicæarchus Peripateticus, Cratippus Ciceronis familiaris, & alii, qui duo hæc tantùm, quæ ex natura eſſe dicuntur, diuinationis genera, furorem ſcilicet & ſomnium reliquerunt; cætera uerò cuncta tanquam uana, & nullius ueritatis indicia, reſpuerunt, & abiecerunt. Stoici ad diuinationem ſuadendam, illa uſi fuerunt ratione, quam ex Cratippo, Chryſippo, Diogene, Antipatro, & aliis multis lib. ſecundo, de Diuinatione, retulit Cicero. Ea autem eſt. ſi ſunt dii, neque ante declarant hominibus, quæ futura ſunt, aut non diligunt homines, aut quid euenturum ſit, ignorant; aut exiſtimant, nihil intereſſe hominum ſcire, quid ſit futurum, aut non cenſent eſſe ſuæ maieſtatis, præſignificare hominibus, quæ ſunt futura, aut ea, ne quidem dii ipſi ſignificare poſſunt. ſed conſequens falſum eſt, neque enim non diligunt nos; ſunt nanque benefici generiq; hominum amici. Neque ignorant ea; quæ ab ipſis conſtituta, deſignataq; ſunt. Neq; noſtra nihil intereſt ſcire illa; quæ futura ſunt. Erimus enim in periculis cautiores, ſi ſcierimus, quæ mala futura ſunt. Neq; Dii hoc alienum ducunt à maieſtate ſua. Neque non poſſunt futura F
prænoſcere, & præſignificare. Non igitur Dii ſunt, & nõ ſignificant nobis futura. ſunt autem Dii, ergo ſignificant nobis futura. Quòd ſi futura nobis ſignificant; uiam etiam ad ſignificationum intelligentiam nobis præbent. cæteroqui fruſtra ſignificarent. ergo diuinatio, ut tota ratio ſit, ſi Dii ſunt, eſt diuinatio; ſed Dii ſunt, igitur diuinatio.

Alia etiam breuiori ratione, ad eandem probandam, uſus eſt Cratippus: qui duo tantùm genera diuinationis admittebat, furorem, & ſomnium, ea autem eſt. Si unum aliquid ita ſit prædictum: ut cum euenerit, ita cadat, ut prædictũ fuit, eſt diuinatio. ſed eſt primũ, eſt igitur diuinatio. Rationem iſtam pluribus uerbis lib. primo & ſecundo de diuinatione ita, ad Cratippi opinionẽ, expóſuit Cic. Si ſine oculis non poteſt extare officium, & munus oculorum: poſſunt autem aliquando oculi non fungi ſuo munere; qui uel ſemel ita eſt uſus oculis; ut uera cerneret; is habet ſenſum oculorum uera cernentium. Item igitur ſi ſine diuinatione, non poteſt officium, & munus diuinationis extare: poteſt autem quis, cum diuinationem habeat, errare aliquando, nec uera cernere, ſatis eſt ad confirmandam diuinationem ſemel ita eſſe aliquid diuinatum: ut nihil fortuitò cecidiſſe uideatur, ſunt autem eius generis innumerabilia; eſſe igitur diuinationem confitendum eſt. Addebat Chryſippus rationẽ aliam, ut libro quarto de Præparatione euangelica cap. II, G
retulit Euſebius, quæ eſt, fatum prædictiones ueræ & certæ ſunt ſi fato fiunt uniuerſa, ſed eſt primum, igitur diuinatio.

Diuinatio, qualem aſſerunt Stoici, multis phyſicis rationibus improbatur. CAP. III.



VERVMENIMVERO aduerſus diuinationem illam, quam Stoici defendunt, inſurrexit Carneades, & cum Carneade Cicero hac ratione. Diuinatio non habet certum ſubiectum, & certam materiam, de qua ſit, & circa quam uerſetur. diuinatio igitur non eſt. argumentum illo conſtare uidetur, quòd omnia genus quodpiam ſubiecti, ut ſint, requirere uideantur. aliud & aliud pro ratione naturæ eius, quod eſſe dicitur. aſſumptum, uiri illi ſic probant. non eſt earum rerum, quæ ſubiectæ ſenſibus ſunt; nec earum, quæ artibus continentur; nec earum, quæ in philoſophia diſſeruntur; nec earum, quæ in republica uerſantur; nec eſt rerum omnium, nec aliqua ei certa materia, in qua uerſetur, poteſt aſcribi. ſequitur ergo ut nulla ſit diuinatio. H

AT reſpondebunt Stoici, in illis rebus, uerſari diuinationem, quæ in fortuna ſunt poſitæ. Ita nanque illam definire eos dicebamus. Diuinatio eſt earum rerum præſenſio, quæ in fortuna poſitæ ſunt.

SED, aduerſus hanc reſponſionem, & in uniuersùm aduerſus Stoicorum de diuinatione decreta, multis rationibus, tum Cicero tum alii plerique uenerunt: quarum aliquot potentiores uidelicet, breuibus percurremus. Primùm igitur Stoicæ diuinationi illud obſtat: quòd quæ præſentiri aut arte; aut ratione, aut uſu, aut coniectura poſſunt; ea non diuinis tribuenda Stoici putauerunt; ſed peritis. at, ſubde tu, omnia, quæ præſentiri dicuntur; uno prædictorum modorum uidentur præſentiri. Nulla igitur eſt præſenſio; quæ diuinatio dici poſſit. perperam ergo ex præſenſione diuinationem Stoici diffinierunt.

Secundum

A SECVNDVM. quia earum rerum, quæ nihil habent rationis, sed temerè, cæco casu, & uolubilitate Fortunæ fiunt, nulla potest esse præsensio. At diuinatio, est, iuxta eorum dogmata, earum rerum præsensio; quæ in Fortuna sunt positæ. Nulla igitur diuinatio.

TERTIVM. si Deus scit; quod in Fortuna positum est; certè illud ueniet. si certè eueniet; nulla fortuna est. Est autem Fortuna. rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio, quæ diuinatio dici posfit. Fortunam enim cum diuinatione, & cum diuinæ scientiæ certitudine pugnare philosophantibus omnibus uisum semper fuit; & ipsis etiam fortasse Stoicis; licèt diuinationem rerum fortuitarum præsensione definierint. Fortunæ nanque nomine, non rem, quæ temerè, & cæco casu, sed quæ per certam quidem, sed occultam causam eueniat, ut superius libro tertio cap. XXII dictum fuit) intellexere. Aduersus quos, longè secus quàm communis sit huius nominis [fortuna] usus, uti illos fortunæ significatione, dicebamus, & alia præterea obiecimus quæ nunc iterum referenda minimè duximus.

QVARTVM. diffinitio aduersatur communi Stoicorum opinioni; qui omnia Fato, fatalique
B necessitate euenire existimarunt; cum Fatum præsertim diffiniant, per æternam quandam causarum complicationem, ex qua, quicquid euenit (eueniunt autem ex ea omnia) ineuitabili necessitate eueniat. si enim nihil fieri potest; nihil accidere; nihil euenire; nisi quod ab omni æternitate, certum fuerit esse futurum; ratoque tempore, atque ex certis causis; quæ potest esse Fortuna? qua sublata, qui locus est diuinationi? quæ fortuitarum rerum præsensio dicta est? sed respondebunt (ut paulò ante dicebamus) quòd ea euenire fortuna dicantur; non quæ cæco casu, & nulla certa, & determinata causa: sed quæ ab occulta causa fiunt; quæ fato, & præfinita causarum connexione, ineuitabili necessitate, fieri illi dixerunt. Sed aduersus hanc responsionem, multa superius, hoc est tertio libro cap. XXII, obiecimus; ad quem locum lectorem in præsentiarum missum uolumus.

QVINTVM. si omnia fato fiunt, & ineuitabili necessitate proueniunt singula, quid prodest diuinatio? aut quid est, quod nos moueant, aut sortes, aut exta, aut ulla prædictio? Si enim (ut Ciceronis utamur exemplo) fatum fuit classes populi Romani bello Punico primo alteram naufragio, alteram à Pœnis depressam, interire; etiam si tripudium solistimum pulli fecissent, L. Iunio, & P. Clodio consulib. classes tamen interiissent. Sin cùm auspiciis obtemperatum esset; interituræ classes non fuerunt; non interierunt Fato: uultis autem omnia Fato. nullius igitur est,
C utilitatis diuinatio. cum ob diuinationem nil secus, quàm fiat, per nos fieri potuerit.

SEXTVM. quoniam si etiam ex futurorum diuinatione & præcognitione moueri incitarique possemus; non esset id nobis utile. si cuncta fatata esse dicamus. Quæ enim uita fuisset Priamo; si ab adolescentia, sciuisset; quos euentus senectutis esset habiturus? M. ne Crasso utile fuisset tum, cùm maximis opibus, fortunisque florebat; scire sibi interfecto Publio filio, exercituque deleto, trans Euphratem, cum ignominia, & dedecore esse pereundum? An censebimus, Cn. Pompeium tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria lætaturum fuisse; si sciuisset; se in solitudine Aegyptiorum, amisso exercitu, iri trucidatum?

ADDE, quòd non solùm nullius esset nobis utilitatis diuinatio; sed magnæ etiam sollicitudinis, perturbationis, & doloris causa. quum non tam soleant homines, bonorum expectatione, gaudere; quàm timore impendentium malorum solicitari, perturbarique, atque angi.

PRAETEREA mala nobis imminere (nisi audiamus) nullo modo cogitamus; bona uerò, innata quadam propensione, humanum genus expectare solet. Habet enim mirabilem ad ea inclinationem. Ita fit, ut bonorum annunciatione, non magnopere augeatur letitia; immo nonnunquam etiam minuatur; si maiora sponte sperauerimus; quàm ea sint: quæ uaticinio prædi-
D cuntur. Malorum autem præenunciatione, quoniam præter spem omnem sæpenumero nunciantur, uehementer tangimur, ac perturbamur.

SEPTIMO, est argumentum Alexandri Aphrod. libro de Fato. Quoniam diuinatio, est rei futuræ prænunciatio; at Stoici non præmonitorem tantùm, sed auctorem etiam parricidii futuri, atque incestus, & causam, Apollinem faciunt. Laio nempe Apollinem consulenti dixerat Pythia. Filium ne tibi generes; alioquin ab eo obtruncaberis; incestibus domus tua fœdabitur; & sanguine tota inundabit. Interrogati autem Stoici, cur in consilii aliquando, atque in exortationis morem, ab Apolline reddantur responsa; sicut nuper de Laio diximus, Respondent, Deum idcircò ita Laio respondisse; ut ea implerentur; quæ erant Fato, & ineuitabili necessitate adimplenda. Nisi enim ita respondisset Apollo; non euenissent ea; quæ de Laio, & de Oedipo commemorantur. Quoniam Laius filium, quem ebrius genuerat, non exposuisset: non expositum pastores non educassent; non educatum Polybio Corinthio non tradidissent: non traditus ignotum patrem non interemisset; & domum sanguine, & incestu non repleuisset. Sed contrà domi educatus parentes ueneratus fuisset. Vt igitur uniuersa hæc fatalis fabula perageretur; Deum tradunt in consilii speciem, responsum, Laio præbuisse; non peragenda si siluisset; aut si

ſecus reſponſura fuiſſet. Auctorem igitur tantorum ſcelerum, & non præmonitorem duntaxat Apollinem Stoici faciunt. Quo quid immanius, execrabiliusque excogitari poteſt? Præſtat cum Epicuro diuinam prouidentiam, & cunctam diuinationem funditus euertere, ac tollere; quàm improuidam adeo, & impiam prouidentiam, nec non tam nefariam diuinationem ponere; aut etiam animo excogitare. E

VLTIMO, quoniam omnes rationes pro Stoicis adductæ, non aptè connexæ ſunt; & grauiter peccant. Rationem priorem demolitur Cicero. Tum quia, quæ ab his, tanquam certa ſumuntur; ſunt uel dubia, uel doctiſsimorum hominum opinioni pugnantia. Vt quòd hæc noſtratia ſint à diis immortalibus conſtituta, & præordinata; aut quòd omnia Dii ſciant. Ariſtoteles nanque lib. duodecimo Prioris Philoſophiæ, & Dicæarchus Peripateticus Ariſtotelem ſequutus, dixerunt, Neſcire iſta inferiora Deos, melius eſſe, quàm ſcire. ſed & alia ab his multa ſumuntur; quæ à multis facilè negarentur; præſertim ab Epicureis; qui prouidentiam, & præſcientiam futurorum Diis denegant; diuinationemque omnem ab eis, & omnem præſenſionem abigunt. tum quòd etiam, ſi uera eſſent omnia, & certa; propoſitum ex illis non ex neceſſitate monſtratur, & longè probabiliorem exiſtimat Cicero rationem illam; quæ ex oppoſito illati procedit; quàm illam, qua utuntur Stoici; quæ ex aſſertione aſſumpti deducitur. ut arguatur, Si ſunt Dii, eſt diuinatio; ſed non eſt diuinatio, igitur Dii non ſunt. F

RATIONEM etiam poſteriorem, quæ eſt Cratippi, tollit Cic. & argumentum in auctorem retorquet. cùm enim multa falsò prædicta ſint; ſequitur, ut ſi quid, quod prædictum fuit, euenerit caſu, & fortuito, & non certa diuinatione, & deſtinatione eueniſſe neceſſarium ſit.

ADDE, quòd ſimilitudo illa non currit de oculis, & de diuinatione; ad quam ita reſpondet Cic. Si, inquit, aliquando oculi peccent; tamen quia rectè aliquando uiderunt; ineſt in iis uis uidendi. Item ſi qui ſemel aliquid ex diuinatione dixerit, is etiam cum pecet, tamen exiſtimandus eſt habere uim diuinandi. Vide, quæſo, Cratippe noſter, quàm ſint iſta ſimilia. Nam mihi quidem non uidentur. Oculi enim uera cernentes utuntur natura, atque ſenſu animi, ſi quando uel uaticinando, uel ſomniandu uera uiderunt; uſi ſunt fortuna, atque caſu.

ADDE, quòd hac eadem ratione uti poſſunt, & aruſpices, & fulguratores, & interpretes oſtentorum, & augures, & ſortilegi, & Chaldæi; quorum generum nullum eſt, ex quo non aliquid, ſicut prædictum ſit, euaſerit. Ergo aut hæc omnia & ſingula, diuinandi genus aliquod erunt; quæ Cratippus improbat; quod eſt ſibi ipſi aduerſari, & contradicere, aut tollenda eſt diuinatio. Non enim plus de furore, & ſomnio urget Cratippi ratio, quàm de reliquis diuinandi generibus. G

TERTIA ratio ab Epicuro, & Peripateticis irridetur, quòd omnia fatis fieri oſtendat Chryſippus; quia uaticinatio ſit. Vaticinatione non eſſe, inde probet, quia omnia fatis fiant; quo probationis modo, nihil uanius excogitari poteſt. Cùm circulares demonſtrationes inanes ſint & ex neceſsitate colligant nihil.

Ad eandem confirmationem, ex Theologo reſpondetur. Et quid de diuinatione catholicè dicendum ſit, declaratur. CAP. IIII.



CATHOLICI Theologi noſtri, etſi diuinationem, ideſt rei contingenter futuræ apud Deum præcognitionem, & factam de ea aliquando ſanctis uiris reuelationem, præſenſionemque, & hanc modis diuerſis, ut prius tunc dictum fuit; cum de prophetia ageretur, ita admittant (quamuis ſuper Michea in malam ſemper partem diuinationem accipi B. Hier. rectiſsimè dixerit) & tuentur; ut eum, qui illam uel temneret, uel negaret, tanquam hæreticum, & codicibus ſacris omnibus aduerſantem, niſi reſipiſceret, cremandum eſſe cenſerent. Negarent tamen ex diuinatione, hoc eſt ex certa euentus futuri reuelatione, uel prædictione, ſequi aliquid neceſsitate ineuitabili. quod prius cum de prophetia ageremus, fusè ſatis demonſtrauimus, immo non niſi de re & contingenti, & contingenter futura, diuinationem eſſe, affirmarent, quæ & euenire, & non euenire contingenter, uel etiam temerè poteſt. quam tamen non ſolùm uenturam Deus nouit; ſed & quando, & quomodo euentura eſt, Deus, cui futura omnia, præſentia ſunt, longè ante euentum exactiſsimè præcognouit; & eius, cui uoluit, euentum reuelauit. Hanc reuelationem eius, cui fit reuelatio, diuinationem, ideſt futuri euentus non dico præſenſionem, ſed cognitionem diuinitus habitam, nobis appellare, quæſo, liceat. Nec propterea putent aliqui nos uel ſacro canoni, uel doctis & ſanctis patribus uelle aliquo modo aduerſari; qui diuinationis nomen (quòd peſsimè ex communi uſu ſonare ſoleat) à piis fidelium auribus exulare iubent. Nam etſi nomen ipſum abiiciunt; rem tamen ipſam ſanctiſsimè tuentur. Dictum eſt enim prius; in quibuſdam uocibus, quibus loquendi conſuetudo abutitur, quòd in H

re

A re non uera illas intelligere consueuerit, Theologum cautissimum procedere; & eas quidem uoces damnare; non autem ueram earum uocum & germanam significationem; quam & theologus catholicus amplectitur; & in eo sensu, uocis etiam usum non damnare illum, ipse crediderim. Multa enim sanctis patribus, ante illorum euentum, Deum reuelasse; multa similiter sanctos patres illis diuinitus tradita nobis exhibuisse; in sacris codicibus, copiosissimè legimus; at, quė edocemur. Hanc igitur euenturæ rei præcognitionem, & prænunciationem, diuinationem, idest, ut paulò ante diximus, cognitionem diuinitus habitam appellari non posse, qui hactenus dxerit, ni fallor, fuit nemo. Sed illam diuinationem, quæ Christianis auribus pessimè sonat; & quæ ex nominis Ethymo, iuxta Isidorum rei diuinæ insimulationem dicit; & quandam uel diuinitatis, uel diuinarum reuelationum simulatam plenitudinem significat; sancti doctores omnes damnauerunt omnino; tollique eam funditus iusserunt. Illi nanque, qui isto modo diuinare, idest rem diuinam insimulare, reique contingentis euentum, cuius neque causam, neque certum indicium quodpiam teneant, ex se, quòd Dei id proprium sit, & sine diuina reuelatione, certè, & seriò prænunciare audent; non tantùm peccant mortaliter, quemadmodum affirmat D. Thomas in 22. Quæst. x c v, sed (ut ex libro Deuter. cap. x v i i i, & Leuit. cap. x x, inferius in respon

B sione ad confirmationem ex auguribus, fusius dicturi sumus) igne, & ferro omnes tollendi sunt. Non enim homo, uel creatura aliqua, ea, quæ contingenter futura sunt, certè ex se, & proprio ingenio, & determinatè cognoscere potest. Sic enim in Eccl. cap. v i i i legimus, Multa hominis afflictio; quia ignorat præterita; & futura nullo modo scire potest. Et Esai. xli, Annunciate quæ uentura sunt in futurum; & sciemus; quia Dii estis uos. Crederem tamen (quod sanctæ Romanæ ecclesiæ iudicio submissum uolumus) hominem, si modo diuinæ sapientiæ radium, quem Deus primis parentibus humani generis donarat, retinuisset, & multorum euentuum certas causas, quas nunc coniecturis, & illis sæpe falsis, ille prosequitur, & signa multa, quæ in hunc finem condita, & ante oculos nostros posita sunt; ut significent aliquid; & de futuris nos moneant; certius, & explicatius intellecturum fuisse. Sed postquam obscuratum est, lapsu parentum, insipiens cor nostrum; hebetata mentis acie, ueluti per densas nubes, solis faciem contemplamur. rerum paucarum causas noscimus, signa paucissima assequimur; & de euentibus, quos denotant, haud dextrè sæpissimè interpretamur. Vnde fit, ut impostores isti, qui futurorum euentuum cognitionē profitentur, & uenditant; miris modis nobis imponant; ut deceptis nobis, & ueluti fascinatis,

C & dæmonis cultum turpiter obiiciant; & auri nonnihil exhauriant. Quamobrem B. Aug. sicut libro secundo de doctrina Christiana cap. x i x. & aliquot sequentibns, uniuersum superstitiosæ diuinationis genus, tanquam lethiferum hominis, cum dæmone, commercium acriter damnat; ita in sermone quodam libro de Cathechismo, pulcherrimo exemplo, & diuinantium imposturam, etsi quid ab iis prædictum euenerit; casu, & fortuito euenisse; manifestare per bellè uidetur. Ad
» sortilegum, inquit, ueniunt duo, consulere illum; fur, & qui passus est furtum. Dicit ille, pu-
» tas, inueniam, quod perdidi? dat nummos, & audit, inuenies. Venit & qui abstulit; putas, nō
» inueniar? Dat & ipse nummos, & audit, non inuenieris. Quidquid horum euenerit, datur pal-
» ma diuino; perdenti dicit inueniens; furanti dicit non inuenieris, si inuentum fuerit, laudat il-
» le qui perdidit; si non inuentum fuerit, laudat ille, qui tulit; ab uno diuinus accipit laudem; & ab ambobus pecuniam. Hæc Aug. Quid ab his habent illa oracula dissimilitudinis? Crœsus Halym penetrans, magnam peruertet opum uim. Et, Aio te Aeacida, Romanos uincere posse; & alia huiusmodi? Non'ne, quidquid eueniet, etiam si temere illud euenerit, dabitur palma diuino? & prophetatum fuisse diuinitus apparebit? certo certius illud est; quòd sicut multa ab huiuscemodi diuinantibus, uel diuinationum potius impostoribus, prædicta, casu euenerunt; ita

D cuncta, quæ illi prædiuinarunt, casu ab ipsis sortilegis, & diuinantibus prædicta fuerunt. multi propterea Philosophi, ut Xenophanes Colophonius, Epicurus, & alii, etsi Deos esse fatebantur, diuinationem tameu omnem penitus respuebant; proculque abiiciebant.

Ad illud, quod pro diuinatione, ex oraculis deductum est, physicè respondetur, uel potius pro responsione nonnulla prænotantur, & præsenti hoc capite, unum, uidelicet quòd à cœlo tepor quidam rebus cunctis tribuatur; unde uiuere cuncta, multi sunt opinati.

Cap. V.



D ILLVD, quod pro afferenda diuinatione, & ex ea rerum cunctarum ineuitabili necessitate, ex oraculis primo loco adductum est, dissoluendum: nonnulla ex Plutarcho, ex Cicerone, & ex aliis philosophantibus multis, sunt à nobis prius annotanda; difficultatis deinde solutio est exhibenda. Missum interea (quæso) Asclepium faciamus, qui homines Deos posse facere, idest statuas, in quibus eductæ ab interis animæ, uel dæmones accommodarentur, putauit: cuius rei lib. octauo de Ciuit. Dei meminit B. August. Ad quam rem suadendam, dixerunt ex Mercurii Trismegisti, & Aegyptiorum monumentis nonnulli; quòd sicut naturale aliquando per artem trahitur; ut ad lignum quamuis densissimum, flamma trahitur, per oleum, uel per picem, uel per aliud huiuscemodi: ita diuinum trahitur per naturam; ut embrio certo modo affectus, & figuratus, per naturam à Deo humanam haurit animam; & ad hunc modum per magicam (aiunt) statua à mundo accipit dæmonem. Nam si ex certis materiis, certo cuipiam dæmoni congruentibus, composita rite fuerit statua; confestim (inquit Mercurius) per dæmonem congruum animatur. Non secus, quàm si disposito speculari parieti te obiicias; subito totus, ita dixerim, eris in illo, ibique uideberis: si paries idem uocem tuam per Echo reflectit; in eo statim audieris etiam, & intelligeris. Vnde Aegyptii Naturam magam dixerunt, uim ipsam magicam, in attractu quodam similium per similia, uel conuenientium saltem per conuenientia, collocantes. Vnde Arist. etiam lib. de Diuinatione per somnium, Naturam dæmoniam esse dixit. Hoc itaque modo idola effici, quæ Deos esse existimauit, Asclepius est opinatus; à quibus diuinationes, & euentuum futurorum certæ prænunciationes nobis exhiberentur. Verumenimuerò animarum, uel dæmonum in statuas introductionem (quidquid Mercurius, & Aegyptii secus dicere uideantur (non ad magiam illam physicam, & naturalem (ut isti putarunt) quæ occultarum & abditarum naturalium causarum usu, & cognitione, agentiumque patientibus legitima applicatione consistit; sed ad magiam illam (modo ad magiam spectet) quæ superstitiosa obseruatione, & ut non solùm Theologi nostri, sed etiam Plato ipse asseruit, pactionibus quibusdam, ac nefariis diaboli cum homine conuentionibus, constat; spectare credendum est. cum qua nullum uel habemus, uel habituri, Diis fauentibus, commercium aliquando sumus, unde de huiuscemodi rebus considerationem, non ad illam, quam instituimus, naturalem de oraculis tractationem pertinere, nobis catholicis, certissimum est. Dicturi igitur ad obiectionem, quæ ex oraculorum diuinatione procedit, physicè, tractaturique de oraculis naturaliter, & quasi per sensum & experientiam, non autem per uanas Hermetis, & Aegyptiorum ambages, & imposturas, tria in primis sunt à nobis notanda.

PRIMVM illud est, quod lib. secundo de Natura Deorum fusè satis ex Physicorum scholis declarauit Cic. hoc est caliditatem uitæ accommodatam qualitatem quam plurimùm esse. Quamobrem cœlesti quodam, per Orbem uniuersum diffuso tepore, qui iuxta Physicorum dogmata cœlestium corporum lumine producitur, & motu, omnia non solùm quæ renera animata sunt: sed quæ etiam uitæ sunt expertia, ut metalla, lapides; elementa ipsa, aer, aqua, terra, & uniuersa denique, quæ cœlesti globo continentur, gaudere, existimantur & frui adeo: ut cuncta modo quodam uiuere etiam uideantur. Hinc fortasse & uniuersum mundana quadam communi anima uiuere Academici, & Peripatetici sunt opinati. Vnde lib. secundo cui titulus de Cœlo & mundo, commentatione LXXI, inquit Auerroes, Orbis totus est quasi unum animal, ligatum potentia spirituali, in suo toto. & elementa singula proprias habere animas in Timæo opinatus est Plato. Qui esse duodecim principes mundi, animas sphærarum duodecim, cœlestium octo, subcœlestium quatuor affirmauit. Et animalem præterea quendam spiritum semper ab anima Mundi, quasi interioris uitæ propaginem pullulare, dixit. quem generationis omnium ubique fomitem, effectorem, & seruatorem, uiuificatoremq; existimauit. Hanc opinionem cum multi aliàs, tum nuper inter recentiores Hieronymus Cardanus medicus, uir certè & perspicacis ingenii, & multæ experientiæ, lib. quinto suarum Subtilitatum ferè sequutus uidetur, qui non animalia solùm, & plantas, sed corpora etiam metallica, & mineralia omnia, ut aurum, argentum, sulphur, lapides, & id genus alia uiuere; aliqua etiam nutriri, & fatis suis exactis, uitam obire, existimauit. Herculeum idcirco lapidem se uita functum habuisse Cardanus fatetur; quoniam magnetis frustum quoddam habebat; quod cum prius ferrum alacriter traheret; iam trahere desierat. Putat enim uir ille (ut libro septimo earundem subtilitatum clarè idem expressit, quod etiam, ut in præfatione suorum problematum testatus est Alexander, antiquiorum nonnulli antea putauerunt) magnetem ferro nutriri; illudque propterea ad se trahere. Ad hanc forsitan sententiam, referri potest antiqua Stoicorum opinio, igne æthereo uiuere omnia asserentium, & quorundam Hebræorum, quæ ex intellectu & materia, componi omnia asseuerabat; qui intellectus (ut dicebat opinio) in aliquibus intellectus, ut in homine; in nonnullis uerò tantum anima, ut in brutis: in aliis autem tantùm natura, appellabatur: ut in elementis, & mineralibus, &

A &plantis. Videtur hæc antiquissima Mercurii Trismegisti in libello, cui titulus Pimander, opinio; qui non solùm diuina quadam Mundi anima, cuncta uiuere est opinatus, sed mentem etiam, & rationem esse in illis affirmauit; in quibus esset animæ uestigium aliquod. Idem fortasse & alia quædam opinio, quæ Almarianis, à Ficino ascribitur, huic satis proxima sentire uisa est; asserens ex materia & forma propria, & Deo omnia componi; ita ut ex Deo, & forma rei propria, ut uerbi gratia ex forma lapidis, una quædam integra forma fieret in materia lapidis; quæ ipsius lapidis forma diceretur. Pythagoræ libro primo de natura Deorum hanc opinionem ascripsisse uidetur Cicero, qui censuit (inquit) animum, per naturam rerum omnium, intendere, & commeare. Firmianus lib. de ira Dei, ita de Pythagora scriptum reliquit. Pythagoras quoque unum Deum confitetur dicens; incorporalem esse mentem; quæ per omnem rerum naturam diffusa, & intenta, uitalem sensum cunctis animantibus tribuat. Heraclitus similiter rationem per uniuersum euntem Deum, & Fati substantiam existimauit. Eadem libro decimo de Legib. uidetur opin. Plato. nisi quòd ibi plures animas, tanquam plures Deos constituit. Quibus nemo (inquit) negare poterit, quin omnia plena sint. Et in Epinomide omnia asseruit Diis esse repleta. Thaletis (ut libro secundo de Legibus refert Cicero) hæc fuit etiam sententia. Ab hac opi-
B nione, non multum Manichæi recedebant; qui (ut libro secundo cap. XV, de moribus Manichæorum asseruit Augustinus) putabant partem aliquam diuinam, in rebus omnibus esse; eamq; continuè à rebus ipsis, ad Deum ueluti per exhalationem reuerti; quæ & stirpes, & animalia fœcundaret. Ad istum opinandi modum nonnulli Parmenidem, & Melissum, omnia dicentes unum, interpretari conati sunt; quatenus uidelicet omnia eandem formam habeant; quæ Deus est. Trismegistus ait se ab uno Dæmone instructum fuisse: Vnum omnia esse; quod unum non nisi Deus esse potest. Idem fortasse cum Platone, Pythagora, Parmenide, Trismegisto & aliis sensit Lucanus, cùm illud Orphei repetit.

» *Iupiter est quodcunque uides, quodcunque mouetur.*

Et Virgilius in Dameta.

» *Iouis omnia plena. Ille colit terras &c.*

Et libro sexto Aeneidos.

» *Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,*
» *Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,*
C » *Spiritus intus alit; totamq; infusa per artus*
» *Mens agitat molem; & magno se corpore miscet.*
» *Inde hominum, pecudumque genus, uitæque uolantum.*
» *Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.*

Et quæ sequuntur. Et alibi.

» *Deum nanque ire per omnes.*
» *Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.*

QVAMOBREM idem qui prius Trismegistus Mercurius in Pimandro, Nihil (ex interprete inquit) in corporibus est; quod Deus non sit. Omnia enim ipse solus existit. Et post pauca. Ipse es profectò quicquid ego sum: ipse es quicquid agam; ipse es, quicquid denique dicam. ipse enim es omnia; neque aliud præter te quicquam. Quid sanè non es ipse? ipse omne quodcunque genitum. Es quidem intelligens pater, fabricans Deus; efficiens bonum; bona faciens omnia. Materiæ nanque es purissimus aer, aeris anima; animæ mens, mentis denique Deus. Et post multa. Aeternitatis anima Deus est, anima mundi æternitas; terræ anima cœlum: Deus in mente, mens in anima, anima autem in materia. Omnia uerò ista per æuum, totum hoc corpus,
D in quo corpora omnia, mente, Deoque plena, intima mundi replet; complectitur extima; uitam omnibus hæc suggerit; extrinsecus quidem ingenti huic, perfectoque animali mundi; intrinsecus auté cæteris, quæ sunt in mundo uiuentibus. Hæc Hermes. & de primo notando hactenus.

Ponuntur duo alia prænotanda. Vnum quòd tepor iste, de quo prius, uaria producat. Alterum, quòd non unam prorsus ex terra, sed uariam exhalationem ille educat. CAP. VI.



SECVNDO notandum est, quòd tepor iste, quem à cælestibus corporibus & ab eorum luminibus & transmutationibus per Orbem uniuersum, diffundi, & quasi uiuificare omnia, superiori capite, diximus; siue unus atque idem sit, siue uarius, & multiplex diuersa: pro diuersitate passi, eiusque subiecti in quod agit, & in quo uis eius recipitur, & breuiter ex quo natura, & forma aliqua educitur, producit. Quam diuersitatem pro ratione mutuæ huius agentis teporis cum eo, quod patitur, similitudinis, uel dissimilitudinis, quam Græci

συμπάθειαν καὶ ἀντιπάθειαν uocant; procedere potissimùm credendum est. Vt gratia exempli ex equino cadauere uespas; apes ex bouino; ex asinino scarabæos; ex alio aliud generat, educit, & producit. quòd inter illa cadauera, & solem hoc, est teporem per aera diffusum, sit talis sympathia; ut hoc, uel illud animalis genus, ex unius uel alterius putredine generari ualeat. Videmus etiam pro soli diuersitate, ex quo uapor educitur; non in eodem cuncta, sed alibi alia commodius, atque facundius enasci, & generari. quam rem Georgicorum lib. primo complexus est elegantiss. Virg. dum inquit E

» *At prius ignotum ferre quàm scindimus æquor*
» *Ventos, & uarium cœli prædiscere morem*
» *Cura sit, ac patrios cultusq;, habitusq; locorum:*
» *Et quid quæq; ferat regio, & quid quæq; recuset.*
» *Hic segetes, illhic ueniunt fœlicius uuæ.*
» *Arborei fœtus alibi, atque iniussa uirescunt*
» *Gramina.* Et quæ sequuntur.

TERTIO prænotandum est, actione cælestis huius de qua loquimur, uirtutis, huiusque per aera apertum diffusi teporis è solo, & è terra exhalationem & effumationem, siue euaporationem eleuari uariam, pro uarietate scilicet soli, & eius subiectæ materiei, ex qua eleuatur, & educitur. Variam, inquam, non penès humiditatem, & siccitatem solùm: quod una infinitis prope modis, sit altera uel humidior, uel siccior; quatenus plus aquæ & uaporis, quàm terræ, & exhalationis, siue effumationis, uel contrà, exhalationis plus quàm uaporis contineat; sed penès etiam alias qualitates, pro ratione soli, regionis, temperamenti, & id genus rerum aliarum; quæ iis uel illis, ut contingit, rebus commista, & pro natura eius, cui commiscetur; & pro ratione mistionis, qua commiscetur, uarios effectus eius, quam prius diximus, συμπαθείας ἢ ἀντιπαθείας exhalatio ista, & uapor iste producit. In aeris etenim parte superiore, hipocaumata, Cometas, stellas cadentes, & alia id genus multa, hæc exhalatio efficit. In parte uerò paululum inferiore tonitrua, fulgetra, uentos, nubes, pluuias, irides, grandines, rores, pruinas, caligines & huiusmodi multa alia. In aqua saporum, & aliarum affectionum multa genera. Aliquando enim amarorem ingenerat, ut in mari patet, & in quibusdam fluminibus: quæ propè fontes amara sunt; deinde ad modicum procedentia, quòd hæc amara natura interea sursum tollatur, dulcescunt; alias item aquas sapore alio, & aliis qualitatibus, eadem aliter, & modis diuersis, & propemodum infinitis afficit. Quamobrem in Arcadia, circa Nonacrim, teste Seneca libro tertio Naturalium quæstionum cap. XXV. Sunt aquæ nec facie, nec odore suspectæ; quæ epotæ uiscera in gypsum indurant: nec remedio locus est. Albertus Alemanus libro primo Mineralium, tractatu item primo, cap. VII, refert, in Danico mari iuxta Lubicensem urbem, ramum arboris cum nido, & pullis inuentum sua ætate fuisse, omnibus in saxum conuersis. ibidem & refert Albertus, quod Conciliator sectione decima problemat. VII. confirmat. Conciliator in Anglia Albertus, in Gothia, fontem esse dicunt: cuius aquæ Federici cuiusdam Imperatoris chirotecam in ferrum conuerterunt. Strabo ad calcem lib. quinti suæ Geographiæ ait. In Italia inter Picentes & campaniam, in agro Samnitum, flumen esse Sylaris nomine; cui proprium illud esse traditur; ut in eius aquas dimissa uirgulta rigescant in lapidem; forma tamen coloreq; seruato. de quo Sillius. F G

» *Nunc Sylaris quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt*
» *Duritiem lapidum mersis inolescere ramis.*

LIGNVM quod asciæ cuiuspiam frustum fuisse uidebatur, in saxum conuersum, & in eodem nodos, & claui locum uidi ego Venetiis apud clarissimum, & in re literaria celeberrimum uirum Dominicum Venerium. Aristo. lib. tertio de Historia cap. XII, testis est, quòd in terra Asiride agri Chalcidici Thraciæ, amnis est; quem propter eius nimiam frigiditatem ψυχρὸν incolæ appellant; cuius aquæ, si oues illas biberint moxq; à potu coierint; nigros agnos generant. Et (ut idem ibidem asseruit) in Antandria duo sunt fluuii, unius aquæ candorem, alterius nigrorem pecori inducunt. eodem loco recitat Arist. Scamandrum amnem oues flauas reddere. Idcirco ab Homere lib. uigesimoprimo Iliad. ξάνθος ille, id est flauus est appellatus. Et Strabo, lib. sexto de Crathide flumine, fines Italiæ, Tarentum uersus, præterlabente ait; quòd homines in eo lotos cæsarie caudidos, & flauos efficiat. Casinitius fluuius Thraciæ, equos (ut quidam tradiderunt) aqua sua potos efferat. Sed explicari non possunt quot, & quæ hic halitus in aquis efficiat. Ex Rufo Ephesio medico celeberrimo multa Nicolaus Leonicus lib. tertio de Varia historia cap. LXIX. commemorat. Et Ouid. lib. XV. Metam. cum inquit. H

medio tua corniger Ammon.
» *Vnda die galida est, ortuq;, obituq; calescit.*
» *Admotis Athamantis aquis accendere lignum*

Narra-

A » *Narratur; minimos cum Luna recessit in orbes.*
» *Flumen habent Cicones; quod potum saxea reddit*
» *Viscera; quod tactis inducit marmora rebus,*
» *Crathis, & hinc Sybaris, uestris conterminus oris,*
» *Electro similes faciunt, auroque capillos.*
» *Cui non audita est obscœne Salmacis unda,*
» *Aethiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit;*
» *Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.*

Et alia multa ibidem ille prosequitur. Sed de eo, quod in aquis hæc exhalatio efficiat, hactenus.
In terra ferrum, stannum, argentum, aurũ, sulphur, & breuiter fossilia & metallica omnia; præterea
perpetua quædam incendia, terræ conquassationem, & tremorem & id genus alia innumera,
eandem exhalationem producere, quotidie experimur. In animantibus multa hanc effumatio-
nem efficere ea, quæ diebus singulis affatim conspicimus, locupletissimè testificantur. In homi-
B ne etiam ut uidebimus, affectum quendam, & hunc uarium pro illius hominis, qui ab halitu
afficitur, complexionis, & temperamenti diuersitate, hoc est, pro eiusdem cum halitu sympa-
thia uel antipathia producit. Lætales propterea alicubi & pestilentes sunt istæ exhalationes, ut de
Plutonia terra iuxta Hierapolim Phrigiæ, in Asia, refert Cice. ex qua (ut alii tradiderunt) pro
mens sese spiritus, eos, qui propius accesserint, pernecat omnes; parcit autem (quod mirabile
est) solis spadonibus. De Charonio antro, lib. decimoquarto Strabo recitat; & alii de Amp-
sancti in Agro Harpino, & est ni fallor, specus inter Neapolim & Puteolos; ubi uia ad paludem
Agnani inflectitur, in quo qui iniiciuntur, prius tremunt; inde sensum & motum amittunt; post
attoniti, & tumefacti expirant. Seneca lib. tertio Natural. quæst. cap. XXI. tradidit; ex quibus-
dam specubus, habitum ita mortiferum eleuari; ut eos, qui introspiciunt enecet, & transuolan-
tes etiam aues deiiciat. Vt de antro Auerni scribit Virg. lib. sexto Aeneid.

» *Quam super haud ullæ poterunt impune uolantes,*
» *Tendere iter pennis, talis sese halitus atris*
» *Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat.*

ANNEBERGI in Germania, referentibus in Dialogo quodam cui titulus, Bermannus, quibus-
dam peritissimis uiris, in fodina argentea, cui nomen erat corona rosacea, duodecim homines
C exhalatione repentè sunt suffocati. Contrà eisdem etiam referentibus, Mariabergi in Saxonia,
ex argentaria quadam fodina, odor adeo fragrans erupit: ut Henricus Saxonum Princeps, qui a-
derat, clamauerit, Calecutum adesse. Nam ex Calecuto aromata ad nos peruenire diu existi-
matum fuit. alios alibi effectus hic uapor producit, ut in agro Brixiano, propè Salodium oppi-
dum, antrum erat; in quod (ut à multis ibidem habitantibus fide dignis, ipse audiui) descen-
dentes leprosi mundarentur. Quid mirum igitur, quum tot sint terrarum, & tam multiplices
anhelitus, & euaporationes, locaque tam diuersa, tamque inter se situ suo, ac cœli positura, di-
stantia; si alicubi terrarum tales emanent respirationes; quibus animi hominum, ad futurorum
præsagia suapte ui proni, & ad diuinum furorem procliues, concitentur; & ueluti diuinitus, in-
flammentur? Diuinandi quippe uires (ut multis placuit) secum adferunt ipsi animi; egent au-
tem excitante, & commouente. sed excitare potest hic (quem diximus) spiritus, & aeris quæ-
dam proportionata temperies. Quamobrem in multis hominibus hic habitus, si præsertim in
homine τὴν συμπάθειαν, idest sympathiam nactus fuerit; ut de Epimenide Cretensi, de Euclo Cy-
prio, de Musæo Atheniensi, & aliis multis memoriæ proditum est furorem quendam, quem isti
appellant diuinum, & ueluti propheticum gignit, atque producit. & hunc similiter pro ratione
D uel soli, hoc est disparilis terrarum respirationis; uel cœli uarietatis, uel hominis patientis, &
breuiter αὐτῆς τῆς συμπαθείας, ἢ ἀντιπαθείας hoc est sympathiæ, aut antipathiæ, uarium. unde in ip-
sis uatibus, ac Pythiis atque oraculorum antistitibus, ab antiquioribus mira diuersitas conspecta
fuit; de qua re in tribus quæ deinceps consequuntur capitibus, uberius dicturi sumus. Sed de ad-
mirandæ istius exhalationis, & uirtutis effectuum, & ab ea procedentium affectuum diuersitate,
ista sufficient, si illud unum addiderimus, quod primum ac immediatè non in animum iste spiri-
tus agat: sed in corpus, siue in hoc quod oculis cernitur siue in aliud tenuius, quod ex puris ele-
mentis constare opinati sunt Platonici, de quibus corporibus aliàs fusius.

VERVM ne illud quod de ui, ac uirtute ista cælesti, & de halitu, uaporeque à terra, ab ista
cælesti uirtute, eleuato, dictum est, tam uaria uidelicet pro uarietate uel hominis patientis,
uel soli subiecti à quo educitur, efficere, mirum & incredibile cuipiam uideatur: exemplo ex
trigesima sectione Problematum Aristotelis, problemate primo, ex uino sumpto quiuis si-
bi rem persuadere, quàm commodissimè poterit. Vinum namque idem epotum libe-
rius, pro uarietate habitus, atque temperamenti corporis eius qui biberit, quis non uidet
effectus uarios efficere? Nam hunc quidem lætum efficit; illum tristiorem; hunc garrulum;
illum

illum taciturnum; furentem alium; alium misericordem; alium peruigilem; alium somnolentum; saltantem alium; alium torpentem; alium canentem; alium plangentem etiam; & alios id genus innumeros effectus, quasi uarias ebrietatis species, idem in bibentibus uinum producere conspicimus. Plura rursus pro temperamento bibentis uel ebrietatis uel aliorum effectuum genera efficientur, si uino misceantur, uel sal, uel semina pastinacæ siluestris, uel aliud id genus. E

Vnde Horat.

» *Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma*
» *Prosilijt; scribenda nunquam nisi potus Homerus.*

Et Ouid.

» *Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos,*
» *Cura fugit multo diluiturque mero.*
» *Tunc neniunt risus, tunc pauper cornua sumit,*
» *Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.*
» *Tunc aperit mentes æuo rarissima nostro*
» *Simplicitas, artes excutiente Deo.*

Et tot tantaque uinum efficere uidemus, ut non absque causa Asclepiades dixerit, Deorum potentiam uix æquari uini uirtuti. Sed quorsum plura? hæc autem prænotasse, sufficiat. F

Nunc ex iis tribus, quæ prænotata fuerunt, tollitur confirmatio ab oraculis facta; & simul de Prophetis ex parte loci, de quibus superius libro septimo, dicendum fuerat, nunc demum agitur: sed præsenti capite, de oraculo Trophonii sermo potissimùm habetur. CAP. VII.



His igitur præmissis, ad rationem ex uatum, & oraculorum prædictionibus, procedentem, eam dare quidem poteramus responsionem; quam nonnulli ex Peripateticis &, ex Cynicis, atque ex Epicureis, nec sine causa, sed multiplici cum ratione, dederunt. qui hæc omnia oracula, & oraculorum responsiones, & pro habendis responsionibus, certas expiationes, ac superstitiosas obseruationes improborum hominum imposturam, ad quæstum, & lucrum excogitatam asseruerunt. De qua re, qui plura cupiat, Cælii Calcagnini uiri egregiè docti de Oraculis non contemnendum commentariolum diligenter inspiciat. Verùm etsi istorum responsioni ultro nos constantissimè subscribamus; & hac subscriptione contenti, multa omittere poteramus, decreuimus nihilominus rem accuratius perscrutari; & unde ortum ducant oracula ipsa diligentius indagare; ad cuius rei inquisitionem, iam nonnulla præmisimus: ex quibus, mox ad obiectionem responsuri, dicemus; quòd pro ratione tum cœlestis teporis agentis, tum terreni soli huius teporis impressionem patientis, ex antris, & concauis quibusdam locis, oracula eliciebantur. omnia enim ferè ex plus uel minus concauis locis, (si legas historias) collecta fuisse oracula intelliges. Ideo Virg. lib. sexto Aeneid. G

» *At Phœbi nondum patiens immanis in antro*
» *Bacchatur uates* &c.

Et in principio eiusdem libri.

» *At Pius Aeneas arces, quibus altus Apollo*
» *Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,* H
» *Antrum immane petit: magnam cui mentem animumque*
» *Delius inspirat uates, aperitque futura*

Et alibi sæpius ubi uatis responsiones exhibet; antri quoque mentionem facit. Ex concauis, inquam, locis illis, ex quibus oraculorum responsa colligebantur, halitus siue exhalationes & effumationes quædam à tepore illo (quem diximus) cœlesti excitabantur educebanturque; quibus uates ipsi, & illi, qui antrum illud huiuscemodi effumationibus repletum fuissent ingressi, pro ratione temperamenti, & eius, quam prius dicebamus, cū halitu συμπαθείας ἢ ἀντιπαθείας diuinatione, & præsagitione plus, uel minus afficiebantur; & ad rei futuræ euentum præsagiendum, prædiuinandum, prænunciandumque, commouebantur. Rem exemplo, productis aliquot oraculis distinctius, & exactius declarabimus. Ex cauerna namque illa, in qua Trophonius in Lebadia Beotiæ consulebatur, halitus quidam prodibat huiusmodi; ut is, qui illo, modo debito, fuisset affectus, futura præsagire, & prædicere nosceret. Halitu autem consulturum affici, clarissimum signum est. quòd ii, qui Trophonium consulebant, ut multi scriptum reliquerunt; & inter recentiores, Nicolaus Leonicus, in dialogo, cui titulus Trophonius, uehementem quandam potius resupinati corporis commotionem, pedibus ad genua usque, quinimmo ipsis etiam (ut fieri

A fieri poterat) genibus, in intimiori quodam recessu, angustiorique (ut Pausanias & alii de oraculo Trophonii tradiderunt) excauata fouea, iniectis, necnon agitationem animi maximam percipiebant. in quo loci, & ex qua fouea exhalatio illa quasi scaturire, & pro angustiæ ratione uehementer cogi & arctari, uero simile uidetur, & tandem ad modum rapidi torrentis, celeriter illam moueri, agitari, ac cieri; signum non obscurum erat; quòd uniuersum consulentis corpus quasi distrahi, & totum hominem quasi rapidissimi amnis uorticibus (ut dictum est) rapi, mergiq; uideretur. & uehementi adeo celeriq; dictus uapor agitatione ciebatur: ut ex illa angustiori fouea, ui etiam, pedes consulentis eiicerentur, quæ res exhibiti iam oraculi signum erat certissimum. hoc modo habitu isto, consulens ipse correptus, manu à sacerdotibus, tanquam cæcus, & impotens ducebatur; in exedraque requieturus collocabatur; quem deinde amici, & cognati, in proximam quandam ædiculam semianimum, & stupidum asportabant; neque se tunc, neque alios planè dignoscentem; atque ita malè affectum, extra se positum, & insanum futuros aliquot euentus uidere, uel audire, siue alio quocunque modo præsagire, præsentireque, tradiderunt; quos postea illemet prædicebat; immo demens, & excors (ut erat) effutiebat potius. cuncta demum in picta tabella dæmoni offerebat. Sed de oraculo Trophonii, & ad quem modum consulentis animus ex habitu afficeretur, conuerteretúrque in furorem, hactenus. Quoniam igitur uates non nisi furentes diuinabant; antiqui propterea (ut in Phædro admonuit Plato) diuinationem μανίαν. non autem ut nunc, μαντίαν interposita τ, à furore, & insania appellauerunt. quòd dementes tantùm (ut Timæus asseruit) & insani uaticinentur, quam rem ad principium lib. sexti Aeneid. significauit nobis Virg. dum inquit.

B

» *Ventum erat ad limen, cum uirgo poscere fata*
» *Tempus ait, Deus ecce Deus, cui talia fanti,*
» *Ante fores subito non uultus, non color unus*
» *Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,*
» *Et rabie fera corda tument, maiorque uideri.*
» *Nec mortale sonans afflata est numine. quando &c.*

Et post pauca.

» *At Phœbi nondum patiens immanis in antro*
» *Bacchatur uates, magnum si pectore possit*
» *Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat*
» *Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo, &c.*

C Vatem ut uides, dementem, & insanam, & rabidam depingit. Sed redeo ad habitum. Isto igitur modo uapor iste atque ista, ex concauo loco illo teporis cælestis actione prodiens exhalatio, consulentem prædispositum furore quodam, & (sic dixerim) diuinio afficiebat. Dixi prædispositum; quòd multis prius consulturum disponere, & ad diuinium præparare oportebat, ut cum halitu (ita enim physicè interpretandum puto, quòd illi superstitiosè agebant) & ipso consulturo, proportio quædam, & συμπάθεια efficeretur. Nam quadam inedia, & aliarum rerum contrectationis abstinentia; quibusdam etiam ablutionibus unctionibusq; & aquarum quarundam epotationibus istum præpurgari, atque expiari, & noua insuper uestimenta quædam hunc induere, necessum erat, ut nisi ita præparatus, atque expurgatus ad oraculum accessisset, læsus illo uapore διὰ τῆς ἀντιπάθειας (quod cuidam Demetrii Satelliti qui expilandi potius templi, quàm consulendi dæmonis causa accesserat, contigisse, testis est Pausanias) miserè peribat.

De Delphico oraculo sermo habetur & halitus illius oraculi ortus & euanescentia declaratur. CAP. VIII.

D 

PATERE iam arbitror Trophonii diuinitatem uniuersam subterraneo speluncæ halitu, & in quadam uatis cum halitu ipso proportione, consistere. De Delphico autem (ut altero item famosissimo exemplo, res exactissimè declaretur) idem, quod de Trophonio dictum est, censendum esse putamus. Narrant enim ex lib. decimosexto historiarum Diodori, quem Angeli Cospii patritii Bononiensis opera latinum habemus, illi qui τὸν Πλοῦτον, id est Plutum Aristophanis commentati sunt, quod libro decimo confirmare uidetur Pausanias, ubi Delphicum extructum erat oraculum, hiatum prius quendam extitisse, ad quem, si capra aliqua (ante scilicet templum conditum) peruenisset; atque uel casu (ut fit) ingressa illum fuisset; uel saltem cominus introspexisset, miris modis illa protinus saltabat, atque exultabat, uocemq; longè ab aliis capris omnibus, diuersam edebat, quam rem cum semel atque iterum caprarii animaduertissent, & ad eundem hiatum, tanquam rem, ut fit, diligentius exploraturi propius accessissent, idem, quod capræ, ipsi caprarii passi sunt, atque ea, quæ tunc recens prodibat, exhalatione,

illi correpti futuros euentus dementes, furentesque præsentiebant ac prædicebant, uel effutiebant potius. Re autem subinde diuulgata, multi (ut in rebus insolitis accidit) ad locum ueniebant, quibus omnibus (modò ad hiatum illum proximè accessissent) idem quod capris, ac caprariis euenerat, contingebat. Strabo similiter libro Geographiæ nono, tripodem ita descripsit. Au- E
ctores (inquit) certi memorant, diuinum ipsum domicilium profundam, & curuam esse speluncam, non admodum lato patentem ore, atque hinc auram reddi sacro efflante numine. Excelsum autem hostio imminere tripodem, quem simul atque Pythia uates inscenderit, hausto diuinitatis spiritu, responsa ædere partim metro, partim oratione libera. hactenus Strabo. Igitur tam ex Delphico, quàm ex Trophonii oraculo ex terra, prodire uaticinium, & genus illud diuini, quod oraculum proprius physici appellarunt, colligere, quinimmo quasi ad digitum demonstrare facillimè possumus. Terræ uis (dicebat Quintus Ciceronianus lib. primo de Diuinat.) Pythiam Delphis incitabat. Quam rem lib. de Mundo circa medium affirmauit iis uerbis ex interprete Aristoteles. Multis etiam in locis Orbis exitus spirituum pari ratione patefacti sunt, quorum partim fanatico furore afficiunt homines propius accedentes; partim tabifica ui absumunt; partim fatidicos efficiunt, ut Delphici & Lebadici; sunt, & qui prorsus enecent, ut in Phrygia, hæc ille. Halitu enim huiusmodi, ex illa specu, circa quam postea templum Apollini sacrum Delphi extruxerunt, atque ex illa interiori cortina Pythia affecta, quæ sæpè ne legere quidem nouerat, ad prædicenda futura carmine priscis temporibus exametro excitabatur. Scribit Cicero lib. secundo de diuinatione, quòd Pyrrhi temporibus iam Apollo uersus facere desierat. De ipsa autem uate, & diuinante, siue Pythia non multum ab eo, quod diximus, quòd scilicet carmine exametro diceret, cum ne legere quidem sciret, aliena & in Epinomide & in Memnone scribit Plato; qui alioqui oraculorum diuinitatem plusquam tanto philosopho pareat, mordicus semper defendit. in quo loco, Nam etsi, inquit, quæ dicuntur, cognoscit, Pythia scilicet, utrum tamen uera sint, nec'ne non intelligit. quod idem longè expresius in Timæo fatetur. Quid mirum si diuinans non intelligat, uera ne sint, an falsa, quæ dicit, aut quod carmine exametro illiterata Pythia decantet, & uaticinetur? quando Patauii mulier illiteratissima (ut recitat in Problemati bus sectione xxx. Petrus de Ebano) dum melancholica quadam detineretur ægritudine, latino sermone quàm decentissimè loqueretur, atra bile postmodum expurgata, & sanitati restituta, ne uerbum quidem latini sermonis eadem proferre nouerat. Scribit Psellus uir eruditus, fuisse in Græcia honestissimam quandam mulierem senis cuiusdam uxorem, quæ aliquando lingua Armenica expeditissimè loqueretur; cum tamen domum suam uix eadem fuisset egressa. Petrus Pomponacius in lib. de incantationibus cap. x. in Vrbe Mantua, sutoris cuiusdam uxorem fuisse asseruit, quæ, cum uix urbe exiret aliquando, multa nihilominus, & diuersa idiomata callere uidebatur. Noui ego iuuenculam illiteratissimam, quæ dum ægrotaret, per dies quindecim lingua Hetrusca bellè admodum locuta fuit. Quam rem etsi à Dæmonibus, superaddititiisq; formis, cum Theologis nostris, posse effici non negemus, huiusmodi tamen asistenti uirtuti, & ipsi denique Dæmoni rem istam semper ascribere (quod plerique omnes faciunt) non multum à stoliditate abesse putamus. Vt sicut non planè probamus, ita non ualde improbamus Plutarchi sententiam; qui libro de deficientibus oraculis, stultum, & puerile existimat; Deum ipsum Prophetarum ingredi corpora; & illorum ore, ceu instrumento quodam, ad loquendum uti. uelut illos, quos uentriuagos, Euricleas quondam, nunc uerò pythonas appellant. Hæc Plutarchus. Quamobrem admirati sæpenumero fuimus; quòd Marco cuidam ab Aleto Liuio, in operibus Dæmonum, initiato, ita fidem adhibuerit Psellus, uir alioqui in re physica peritissimus; ut non hæc solùm, quæ diximus & cætera huiuscemodi omnia, sed innumera alia, ut sunt morbi, & ægritudines, quæ sine dubio, physicè loquendo, à naturalibus, & apertissimis sæpè causis efficiuntur; à Dæmonibus effici ille putauerit. Morbos propterea uniuersos quibusdam uerbis, & ritibus, quibus dæmones eiiciantur, idem expelli posse credidit. Quam opinionem contra Gnosticos cap. XIII Plotinus acerrimè confutauit. Etiam non solùm ex medicorum præceptis, sed ipsa etiam experientia constat; quòd purgata atrabile, & sanitati sunt illæ mulieres restitutæ, & multi eorum per atræ bilis expurgationem quotidie saluti suæ restituuntur; qui tamen à Dæmonibus oppresi creduntur. Sed ad halitum redeamus. Legimus aliquando non tantùm apud Ciceronem lib. secundo de Diuinatione, sed etiam apud Plutarchum libello, cui titulus, de Deficientibus oraculis nondum, quod ego uiderim, latinitate donato, à specu illa Delphica, odorem suauissimum per totam domum aliquoties diffusum fuisse; qui interea paulatim ita euanesceret, ut odoris sæpissimè prorsus tandem sentiretur nihil. Quamobrem de uapore illo non secus quàm de fontibus, cum Plutarcho non indoctè, iudicauit Cic., qui non continenter ex eodem loco fluunt, sed uel alibi aliàs fluunt, uel eixccantur. potest autem, inquit Cic., uis illa terræ, quæ mentem Pythiæ, diuino afflatu, concitabat, euanuisse uetustate; ut quosdam exaruisse amnes; aut in alium cursum contortos, & deflexos uidemus. Hactenus Cicero. Neque hoc mirum est, inquit Plutarchus

F

G

H

A chus, quando & multis locis metalla defecerint. Lapis Caryſtius, ex Caryſto Euboiæ oppido ſic
" dictus, mirandæ fuit apud priores naturæ; quoniam netilis erat, atque ad modum lini, uel la-
" næ ductilis; ex quo mantilia, mappæ, retia, cæteraque id genus, conficiebantur; & ueſtes (ut
" ex Hierocle tradiderunt nonnulli) quibus Brachmanæ, apud Indos, uti conſueuerant, quæ ubi
" ſordes contraxiſſent, in ignem coniectæ candori ſuo, citra noxam, reſtituebantur; uictrixque il
" la omnium uis ignis; aliquid tandem nacta erat, in quod ius nullum haberet. at nunc, euanue-
" runt hæc omnia: uixque in metallis uiſuntur prætenues, qui intercurrant capilli. Eiuſmodi, inquit Plutarchus, in manticis ſpiritibus, & uaticis coniectanda ſunt. Quamobrem huiuſmodi oracula tanquam humana, utpote ex terræ uaporibus oriunda, & inconſtantia euaneſcere, atque abſumi uetuſtate (cum alioqui nulla uetuſtas ſit quæ uim diuinam conficere poſsit) ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, luculenter ſatis cuilibet demonſtratum eſſe exiſtimamus. Et de oraculo Delphico ſatis.

B


De aliquot aliis oraculis, nonnulla his, quæ prius dicta fuerunt, non diſſimilia.

CAP. IX.



TROPHONICVM oraculum, & Delphicum, ex terreno halitu, originem duxiſſe; euidenter admodum demonſtrauimus. Sed quod de Delphico oraculo & & Trophonico dictum eſt: idem ferè de reliquis omnibus, in quibus uel ipſa Pythia, uel etiam ipſi conſulentes, diuino quodam furore, affici credebantur: dictum putamus. In Colophonio nanque oraculo, cuius ex Porphyrio meminit Iamblichus, aqua epota, de futuris, uates reſpondere ſolebant. In Hyſia oppido Bœotiæ, Apollinis ſacerdotes, de puteo quodam, aqua ebibita, futura prædicebant. Branchidicum Dindimæi Apollinis oraculum, de quo apud Strabonem ad principium lib. decimi quarti, & ad medietatem lib. decimi ſeptimi, nonnulla legere potes, cuius etiam Porphyrius meminit: quod fama, & opibus non ceſſit Delphico: cuius templum mole, & magnificentia operis, admirandum ita erat; ut ſine tecto imperfectum remanſerit; à Mileto metropoli Ioniæ decem & octo, ab Ionico littore uiginti ſtadiis aberat: in quo halitum, ex aqua, aſcendentem haurientes antiſtites uentura prædicebant. Argis erat oraculum; ubi ſtatis diebus, agni epoto ſanguine, uiri neſcia mulier futuros præcinebat euentus. Nec ab iis, quæ dicta
C ſunt, multum abeſt, quod de Dodoneo oraculo, quod ita Ioui, ſicut Delphicum Apollini, dicatum erat, cuius Strabo lib. ſeptimo meminit, & antiquisſimo, & Aetolis, & Acarnanibus, & omnibus, qui Epyrum incolebant, frequentatisſimo ſcribitur. Nam iuxta Dodonam ampliſſimam, & uetuſtisſimam urbem, Molosſidis in Epyro, nemori cuidam quercino, proximum erat oraculum; in quo uocales quercus creuiſſe, proditum eſt; quæ ubi interrogaturi acceſsiſſent; commouerent ſeſe, atque inſonarent; expreſſo reſponſo quod dandum erat. Ibidem fertur ſtatuam fuiſſe; quæ uirga æneos præſentes lebetes pulſaret; ſicque reſponſa interrogantibus ederet. In iis enim, & aliis ferè omnibus oraculis, erat ſimilis diuinandi ratio; quamuis quo ad modum, quo reſponſa exhiberentur uaria & longè inter ſe diuerſa oracula uiderentur. In omnibus enim certi halitus, & exhalationes quædam, certis temporibus, excitabantur; à quibus, ſiue per epotam aquam, ſiue per epotum ſanguinem, ſiue per ingreſſum ſpeluncæ, ſiue per hauſtum, & abſorptum uaporem ipſum, ſiue alio modo affectus, & excitatus uatis animus futurum euentum præſagire uidebatur; quæ exhalatio alicubi ita uehemens erat; ut uel pedes conſulentis, ut de Trophonico prius, uel etiam nemoroſas quercus, & uirgas ad quaſdam, quæ ſtatuæ manu tenerentur (ut de Dodoneo nuper dictum eſt) commoueret. Quanquam de Dodoneo
D ſunt, qui dicant, non quercus ipſas, ſed ex quercina ſylua Peliades, ſiue illæ columbæ fuerint, ſiue Iouis antiſtites fœminæ, quod, & in Phædro Platoni magis placuit; & uero longè ſimilius eſſe uidetur reſponſa petentibus exhibuiſſe. Huiuſmodi autem terræ halitus (ut prius diximus) non erat continuus: ſed ſtatis temporibus pro natura, & ratione ſoli, excitabatur. Ideo Seruius lib. ſeptimo Aeneid. dicebat, Deos aliquoties calendis, aliquoties uerò tantùm Idibus uaticinari; nonnunquam diei uel prima, uel poſtrema parte. Sed de oraculis, & quòd non ſolùm in ſe oracula ipſa diuinitatis habeant nihil: ſed quòd uel affectus quidam ſint, in nobis, ab exhalationibus è terra erumpentibus, facti; uel quod impoſturæ, & deceptiones quædam ſint, ut poſtea uberius declarabitur, ad quæſtum excogitatæ; hactenus puto Phyſicè demonſtrauimus. Ex iis autem omnibus, quæ diximus, corollariè, & quaſi quodam conſequio, unum, quod ſuperius dum de prophetia ageretur, non fuit declaratum; nunc tanquam declaratum, exactisſimeque pertractatum colligere poſſumus; illud autem eſt, Qui'nam dicantur Prophetæ ex ſolo, & ex loco. Nec iſtud ſolùm; ſed quo etiam modo ex loco, in prophetas aliqui euadant: Et præterea quàm uanum, ac futile argumentum ſit, ex oraculorum prædictionibus euentus futuri ineuitabilem necesſitatem uelle colligere; clarisſimum iam effectum fuiſſe, putamus.

Dubitatio ex perplexis oraculorum prænunciationibus procedens, physicè, & Peripateticè nunc soluitur. CAP. X. E



EX HIS, quæ hactenus, de oraculis dicta fuerunt, ad dubitationem illam, cur oracula sæpè ambigua, & obscura fuerint; aliam ab iis, quæ prius tum ex Ethnicis, tum ex nostris Theologis traditæ fuerunt, habere possumus solutionem. Dissoluimus enim ambiguitatem illam, & libro sexto cap. XXII, ex Iamblicho, & Academicis, & aliquot aliis, & libro septimo cap. XIII, ex catholicis. nunc eandem tertio & ex Aristotele & ex Cicerone diluemus. Aristoteles lib. tertio de Histor. cap. XX, & lib. septimo Politicorum cap. XVI, & lib. secundo Rethor. cap. V. rarisimè alibi (quod ego nouerim) oraculorum meminit; nec in iis locis nisi aliorum relata recitat. Cicero & Plutarchus, & alii nonnulli, de Oraculorum substantia & natura, satis rectè Philosophati sunt. Et his igitur, quæ ab his doctisimis uiris collegimus, dubitationem physicè soluere perbellè possumus. Dicimus nanque, certiora ex oraculis, & ueriora tunc prodiisse responsa, cum uel acrior et terra, puriorque halitus ille prodiret, de quo satis multa diximus; uel maior, atque exactior fuerit inter uatem, & halitum ἡ συμπάθεια, siue consensus. F
Contrà obscuriora tunc habita fuerunt ex uatibus responsa, & magis implicata & ambigua: quando uel hebetior, atque impurior fuerit terræ uis, & natura spirituum sursum educta; uel minor, atque imbecillior inter uatem & halitum, συμπάθεια, atque proportio.

NON me interea preterit, Petrum Pomponacium in libro de Incantationibus, & alios Peripateticos quosdam, longè aliter, quàm nos fecerimus, ad Aristotelis sententiam, ad quam putant illi, opiniones suas, & opinionum suarum figmenta, aptisimè collimare, huius difficultatis causam nullam signatam, & certam potuisse reddere. quòd putauerint cœlestia corpora, & intelligentias, substantiasque illas à materia abiunctas, quæ cœlestia ipsa corpora circumuoluunt, causas scilicet amplisimas, uniuersalisimasque rerum omnium, Pythiam incitasse ad prædicenda futura. non quidem per eductionem anhelitus, & cuiuspiam è terra & solo, in quo Pythia insideat, exhalationis: sed per certam cœlestium corporum constitutionem, & stellarum configurationem, & breuiter per quandam cœlitus in pythiam defluxam uirtutem. & hanc suam responsionem non dubitationi tantùm illi, quæ ex oraculis, oraculorumque prædictionibus, & uatum furoribus procedit, sed illis etiam omnibus, quæ ex somniis, ex aruspicio, ex augurio, ex omine, & ex omni denique alio diuinandi genere, erant oriundæ; aptare isti conati fuerunt; immo per quam bellè se aptasse existimauerunt. G

VERVM enimuerò ii uiri certè alioqui doctisimi ac præstantisimi; cum aliquid sibi dicere uideantur; nihil dicunt, ad doctrinam præsertim Aristotelis; qui influxus sidereos, & cœlestes illas occultas qualitates, quas sibi effinxerunt Genethliaci, & uani mathematici Aegyptii, quibus uniuersa hæc inferiora diuersimodè afficerentur, ne dicam inficerentur, & cogerentur, constantisimè, negauit; tantumque motu, & lumine suo, quæ patentes & manifestisimæ qualitates sunt, cœlestes orbes, & orbium intellectuales animas in hæc subcœlestia & inferiora corpora agere semper existimauit.

QVOD si hæc etiam occulta accidentia, qualitates & influxus istis daremus; quis ex cœlesti corpore, huiusmodi influxus est: uel etiam (physicè, Peripateticeque semper loquendo) excogitari potest; qui rei hinc ad centum, uel mille annos, sine necessaria aliqua causa, sed cæco casu, & temerè futuræ ueritatem, uel præsensionem nunc in Pythiæ animum infundere, atque ad illam prædicendam, eam commouere ualeat?

TERTIO. demus illis ad mille, & ad duo annorum millia, ante euentum, posse cœlestes influxus illius rei præsagitionem, & præsensionem in Pythiæ animum infundere. Si intelligentiæ illæ nunquam errant; & si corpora illa cœlestia nunquam, ne in minimo quidem, à præfixo sibi naturali itinere aberrant; ubi, sunt causæ illæ; quæ Pythiam ad mendacium incitant & errorem? unde (inquam) tot errores in Pythia, tot ambages, & perplexæ orationes, tot mendacisima responsa. De quibus aliqua dicemus capite sequenti. Quomodo nanque à causa non errante, possunt tot errores procedere? H

QVARTO. admittamus illis quicquid de corporibus cœlestibus, & ab eis emanantibus influxibus, illimet sibi fingunt; nihil adhuc colligent, quod dubitationem dissoluat, quoniam ex libro secundo Physicarum auscultationum effectui particulari, & signato inquirenda est particularis, & signata causa: mentes illæ mouentes, & corpora illa cœlestia, & ab eisdem descendentes influxus, causæ erunt quidem eorum effectuum, qui hic fiunt: sed uniuersales, quatenus ad effectus omnes agentium quorumcunq; sublunarium, pro ratione, tum suæ, tum subiectæ, ac patientis rei naturæ, concurrunt. at præter has uniuersales causas, ad effectum particularem, & certum, aliqua requiritur particularis & signata causa, quæ nunc inquiritur, in ipsa Pythia: quæ illam ad

furorem

A furorem & uaticinium, & rei futuræ præsensionem, moueat. Hanc nos diximus esse terræ uim, & exhalationem quandam, qua pro ratione soli, ex quo educitur, & eius, quæ solo insidet, per sympathiam Pythiæ corpus, & ex corpore animus afficiatur: ii uerò nullam reddunt, aut reddere possunt; quæ sit certa, & signata: nisi forte ad ipsius uatis temperamentum, & complexionem recurrant; quod non faciunt. si nanq; id facerent; & ferri, & ad rectiorem intelligentiam illi facilè deduci poterant.

QVINTO. quoniam lib. de Somno & Vigilia, difficillimi cuiusdam problematis, huic proposito non modicum deseruientis naturalem rationem reddere fuit conatus Arist. illud autem est. Cur aliqui, qui uidentur expirasse, sibi restituti multa prædicere, & diuinare uideantur; & ut ex infinitis, unum ex lib. primo de Anima Plutarchi afferamus, Enarchus (ex interprete inquit) nuper ægrotans, tanquam iam mortuus, à medicis fuit relictus; sed postea in seipsum reductus, dicebat se mortuum fuisse; & corpori denuo restitutum. nec eo morbo moriturum; repræhensosq; aiebat uehementer à domino suo eos spiritus: qui animam eius duxerunt. Ad Nichandam enim missos, non ad ipsum fuisse. Nichandas autem Coriarius erat: & in palestris non ignobilis; qui eo tempore, quo Enarchus reuixit, in maximas incidit febres; & repente mortuus est. Hic au-B tem uiuit, superstesq; est fœlicissimè nobiscum manens. Hæc Plutarchus. Plinius quoque (ut alterum afferamus exemplum admodum simile.) Romæ, inquit, Corfidios quosdam fratres ex equestri ordine fuisse: accidisse autem Corfidio maiori, ut uideretur expirasse; apertoque testamento, hæredem recitatum minorem Corfidium funeri institisse: interim eum, qui uidebatur extinctus, plaudendo concinisse mysteria; & narrasse se à fratre uenisse, commendatam sibi filiam ab eo; demonstratum præterea quo in loco defodisset aurum nullo conscio; & rogasse; ut iis funeribus, quæ comparasset, efferreretur. hoc eo narrante fratris domestici properè annunciauerunt exanimatum illum: & aurum, ubi dixerat, repertum est. Hæc Plinius. Huius enim & aliarum huiuscemodi (ita dixerim) diuinationum, loco citato, causam attulit Aristoteles non siderum, corporumque cœlestium influxum aliquem, aut intelligentiarum ea mouentium incitamentum quodpiam; (quod tamen facere debuerat: si Pomponacii, & aliorum quorundam doctrinam, quam Peripateticam illi arbitrantur insequi uolumus.) sed magnum animi defectum, quem syncopem, & extasim appellare possumus; quam si homo patitur; tunc quasi ille dormiat, multa illi occurrunt in phantasia; & inter illa aliqua, quæ uera sunt: quemadmodum accidit in C somnio. Ad calcem propterea libelli de Diuinatione per somnium, ecstaticos, non ex aliquo supernè demisso influxu, sed ex melancholico temperamento, multa præuidere asseuerebat; ut omnino uel ad tollendam difficultatem, de perplexis oraculis, uel ad reddendam de oraculis naturalem aliquam causam, nulla sit ad Peripateticorum dogmata, apta minus responsio; quàm ea, quæ ad cœlestes influxus confugiat; ad quos profectò qui confugit, fugere & dubitationem minimè dissoluere peritioribus notissimum est. Quamobrem eam, quam nos Peripateticis positionibus accommodatissimam, ad difficultatem illam dedimus responsionem, quo quis intimius perscrutabitur; eo solidiorem, καὶ φυσικοτέραν, idest & magis physicam, & rerum naturæ magis accommodatam fatebitur, cui etiam in lib. sexto Aeneidos subscripsisse uidetur Virgilius, cum post aliquot expeditè, & clarè per Sibyllam Aeneæ prænunciata; illam deinde facit obscurè, & per ambages loquentem: quòd uel ille acrior, puriorque halitus, uel illa inter halitum, & uatem sympathia, iam desinere inciebat. sic enim inquit Virgilius.

Talibus ex Adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages: antroque remugit:
Obscuris uera inuoluens. &c.

D QVÒD si inter uatem & halitum non fuerit sympathia, sed antipathia; ab halitu enecari Pythiam, & strangulari asseruit lib. de Deficientibus oraculis Plutarchus: quod cuidam Enanchæ accidisse refert: & nos superius cuidam Demetrii Satelliti euenisse, diximus. Non hoc loco præteribo silentio Aristotelem lib. tertio Rethor. cap. v. fraude & astu oracula sæpè ferri asseruisse: de qua re in sequentibus fusè à nobis dicendum est. Nunc sat sit Aristotelis uerba referre. capite nanque citato, Latini sermonis conditiones quinque retulit. Tertia conditio est, ut oratio sit facilis & plana, non autem obscura aut ambigua. Idcirco ex interprete inquit. Tertiò non ambigue, nisi consultò, ita quispiam faciat: quod faciunt, qui cùm nihil habent dicere, aliquid tamen se dicere simulant: ut in poesi fit, & Empedocles facit. Decipit enim circuitio cùm crebra sit, ac ita auditores afficiuntur, sicut multi cum ambigua oracula audiant, annuunt. Croesus cum Halyn traiecerit, magnum delebit principatum. & omnino quoniam minor committitur error, idcirco rem in genere, qui uaticinantur, dicunt. Dicet enim fortè aliquis uerùm magis in ludo paria, uel imparia dicens, quàm quot: & magis quod hoc erit, quàm quando. Quocirca aruspices non determinant quando.

Ad eandem confirmationem, quæ ex oraculorum prædictione procedit, ex Theologo respondetur: sed primùm de Idolorum, ac dæmonum prænunciationibus nonnulla declarantur. CAP. XI.

E



ATHOLICVS Theologus præter ea, quæ ad physicam oraculorum causam uenandam, prius ex Philosophorum dogmatibus, supposuimus, & ea etiam quæ de oraculis ex Plutarchi, Ciceronis, Aristotelis, & aliorum non ineptè philosophantium disciplinis, adduximus, quæ forsanuel confirmaret omnia, eisdemq; ultro ac lubẽs, puto, subscriberet; uel ea saltem obstinatius haud quaquam negaret; adderet pleraq; tum de bonis angelis, multa sæpè nobis oppor tuna, per occultam rationem admonentibus. Tum de malis, qui ut simplicioribus facilius imponant; per occultam nobiscum uiam loquuntur; & diuinationem simulantes, euentura illa aliquando præsignificant; quæ uel quibusdam coniecturis futura utcunque uendicant; uel sperant se posse facere aliquando; & si sæpe fallantur simul, & fallant. tum etiam de idolis, hoc est, de malis item angelis, & dæmonibus, sed per sculptilia, & simulachra loquentibus; aut aliquid quocunque modo significantibus. de quibus quid nonnulli antiquorum philosophantium senserint & ad quem modum intra statuas eos se ingerere existimauerint, prius diximus. sed quàm absint illi à ueritate, nostri Theologi manifestant, qui purum lapidem uel lignum idolum esse norunt. unde in priore ad Corinth. cap. VIII, dicebat Apostolus; quòd idola nihil sunt, ut Dii tamen ab aliquibus sunt culta, quoniam dæmonibus sunt aliquando plena idola; quibus (ut fusè lib. secundo de Doctrina Christiana cap. XIX. & aliquot sequentibus, declarauit Augustinus,) ad maiorem prauorum hominum deceptionem, & ueluti in suorum ipsorum scelerum pænam, responsa siue uoce, siue nutibus, siue aliis modis dare; & futura, prauis hominibus (ut possunt) prædicere uel species quasdam hominis imaginatiuæ, phantasticæq; uirtuti dæmones præsentare, & ueluti ob oculos proponere & præsignificare permittuntur. Quemadmodum de Iouis Ammonis idolo legitur circa medium lib. decimiseptimi apud Strabonem. Illud nanque in extimo sinu Lybiæ, apud Garamantes, ultra Cyrenem, in uastis ac torridis solitudinibus positum erat, ad quod, imbribus fauentibus, & coruis duobus iter præmonstrantibus. Alexandrum tandem peruenisse legimus. In eo igitur loco sacerdotes responsa petituri, Idolum aurato nauigio impositum circum uectitabant; carmenq; patrium accinebant; atque his ritibus, ueluti delinitum, non uoce, sed nutus, & signis subobscuris, quæ uellet, proferebat. quæ signa, & quos nutus sacerdotes iis, qui consultum accesserant, declarabant. Lucianus in tract. cui titulus de Syria Dea. In Syria ciuitate Hierapoli, inquit, Apollo uaticinaturus primùm in sede sua, moue batur; sacerdotes illico in sublime illum attollebant; qui si non extulissent, exsudabat; sublatũ por tabant; ille uerò si quid nolebat fieri, retrocedebat; contrà si quid approbaret, impellabat gestan tes; aliquando etiam, quod Luciano præsente contigit, ipse solus per aera in sublime eleuabatur; cæteris omnibus humi relictis. Tradiderunt quidam fortunæ statuam (quod in uita Coriolani confirmat Plutarchus) extra Vrbem, uia Latina, ad quatuor milliaria, bis fuisse locutam. Dii penates ex Troia in Italiam ab Aenea delati, atque in Lauinium collocati; cum ab Ascanio in Albã, quam ipse ædificauerat, portati fuissent: illi per se ipsi in Lauinium rediere. Herculis simulachrum ex Tiro Phæniciæ, ad Erithreos sponte sua profectum tradidit Leonicus, lib. primo de uaria historia. Cum uellet in Asiam Alexander traiicere, in Pierio, Orphei statua diu sudauit. Ex qua re, Aristander significari dicebat Poetas sudaturos, in occinendis magnis magni Alexandri, præclarissimisq; facinoribus. In Herculis etiam Fano, apud Lacedæmonas, pauloante Leuctricã calamitatem, & arma sonuerunt, & Herculis simulachrũ multo sudore manauit. Cumis etiam Apollo sudauit, ut refert Cicer. primo lib. de Diuinat. Reddit rationem physicam haudquaquam contemnendam, cur aliqua simulachra sudarint, quandoque Cœlius Calcagninus uir omni litera rum genere politissimus ad finem commentarii sui de citrio cedro, & citro, inquiens, Quum cedri materies naturæ suæ sponte humorem emittat, ut fermè cæteræ, quibus est oleosus humor, ni hil mirũ uideri debet; si quando deorum statuæ ex illa factæ sudasse inueniantur. Leonicus lib. I de uaria hist. cap. LXV. materiæ ex quib. Deorum simulachra antiquitas factitabat, præter metallorũ, & lapidum genera, quas diligenti, uariaq; lectione animaduertisse scribit Pausanias, erant, Ebenus, Cypressus, Cedrus, Quercus, Milax, Lotos, Buxum. Theophrastus oliuæ radicem, & Plinius uitis lignum addiderunt, quæ ligna humore quodam oleoso prædita humori parata & sudationi uidentur. Strabo, lib. sexto Geographiæ, retulit quosdam asseruisse, Palladis simulachrũ labra & palpebras agitasse. Suetonius affirmat sub mortem Domitiani, in capitolio, cornicem esse locutam, ἔςαι πάντα καλῶς, idest, Recte omnia. idem Olympiæ Iouis simulachrũ, instante Caii Caligulæ cæde, maximum cachinnum repente edidisse notauit. Sed quorsum pluribus in re notissima

A tissima abundamus exemplis. quot enim & quanta, in statuis operatus sit Diabolus, nemo est, qui ignoret. Illud igitur sit hactenus nobis manifestum; quod huiusmodi effectus omnes, nisi illos forsan excipiamus, de quibus physica causa reddi potest, opera sunt nequissimi hostis nostri Diaboli, hominum uanitati tam miserè, ac tam fœdè illudentis. Adderet item Christianus Theologus aliqua de Necyomanticis siue mauis dicere necromanticis, & de iis, qui non ex mortuis (ut uulgo falsò putatur) sed ex Dæmonibus, uariis modis apparentibus, responsa suscipiunt. Fuerunt nanq; νεκυομαντεῖα non multo pauciora oraculis. Cimmericum Homerus lib. undecimo Odysseæ ad Auernum Campaniæ locum celebrat: quo Vlysses aliquando cõcessit, ut Tyresiam uatem de
» reliquo itinere consuleret. Cuius rei lib. quinto Strabo etiam meminit. cum inquit, In Auerno
» autem maiores nostri, Homerica defunctorum uaticinia fuisse, fabulis edidère; ibique cùm ora
» culum extitisse, traditum sit; Vlyssem eò nauigasse. Hæc Strabo. Simile deinde ad locum cognominatum Tarentum, iuxta ripas Tiberis, Roma habuit. Thesprotium in Epyro Orphæus celebre fecit. in eo enim manibus cantu permulsis, Euridicæ coniugi ad superos reditum impetrasse,
B creditum fuit. Vnde Virgilius in sexto.

» *Si potuit Manes accersere coniungis Orpheus*
» *Threiicia fretus cythara, fidibusque canoris.*

Heracleum ex historia Pausaniæ Spartiatæ innotuit: quòd in eo loco Cleonicæ uirginis manes ille placaturus accesserit. Apud Lucanum Erichtone uenefica Thessala mortuum euocat; qui Sexto Pompeio exitum Pharsalicæ pugnæ denunciat. Phygalia Arcadiæ ciuitas habuit ψυχαγώγους: à quibus sciscitari occulta, & futura usitatum fuit. Appius (ut ad calcem prioris de Diuinatione testatur Quintus) hac arte, atque ipsa ψυχομαντία uti solebat. Nec tantùm Ethnicos, sed eos etiam, quibus diuinitus data lex erat; isto errore detentos fuisse legimus; ut de Saule primo lib. Regum cap. XXVIII, legitur. Quinimmo scriptum reliquerunt nonnulli; usitatissimam fuisse non multis ante annis consuetudinem accersendorum, & interrogandorum manium; & de illa re peculiaria, & magna uolumina conscripta, eademque in quibusdam scholis publicè proposita. Sed hæc, & alia huiusmodi omnia Diaboli fraudes, & ad hominem uel capiendum, uel captum arctius detinendum, inimica retia sunt; quæ omnia ex libro Deuter. cap. XVIII, abominatur dominus; & qui hæc facit; à mortuisque ueritatem inquirit; est, inquit scriptura, βδέλυγμα, idest talis res; quam odit, abominatur, & abiicit Deus in æternam damnationem.

C Multa præterea catholicus hic comminisceretur Theologus, de obsessis; in quibus, Diabolus non modica operatur; & per eos aliquando interrogantibus respondet. Multa item diceret de subtilitate, & sagacitate naturæ dæmonum, & de longa, quam de rebus habent, experientia. Ex quibus omnibus, multa siue illa sint ipsi facturi, siue ita futura esse illi coniiciant; non falsò illi prædicere, & diuinare solent.

Oracula non solùm ambigua, ut superius uidimus, sed falsissima etiam sæpè fuisse. Cap. XII.



Non arbitror, à disputatione nostra, alienum fore, cum de oraculis, quæ non solùm ex terra, sed etiam ab idolis, & dæmonibus prodeunt sermonem fecerimus, si de eisdem iterum considerationem susceperimus; atque ostenderimus quàm fuerint ipsa mendacissima, & ab humani generis hoste perpetuò, fraude, & astu, in eiusdem perniciem excogitata. Nam sicut uera aliquando diabolus uaticinatus est: quanquam in humani semper (ut dictum est) generis
D perniciem, & fraudem, ille boni operis, & ueritatis perpetuus hostis machinetur, ita plerunque ab idolis (sunt autem idola, ut paulò ante dicebamus, lapideæ, uel ligneæ, uel etiam argenteæ & aureæ, uel alterius generis statuæ; per quas, uel loquuti fuerunt, uel miris aliis, prodigiosisque modis, operati sunt quidpiam dæmones, & ab ipsis demum, oraculis, de quibus fusè satis antea diximus, falsissima & perniciosissima sæpenumerò prænunciata, exhibitaque nobis oracula, & responsa fuisse, certissimum, ita est; ut sine dubitatione aliqua, etiam atq; etiam mentiatur Iamblichus, uaticinium asserens, & semper, & in omnibus esse ueridicum. Sed Porphyrius contrà, rectius est opinatus; uaticinia cum asseruerit, nobis à malis, & infimis dæmonibus infundi; quorum natura sit subdola, omniformisque, atque uersatilis; qui Deos, & sublimes dæmones, & animas defunctorum simulent. Ab iis igitur, qui se se & natura sua subdoli, ac uersatiles sunt; quid nobis potest exhiberi ueritatis? Quamobrem si cuncta oraculorum responsa, ad æquitatis, & constantiæ, & ueritatis regulas examinare possemus, paucissima, & fortè nulla, uera esse, & solida reperiremus; sed uel perplexa, & ambigua; uel inualida & expressè falsa; uel si etiam uera, aut temere effutita, aut dolo saltem, & fraude nobis à dæmonibus fuisse exhibita intelligeremus. At cùm singula sit nobis impossibile persequi; pauca tantùm breuissimis percurre-

curremus. Socrati à Delphico oraculo dictum fuerat; quod esset omnium sapientissimus. Sed mendacissimum fuisse oraculum Lactantius ille Firmianus doctissimus ostendit; qui libro tertio de falsa sapientia multa in eo reprehendit, & in primis illud quod eidem erat celebre prouerbium; Quæ supra nos, nihil ad nos. Quasi pecudum more, in terram proni uiuere homines teneantur, & non magis ad sidera tollere uultus debeant. E

» *Quid mentem traxisse polo? quid profuit altum*
» *Erexisse caput? pecudum si more pererrant?*

Homo enim (ut in Pimandro cap. IIII, tradidit Trismegistus) effectus est diuini operis contemplator. ut dum illud admiraretur; auctorem eius agnosceret. quinimmo Dei imaginem, quamuis non satis expressam, hominem esse idem asseruit. Dicebat enim Hermes, quòd imago Dei est æuum, æui mundus, mundi sol, solis autem homo. Ex quibus, hominem Dei summi aliquam esse imaginem uoluisse manifestum est. Non multùm à Mose ille diuersus: qui ad sui imaginem, & similitudinem, Deum hominem fecisse, in principio lib. Genesis tradidit. Consimile uidetur in Dialogo, cui titulus Ion, Plato dixisse. Dum Dei summi, ait, mentem esse Iouem; Iouis Apollinem; Apollinis musas; musarum hominem. sed redeo ad oracula. Neque Phedias, de quo Plin. lib. septimo cap. XLVI, erat (ut dictum ei ab oraculo fuerat) omnium fœlicissimus. Eusebius lib. quinto de Præparationem Euangelica cap. X, Ex Tenemeo quodam, multas oraculorum fallacitates, & imposturas enarrat. inquit ille. « Oenomaus, uir apud Græcos, & Philosophia, & eloquentia nobilis, se ab Apolline Delphico responsionibus fuisse delusum, ingenuè confitetur. » F Id ipsum asseruit etiam Virgil. libro sexto dum facit Aeneam de incolumitate Palinuri ab Apolline fuisse delusum. inquit enim.

» *Hoc uno responso, animum delusit Apollo.*
» *Qui fore te ponto incolumen, finesq; canebat*
» *Venturum ausonios. &c.*

NERONEM delusit cum (ut in uita Neronis Suetonius narrat) eidem dixerat, ut annum septuagesimum tertium caueret. putauerat nempè anno ætatis suæ LXXIII, sibi imminere periculum; cum tamen metuendum esse Galbam annum tunc septuagesimum tertium agentem, oraculum admoneret: quando idem Galba, exturbato Nerone, factus est Imperator.

SED ad prodigiosa magis ueniamus, Quæ quæso delusio, quæ impostura, quæ pernicies, quæ crudelitas illa fuit, quum fame Atheniensibus, propter Androgei (ita illi putabant) cædem, agitatis, & ad uates, responsaque oraculorum de more confugientibus, interrogantibusque, quid ad Deos placandos facto opus erat: exhibita ab Apolline illa responsio fuit. oportere singulis annis septem mares, totidemque fœmellas in Cretam sacrificandos mittere. immanissimæ cuius impietatis ad tempora Socratis usque, quingentis scilicet post annis, extabant quædam uestigia. G Quamobrem aliquandiu tardatam fuisse mortem Socratis, in principio illius Dialogi, cui titulus Phædo, eius amicus, uel etiam discipulus Plato scriptum reliquit. Quòd neminem publicè necare liceret, illis temporibus, quibus uel in Delum iret, uel ex Delo reuerteretur nauis illa: in qua Theseus olim bis septem illos secum tulerat in Cretam; & illos seruauerat. Vouerat enim tunc (ut fertur) Apollini Theseus, si illi seruarentur, quotannis in Delum spectaculum quoddam mittere. Sed quæ rursus immanitas, quod mendacissimum responsum, quale expiandi sceleris genus? quæ impostura est ista tua ò Apollo, mortem morti, crudelitatem crudelitati addere? quod scelestissimum oraculum illud tuum Delphis fuit; cum Ionibus aduersus sæuissimam luem, quæ in tota uicinia horribiliter grassabatur, abs te remedium petentibus, respondisti; non desituram luem, nisi Melanippus cum Comethone (Leonicus nō Comethonem, sed Comætham legit) quam ipse in templo Dianæ Triclariæ stuprauerat (erat enim illa templi sacerdos) eidem Dianæ Triclariæ litaretur? annuatimque eisdem temporibus, pro Menalippo iuuenis elegantissimus, pro Comethone puella uenustissima, ad aram Dianæ mactarentur? Quæ res fuit causa, H ut fluuius, qui templum illud præterlabebatur ἀμείλιχος, idest immitis & implacabilis sit appellatus. Quomodo igitur non scelestissimi sunt, & turpissimi dæmones illi, qui cùm nihil nisi nocere studeant; tamen tanquam Saluatores inuocari procurant; & quomodo non stupidi, & dementes illi sunt, qui salutem ab insidiatoribus, & humanæ salutis perpetuis hostibus petunt, litareque putant Deis hominum iugulo, nec enim homicidii crimen effugiunt, si Ioui hominem offerant. Messeniis in longo illo bello, quod cum Lacedæmoniis gerebant, de exitu sciscitantibus, uictoria ab oraculo promittitur; ea conditione, ut uirginem ex Aepytidarum familia Deo immolarent. Aristomenes Messenius trecentos simul homines Ioui sacrificauit. Carthaginenses (ut Diodorus libro uigesimo historiarum scriptum reliquit) Saturno filios sacrificabant. In Cypro insula ciuitate Salamina, quam aliàs Corroneam uocabant, Ioui Teucer humana sacrificia exhibuit, & Agraualæ Cecropis filiæ homo cædebatur. Mos iste, ad Adriani Imperatoris tempora usque, referente Firmiano, seruatus est. Tauri Scytarum populi Dianæ,

A næ, Galli Eſo, & Tentanæ, omnes, ab oraculis, moniti, humano ſanguine, ſacrificabant. Romam uſque iſta immanitas peruenit. Siquidem, ut Plutarchus in uita Marcelli retulit, Sibyllinis monitis uiuos aliquot, & Græcos, & Gallos Romani, in foro Boario, defoderunt. Latini Iouis, inquit Euſebius, ſolennitate; quis ignorat in magna urbe hominem immolari? Hanc immanitatem, in libro, quo ad ueritatem gentes adhortatur, Clemens, his uerbis, ex interprete, deplorauit. Crudeles immanesque hominum hoſtes Dii ueſtri ſunt; qui non ſolùm amentia lætantur noſtra; uerùm etiam modò per contentionem certaminis, modò per cupiditatem uictoriæ, animis ueſtris concitatis, ad uoluptatem ſuam, immolationes hominum poſtulant; qui multis nonnunquam ciuitatibus, atque gentibus, tanquam communes peſtes, & fulmina incidentes, non ceſſarunt atrociter homines uexare: quouſque ſanguine hominum placati ſunt. Hactenus Clemens. Hæc, & alia id genus emendaciſsima, & facinoroſiſsima oracula, oraculorumque fœdiſsima reſponſa habuit antiquitas. de quibus libro quarto cap. VIII, de Præparatione euangelica, uideas fuſius apud Euſebium. Nihil profectò minus uerùm eſt; quàm quod dicit Iamblichus, Oracula & uaticinia fuiſſe ſemper ueridica. longè autem uerius eſt; quod Epaminondas, & Pericles dicebant, Oracula eſſe formidinis & ignauiæ (adde impoſturæ & im-
B manitatis) uelamenta. Ieremias hæc uniuerſa, ex ore Domini repræhendens, cap. XIX inquit. Et ædificauerunt excelſa Baalim, ad comburendos filios ſuos igni, in holocauſtum Baalim; quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt cor meum. Neque te moueat (quæſo) quòd ad Hebræos ſcribens Apoſt., inter eos quos fide, & iuſtitia commendat, Iephte numerauerit; quoniam iuxta uotum quod uouerat, ſuam Deo filiam immolauerit. Hiſtoria ex cap. XI, libri Iudicum nota eſt. Vouerat nanque Iephte ipſe, ſi aduerſus Ammonitas uictoria potitus fuiſſet, eum ſe immolaturum, qui de foribus domus ſuæ, obuiam ſibi primus fuiſſet egreſſus. accurrit filia; filiam in holocauſtum gemebundus obtulit. pluris faciens uoti ſolutionem (& ſi imprudens admodum uotum fuerit) quàm unicæ filiæ uitam. De qua re, in libro Quæſt. ad Orthodoxos, quæſt. XCIX, Iuſtinus Philoſophus, & Martyr ediſſerens inquit. Permiſit Deus filiam immolari: non quia humano ſanguine delectetur; ſed quo documentum ſtatueret poſteris; ne unquam imprudenter Deo uota nuncuparent. Multa enim metuenda ſunt abſurda, in huiuſmodi uotis imprudentibus; quæ, ne eueniant, proſpiciens Deus, permiſit filiam Iephte immolare. quod quidem non fuit antegreſſi conſilii, uel Dei, uel ipſius Iephte, ſed accidens imprudentis uoti. Hæc ille.

Repræhenduntur illi; qui oraculorum reſponſa uenerati ſunt.

C **CAP. XIII.**



ED redeundum eſt rurſus aliquantiſper ad uates. cum enim uaporibus, & terræ exhalationibus, affecti (ut uidimus) correptique oraculorum uates ſiue Pythiæ & prophetæ illi Ethnici furentes, de futuris diuinarent; dubitandum'ne eſt, iſtos ita temerè prophetaſſe; ſicut faciunt illi; qui natura & temperamento ſunt melancholici? Quid enim refert ad futuros euentus percipiendos, & diuinandos, ſiue magis ad eos ſomniandos, & effutiendos quòd uel natura, & intrinſecus; uel aliquo ſe inſinuante halitu, ut Pythia (ita enim fiunt prophetæ illi; quos ſuperius prophetas ex parte loci, appellari poſſe prædiximus) & extrinſecus accedente, ueluti melancholici efficiamur? & ad aliqua ex ſolo, in quo degimus, prædicenda, diuinandaque procliuiores reddamur? Quæ tamen, ſi ad ueritatis regulas eadem examinare uoluerimus, pauciſsima (ut dictum fuit) & fortè nulla uera eſſe reperiemus. Vt de illis, Pindari ſententia uera omnino ſit. ὡς τῶν μελλόντων τυφλῶνται φράσεις. ideſt. Quàm cæcæ ſunt futurorum prædictio-
D nes. Et Cicero, Nec Apollinis, inquit, opertis credendum exiſtimo: quorum partim ficta apertè, partim effutita temerè: nunquam, ne mediocri quidem cuiquam, non modò prudenti probata ſunt. Non'ne fictum apertè fuit oraculum illud, cuius ex Demoſthene lib. ſecundo de Diuinatione meminit idem Cicero, cum diceret ille, Pythiam aliquando φιλιππίζειν, id eſt, quaſi cum Philippo facere. Hoc autem eò ſpectabat, ut eam à Philippo pecunia, & muneribus corruptam diceret. Quid? non'ne idem Apollo ſe futura ignorare (ſi Ciceroni credamus) apertè confeſſus eſt, inquiens.

Quid fruſtrà petitis? non noſtrum eſt ſcire futura.

Quamobrem libro primo de Diuinatione inquit idem Cicero; quòd ſuis temporibus minùs oraculorum ueritas excellebat. Porphyrius autem ingenuè magis de eis locutus eſt, cum dixit, quòd ab infimis dæmoniibus oracula exhibentur, qui ſubdoli, & uerſatiles ſunt. Vt omnino mirari non deſinam. Platonem ſummum alioqui & ſapientiſsimum Philoſophum, Platonicosque omnes: qui oraculorum hiſtorias & Deorum, immo dæmonum, uel furentium reſponſa, non ſolùm

lùm tanquam uera recipiunt: ſed recepta etiam, tanquam à numine afflatis prolata, rationibus, ut poſſunt, ualidioribus confirmare contendunt, & ea omni honore, & ſuſcipiunt, & ſuſpicinnt, ac uenerantur: humanamque ſapientiam præ illa, quæ ab oraculis eſt, furoribusque (ut ipſi aiunt) diuinis, qui quatuor ſunt, myſterialis, qui à Dionyſio: amatorius, qui à Venere: uaticinalis, qui ab Apolline: & poeticus, qui à Muſis, nihili faciundam eſſe, iidem exiſtimant. In cuius rei confirmationem, in Dialogo, cui titulus Phedrus, maxima atque amplisſima bona nobis, per furorem, diuino quodam numine conceſſum Plato fieri aſſeuerauit. ut futura, quæ in Delphis uates, & in Dodona ſacerdotes, & alibi Sibyllæ prædixerunt, non niſi furentes, & percitæ dixerint. Quinimmo in Dialogo illo, cui titulus Io, Tynnichum quendam Chalcidenſem in medium adduxit, qui multa quamuis aliàs ſcripſiſſet poemata: nullum tamen ederat memoria dignum; præter illud, quod furore iſto aliquando raptus in Apollinis laudem ille compoſuerat. Omnium enim pulcherrimum, diuinumque propemodum illud fuiſſe affirmauit. ineptisſimos enim quoſdam homines, à muſis idcirco corripi, ait Plato; quia nobis diuina uult declarare prouidentia; non hominum, inuenta eſſe præclara poemata, ſed cœleſtia munera. Ariſtoteles etiam XXX ſectione Problem. Platonis quaſi ſententiæ ſubſcripſiſſe uiſus eſt; cum po ſuerit, Maracum quendam Siracuſanum, tunc præſtantiorem fuiſſe Poetam; cum ab huiuſcemodi furore excitaretur. Quamobrem Ouidius.

» *Eſt Deus in illis, quo agitante caleſcant,*
» *Sedibus æthereis ſpiritus ille uenit.*

Et lib. Faſtorum.

» *Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.*
» *Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.*

NEGABAT, ſine furore, Demetrius quenquam Poetam magnum eſſe poſſe. Iamblichus putauit animos ad præſagiendum, ita diuinitus afflari: ut cum dormire uideantur, non dormiãt; & cum uigilare, non uigilent: neque more hominum numine afflati ſenſibus utantur: quoniam ſubiecerunt (inquit) uitam ſuam penitus afflanti Deo. Ideo ſiue ut uehiculum, ſiue ut inſtrumentum ſe ſubiecerint; priorem uitæ modum depoſuere; atque uel uitam propriam in uitam diuinam commutauere; uel uitam ſuam penitus ad Deum agũt. Quam rem quibuſdam etiam, ſed ſatis futilibus experientiis, probare ille contendit. ut quòd afflati ignem admotum non ſentiant; ulla pungentia, uel radentia, uel tormenta percipiant: Deo id quod moleſtum eſt repellente: quod per inuia uadant: per ignem ferantur intacti; & flumina mirabiliter pertranſeant: quod agit (inquit) Sacerdos ipſa in cataballis. Conſimile Strabo lib. quinto Geographiæ tradidit de iis qui afflantur numine Feronio, in ciuitate eiuſdem nominis Feronia dicta. ita enim loco citato, ſcriptum ille reliquit. Sub monte Soracte, urbs eſt Feronia; quo nomine, & Dea quædam nuncupatur: quam finitimi miro dignantur honore. Eodem in loco ipſius templum eſt, mirificum ſacri genus habens. Nam qui eius numine afflantur, nndis pedibus prunas, & copioſum inambulant, ſub hac dæmone nulla læſione cinerem. Hæc ille. De hac ipſa re libro quinto Geographiæ ita ſcriptum reliquit Raphael Volaterranus. Soracte uicinus urbi mons Siluestri Pontificis ſeceſſus; ubi olim Apollo colebatur; cuius ſacerdos Virgilio & Strabone teſtibus, ex Irpinorum familia nudis plantis ardentes prunas perambulabat. Hactenus Volaterranus.

SED aduerſus hanc impiam dementiam, & dementem impietatem id nobis ſufficiat; quod lib. ſecundo de Diuinatione in hæc uerba ſcriptum reliquit Cicero. Quid habet auctoritatis furor iſte, quem diuinum uocant, ut quæ ſapiens non uideat, ea uideat inſanus; & is, qui humanos ſenſus amiſerat, diuinos aſſecutus ſit?

Nunc tandem & ad obiectionem, ex oraculorum prædictionibus, factam, & ad ea, quæ præcedenti capite, oraculorum diuinitati quaſi ſubſcribere uiſa fuerunt, ex Theolgo, reſpondetur. CAP. XIIII.



IAM tempus eſt, ut ad Theologos noſtros reuertamur, & tam obiectionem ex oraculorum prædictionibns factam, quàm ea, quæ præcedenti capite, ex Platone, & aliquot aliis, quaſi in eorundem diuinitatis, & diuini (ut illi aiunt) furoris confirmationẽ adducta fuerunt, plenius Theologicè diſſoluamus. Noſtri igitur ſacri codices uix agnoſcunt uocem hanc, oraculum, & uix quinquies, uel decies ad ſummum in illis ipſam reperies; & ea ſacri codices aliquando utuntur, uel ut partẽ quandam templi, quæ etiam propitiatoriũ appellabatur, ſignificent. Sicut cũ Exo. XXV, legitur. Duos quoq; Cherubin aureos, & productiles facies, ex utraq; parte oraculi. Et lib. tertio Regum cap. VIII, Et intulerunt ſacerdotes arcam fœderis domini, in locum ſuũ, in oraculum templi, in ſanctum ſanctorum, ſubter alas Cherubin. Vel pro aliquo ad hanc templi

A pli partem attinente, sicut, ni fallor, sumitur lib. secundo Paralipom. cap. IIII, cum dicitur.
Porro capitella earum quinque cubitorum, necnon & quasi catenulas in oraculo rei. dicebatur
autem locus ille templi oraculum; quoniam inde audiebantur diuina responsa. B. Hier. super uer
bis illis Matth. cap. II. Et responso accepto in somno &c. notauit uerbum Græcum, quod est
χρηματισθέντες, ut magi (de magis enim ibi est sermo) habito oraculo, & diuino responso, per a-
liam uiam redierint in suam regionē. quo uerbo usus est etiam paulò post Græcus interpres. Vbi
nos legimus, quòd Ioseph admonitus in somnis secesit, in partes Galileæ. Sed (ut prius diceba-
mus) uox in canonicis libris rarius usurpata est. Cæterùm de ipsis uatibus, & furentibus diui-
nantibusque cum multa alibi, tum ista in libro Leuit. cap. XX, leguntur. Vir, siue mulier, in
quibus Pythonicus, uel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur; lapidibus obruent eos;
sanguis eorum sit super eos. De Necyomanticis autem; legimus Saulē Pythonissam, ψυχαγωγόντα
consuluisse; sed non nisi derelictum prius à domino. Ita enim primo lib. Regum cap. XXVIII
» dicit scriptura. Dicit autem Samuel ad Saul; quare inquietasti me, ut suscitarer? & ait Saul cru-
» cior nimis. Siquidem Philistii impugnant aduersum me; & Deus recessit à me; & exaudire me
» noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia. Vocaui ergo te; ut ostenderes mihi
B quid faciam. Et ait Samuel, quid interrogas me, cùm dominus recesserit à te? Et quæ sequun-
» tur. Deuter. XVIII, & illi, qui Pythones consulunt; & illi, qui à mortuis ueritatem inquirunt,
» abominatio sunt Domino. Ex quibus non solùm oracula, & diuinantes, & ψυχαγωγόντας, sed ip-
sos etiam consulentes, tanquam à domino derelictos, ueluti improbos & Satanæ in per-
ditionem traditos, ab ecclesia rite, atque legitimè, ut per totam causam XXVI, patere po-
test, damnari colligendum est.

De Idolis autem, & Idolorum cultura, non est, cur multa dicamus; cum & Idola abiicien-
da, & idolorum cultum execrandum exclament ubique sacræ literæ. Ex quibus duo, uel tria ad
» summum producemus loca. Lib. nanque Leuit. cap. XXVI, ita legitur, Non facietis uobis ido-
» lum, & sculptile; nec titulos erigetis; nec insignem lapidem ponetis in terra uestra, ut adoretis
» eum. Et lib. Deuter. cap. VII. Sculptilia eorum igne combures; non concupisces argentum &
» aurum; de quibus facta sunt; neque assumes ex eis tibi quidpiam; ne offendas; propterea quia
» abhominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quidquam ex Idolo in domum tuam; ne fias ana-
» thema; sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis; & uelut inquinamentum ac sordes abho-
» minationi habebis; quia anathema est. Et in lib. Sap. cap. XIIII. Initium fornicationis est ex-
C quisitio Idolorum, & adinuentio illorum corruptio uitæ est. Scire autem unde idolorum cultus
sumpserit initium: siue ab Ismahele in posteriore Mundi ætate: qui primus ex luto simulachrum
effinxit; siue à Nemroth, qui ad ignem adorandum cogebat homines; siue à Nilo, qui Beli filii
sui imaginem iussit adorari (Ideo Sap. XIIII, Acerbo luctu dolens pater sibi rapti filii fecit imagi
nem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit; & con
stituit inter seruos suos sacra, & sacrificia) cùm nihil prorsus ad nostram disputationem pertineat
omittimus. De his uerò, quæ idolis immolantur; tam clara in Epistola priore ad Cor. cap. VIII
est Apostoli doctrina; ut de hac re fusius differere, sit omnino superfluum. Christiano nanque so
lido & firmo, & qui idolum nihil esse intelligit, non autem infirmo, & qui adhuc aliquam habet
de Idolo opinionem, idolotitis uti permittit; modo infirmioris animum aliquo modo non offen
dat. Sed de Idolis satis.

Svperest intelligamus quid de sacerdote in Feronia nudis pedibus ardentes prunas in am-
bulante, & alia prodigiosa in cataballis exercente, diceret Theologus. is certè etsi res creatas om
nes suo ita creatori esse subiectas affirmet; ut pro arbitrio, & ignis uirtutem comprimere, & eo
rum qui agunt omnium potentiam augere, uel infirmare, ut libet, uel etiam auferre & immuta
D re possit, & ideo Esaiæ XLIII, Cum transieris per aquas tecum ero; & flumina non operient
te cum ambulaueris in igne non combureis; & flamma non ardebit in te; quia ego dominus Deus
tuus sanctus Israel saluator tuus. Dæmoni tamen multa Deum gloriosum permittere assereret.
quæ nobis admirenda uidentur, nostris ita promerentibus sceleribus. quod patet Exodi VII, &
VIII, siue illa dæmon per celerem passiuis actiuorum approximationem faciat; siue illa non fa-
ciat, sed facere uideatur, Per oculorum, & aliorum sensuum effascinationem; quod præstigia-
tores multos ad quæstum nos sæpius facere uidemus. Talia nanque & similia fuisse illa, existi-
mandum est; quæ in cataballis, & in Feronia sacerdos, uel Dæmon potius per sacerdotem opera-
batur. Ad dæmonis similiter illusionem referendum, quod alii de Seleuco Pellæ rem sacram fa-
ciente tradiderunt; à quo præparata ligna, & iam aræ imposita, sponte sua ad simulachrum Iouis
se conuerterunt, & exarserunt. Et cum ab extructis iam lignis, in ara Egnatiæ Nimphæ in Appu-
lis, flammæ repentè sese exilierunt. Et cum apud Siculos in colle Vulcanio, iuxta Petrensium sta-
gnum sarmentorum fasces sua sponte ignem conceperunt. Et cum Galli Brenno duce, ad tem-
plum Delphicum diripiendum accederent; terra, ea parte, qua Gallorum exercitus consistebat,

motibus ita uehementibus quateretur, ut intra profundas uoragines dehiſcens plurimos abſorberet; et tacta è cœlo flammis multitudo uſtulata periret reſponderat, nanque oraculum ſe templum ſuum defenſurum. Et quod in uita Veſpaſiani retulit Suetonius, de arbore cupreſſo; quæ in agro auito, ſine ulla ui tempeſtatis, radicitus euulſa, atque proſtrata, ſequenti die uiridior, ac firmior reſurrexit. Hæc inquam & alia id genus innumera, quæ paſsim in libris gentilium admiranda leguntur; dæmonum ſunt illuſionibus aſcribenda; ut uel ab huiuſmodi portentis decepti, cultum eiſdem aliquem exhibeamus. Ad ea autem quæ à nobis, de oraculis per dæmones exhibitis, dicta ſunt omnia confirmanda; B. Cypriani lib. de Idolorum uanitate, teſtimonium producemus. Vbi poſtquam de auguriis nonnulla, & de auſpiciis dixerat; ſubiecit, Horum autem omnium ratio eſt illa; quæ fallit, & decipit; & præſtigiis cæcantibus ueritatem, ſtultum, & prodigum uulgus inducit. Spiritus in ſinceri, & uagi, qui poſteaquàm terrenis uitiis immerſi ſunt; & à uigore cœleſti, terreno contagio receſserunt, non deſinunt perditi perdere; & deprauati errorem prauitatis infundere. Et aliquot interpoſitis. Hi ergo ſpiritus, ſub ſtatuis, atque imaginibus cōſecratis, deliteſcunt. Hi afflatu ſuo, uatum pectora inſpirant; extorum fibras animant; auium uolatus gubernant; ſortes regunt; oracula efficiunt; falſa ueris ſemper inuoluunt. Nam & falluntur, & fallunt; uitam turbant; ſomnos inquietant; irrepentes etiam ſpiritus corporibus occulta mentis terrent; membra diſtorquent; ualetudinem frangunt; morbos laceſſunt; ut ad cultum ſui cogāt; ut nidore altarium, & rogis pecorum ſaginati, remiſsis, quæ conſtrinxerant, curaſſe uideantur. Hæc eſt de illis medela; cum ipſorum ceſſat iniuria. Nec aliud his ſtudium eſt; quàm à Deo homines auocare; & ad ſuperſtitionem ſui, ab intellectu ueræ religionis, auertere; & cum ſint ipſi pœnales; quærere ſibi ad pœnam comites; quos ad crimen ſuum fecerunt errore participes. Hactenus Cyprianus. Sed de oraculis, & de uno eorum diuinandi genere; quod ex natura antiqui duxere, hoc eſt de diuinatione ex furore, erit dictum ſatis; ſi tantùm illud, quod Eſaie cap. XLIIII. legimus, addiderimus. Ego ſum dominus irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem uertens. Poſt furorem conſequens erat, ut de altero, quod item ex natura antiqui duxerunt, diuinandi genere, id eſt de diuinatione per ſomnium, mox diceremus. Verùtamen de aruſpicio prius, & augurio, quæ, ex arte, diuinationes ab antiquioribus dictæ ſunt; mox de omnibus, & portentis dicturi ſumus. quòd & iſta ſpeciem quandam oraculi, ideſt dæmonicæ illuſionis, & diuinationis exiſtant. poſt hæc de ſorte, propter eandem cauſam, dicemus. Demum de præſagitione per ſomnium ſermonem habebimus. ut inter duo naturalia (ita enim à Stoicis & priſcis ſunt furor & ſomnium appellata) diuinandi genera, artificialia omnia, eorundemq; conſiderationem complecteremur. De oraculis autem, atque de oraculorum uatibus, & furentibus, & inſuper de Necyomanticis, & quàm uanæ, & futiles ſint illæ, quæ inde habentur reſponſiones, & prædictiones, ita ut ex eis nulla euentus neceſsitas, immo neque de euentu futuro certitudo aliqua haberi poſſit, hactenus.

Ad confirmationem per diuinationem ex Aruſpicio procedentem, ex philoſopho reſpondetur. Cap. XV.



AD confirmationem, quæ ab Auruſpicio ſiue extiſpicio procedit, ex Philoſophorum monumentis prius, deinde ex catholicis Theologorum decretis reſpondebimus. Philoſophos autem, in huius obiecti, & ſequentium ſolutione, eos intelligo, qui in rebus conſiderandis ſenſum, & naturæ rationem, quantum potuerunt, ſunt imitati; non autem uana Stoicorum commenta; ut fecit aliquando Democritus; qui aſſerere auſus fuit (quod fortaſſe non dicerent ipſi Stoici, & ſi plus quàm ſatis ſint ſuperſtitioſi) non ſolùm Deorum conſilia in extis indicari; ſed ab extorum præterea habitu, & colore, ſalubritatis, uel peſtilentiæ imminentis ſigna percipi; nonnunquam etiam quæ ſit uel ſterilitas agrorum, uel fertilitas futura portendi. Sed Cice. lib. ſecundo de Diuinatione phyſicè magis, quàm Democritus, uel Stoici faciant, ad obiectum reſpondet; atque ipſam Auruſpicinam artem, & diſciplinam, ex ortu eiuſdem, quàm nullius ſit auctoritatis, uel fidei & conſtantiæ, nedum ut à nobis ea, quæ ex Auriſpicina arte ab iſtis prædicuntur, ineuitabili neceſsitate, quaſi Deorum fatali decreto, euenire, exiſtimandum ſit; præclariſsimè demonſtrauit. Cùm Tages ille in agro Tarquinienſi, puerili ſpecie repente de terra proſiliens, artem huiuſmodi, ut fertur, tradiderit; cuius Lucanus meminit.

» *Et fibris ſit nulla fides, ſed conditor artis*
» *Finxerit iſta Tages.*

VEL ergo, inquit Cicero, Tages ille Deus quiſpiam erat, uel homo; Si Deus, cur ſe contra naturam, in terram abdiderat; ut bubulci patefactus aratro, è terra prodierit? Non'ne ex ſuperiore loco diſciplinam Deus hominibus tradere potuit? ſi homo, quo'nam modo terra oppreſſus

A ſus uiuere potuit? uel unde potuit illa, quæ alios doceat, didiciſſe? Hæc Cic. Sed ueniamus ad ea quæ aruſpices obire dicuntur. Cato ſe mirari aiebat. Quòd non rideret Aruſpex; cum Aruſpicem ſuo fungentem munere aliquando conſpexiſſet, quod de eis dicemus, quæ iſti prædiuinare, ſatagunt? quota enim quæque res, inquit Cicero, euenit prædicta ab his? aut ſi quippiam, quod ab iis prædictum fuerat, euenit; quid afferri poteſt; cur non caſu id euenerit? Multa alia aduerſus aruſpicium proſequitur ibidem Cic. ubi quorundam etiam comminiſcitur; quæ contra Aruſpicum prædictiones euenerunt. Ariſto. naturæ interpres diligentiſsimus, uiſus eſt extiſpicii meminiſſe, lib. ſecundo de Hiſtoria. cap. XVII, cum ex interprete inquit. Si qua diſſecta quadrupede, lienem latere contineri dextro, iecur ſiniſtro, uiſum eſt, prodigioſè id eueniſſe putandum. Cæterùm quod temerè, aut fortuitò, aut etiam ex contingenti, futurum ſit, uel à diuino intellectu præintelligi, uel ab humano per extiſpicium præcognoſci poſſe, negat ille apertiſsimè; cum de iis, quæ euentura contingenter ſunt, nullam apud intellectum aliquem extare ueritatem, & certitudinem affirmet. At propius iterum artem ipſam amabo inſpiciamus; & quàm extra rationem omnem, ac naturæ conſenſum, ipſa fuerit mortalibus inuecta, conſideremus; deceptionesq́; eſſe hominũ, uel Dæmonum illuſiones, quicquid circa extiſpicia aliquando ueri contigerit demonſtremus. Sed imprimis eorum aliquot, quæ in extiſpicio euenerunt, raptim percurramus, ut cum Catoni con

B ſuli immolanti exta emarcuerint, et cum iecinoris caput euanuerit, et cùm Caio principi, & M. Marcello iecur ſubitò extabuiſſe, notatum fuit. Et Iulio Cæſari, quo die à coniuratis interfectus eſt, cor bis in opimis bobus defecerit. Hæc inquam, & huiuſmodi alia omnia, nulla ratione, ſed præter, & contra omnem naturæ ordinem, & naturalium rerum mutuum conſenſum eueniſſe, oſtendamus. Vnde nam quæſo, tam ſubita (ut interea repentinum aræ iam impoſitorum lignorum excitatum aliquando incendium mittamus; quod fortè à ſolaribus radiis patiente diſpoſitò excitatum fuiſſe naturales effectuum ſpeculatores dicerent) extorum mutatio euenit, in ipſa immolatione; ut aut abeſſet aliquid in ſacrificiis, aut ſupereſſet? Vnde, ſi caput fuit in iecore, cor in extis; mox ſimul ac molam, & uinum uates inſperſerat, euanuit? Qua nanq; ui, ad immolantis fortunam, exta ſe accommodant; ut in alium ſe mox habitum coloremq́; conuertant; & pecudis iecur nitidum & plenum, horridum mox, marcidum, & exile fiat? Etenim uiuis uictimis defuiſſe aliquid, cor præſertim, affirmari non poteſt. non enim uixiſſent uitæ fonte ſubducto; nec labes inſignis occuluiſſet interiorum uiſcerum; nec immolationi (cum magno ſtudio integerrimas exquirerent uates) fuiſſent illæ adhibitæ; ſi morbo aliquo præſertim inſigni contactæ fuiſſent. Aut ſi caruiſſe largiamur uiuas uictimas uiſceribus; cur excordes potius, aut iecinora habentes ἀκέφαλα, & mutila, alius, quibus nihil fuit dirius, alius mox impollutas, & inte-

C gras, ex eodem delegit numero? niſi etiam (quod uolunt Stoici Chryſippus, Antipater, Poſsidonius) peculiaris inerat in hoſtiis deligendis uis, ſi quidem non raro primam infauſtè, proximam pulcherrimè litatam fuiſſe, & apud Valerium lib. primo cap. VI, & apud Plutarchum in uita Marcelli conſtat. ſed tum, ubi quæſo illæ minæ ſuperiorum extorum? aut quæ tã ſubita facta eſt deorum tanta placatio? aut quæ deorum conſtantia eſt? ut primis minentur extis; benè promittant ſecundis? Ergo aut aliquis id abripuit; quod ſubitò interiit ex oculis; uel iniecit aliquid; quod nuſquam antea uiſum fuerat; aut naturæ uis aliqua illud confecit, atque exedit; hoc uerò progenuit. Si naturæ hoc attribuatur ingenio; erit aliquid, quod, contra perpetuum naturæ curſum, & omnium philoſophantium diſciplinam, aut ex nihilo oriatur; aut in nihilum ſubito occidat; quod admittendum nequaquam eſt. Illud profectò (ſi hoc dixerimus) eueniet, quod lib. de Diuinatione poſteriore dicebat, Cic. uerbem nempè Philoſophiæ prodemus, dum caſtella defendimus. Nam dum Aruſpicinam ueram eſſe uoluerimus; phyſiologiam totam peruertemus. Si

D uerò abripuit illud quiſpiam uel iniecit; quod uel interiiſſe uidetur, uel emerſiſſe; quis nam ille erit? quis à phyſicis poteſt illius effectus auctor aſsignari? Dæmonem dices fortaſſe, uel Deum. Sed reſponſio non eſt phyſica; attamen uidendum eſt, quis horum ſit illius præſtigii auctor; quod capite ſequenti declarabimus.

Ad confirmationem ex Aruſpicio, ex Theologo reſpondetur.

CAP. XVI.



HEOLOGVS Chriſtianus Aruſpicinæ damnat obſeruationem; quam reipublicæ Chriſtianæ principes, Pontifices maximis ſub anathematis uinculo (ut 26. q.v. fuſius continetur) de medio funditus tolli iubent. Euſebius lib. quarto de Euangelica præparatione, cap. primo, Aruſpicum diſciplinam, ſeductorum, atque improbornm hominium impoſturam eſſe, aſſeruit, ad turpes quæſtus excogitatam; quorum etiam fraudem, per diuerſa tormẽtorum genera, à nonnullis, qui aruſpicium profitebantur, iudices quandoque extorſiſſe affirmauit; quos

quos deinde tanquam maleficos, &, ut erant, impostores, ultimo supplicio, secundum leges puniverunt. Verùm etsi impostorum sint fraudes omnia; quæ in hac aruspicum disciplina, summo alioquin studio, obseruari uidentur; inquirebamus tamen eorum effectuum, qui in uictimarum extis apparebant, causam physicam: sed nulla esse poterat; cum contra naturæ ordinem, eorum plurimi contingant. Superest igitur, ut Deum, uel Dæmonem dicamus esse eum, qui ab extis abripiat, uel eisdem iniiciat aliquid. Amoueat id ergo, uel adiiciat, aut Deus, aut Dei minister bonus angelus, aut Diabolus necessarium est, sed quomodo Deum, uel sanctum angelum amouisse, uel adiecisse confiteri possumus; si sacrificia illa ethnica, & extispicia omnia idem auersetur; idolatricumq; cultum omnem odio ita habeat, & exprobretur; ut ille, qui talia exercet, sit apud ipsum βδέλυγμα, hoc est quid maledictum, execratum, & abominatum? solius ergo diaboli ludibria statuamus ista esse: quæcunque ad litationes ethnicas, & uana aruspicia, insolita ceciderunt. siue enim uerè ille amoueat: atque cito alibi ea, quæ inerant; deferat exta; siue impostura aliqua spectantium oculos effascinet; siue quocunque modo illa occulat: non est curandum; modò diabolica fraude hæc fieri, & quicquid aruspices diuinant, ac uaticinantur, uel casu, uel ex diaboli commercio diuinare, & uaticinari, certissimè teneamus. Ab ista, quam recensuimus, Theologorum nostrorum legitima, atque catholica sententia, non multum abest id, quod de huiusmodi extispicio cap. XXI. lib. de mysteriis, sensit Iamblichus ethnicus Theologus. Esse enim, ex interprete inquit, hoc uel illo modo exta composita, opus inquit est dæmonis: nec unius, sed plurium; pro ratione diuersitatis animalis oblati. singulis nanque speciebus animalium sunt dæmones distributi, proximam curam animalium, & præfecturam sortiti. Et post aliquot hæc subiecit. Hanc ergo artificiosam præsagii machinam, neque legitimi uaticinii nomine dignam esse: neque seriò pertractandam; neque utenti, quasi sit ueridicus, credendum esse censemus. Hæc Iamblichus. Idem censuit ille Pacuuianus, qui istis, qui linguam auium intelligunt, plusque (quod aruspicibus cuenit) ex alieno iecore sapiunt, quàm ex suo, magis audiendum, quàm auscultandum esse existimabat. Non possum hoc loco horrendum illud extispicii, atque fœdissimum genus silentio præterire: quo & Lusitani in Hispania, ut lib. tertio Strabo, & Eluctii in Gallia, ut lib. quarto Geographiæ idem retulit, & impudicissimus, atque obscœnissimus Heliogabalus Imperator (ut alii tradiderunt) fuerunt usi, hominum uidelicet sacrificatorum. Strabo de Lusitanis edisserens hæc ait. Ex intestinis quoque hominum, maximè captiuorum, diuinationes captant: sagis uelantes. Inde ubi plaga infligitur, ab intestinis sub aruspice, primùm ad hominis casum uaticinantur. Abscissas captiuorum dextras Diis offerunt. De Eluetiis idem, hæc inquit, Hominem diuinationi destinatum in tergo ferientes, ex ipso impatientiæ, afflictandique modo, uaticinium capiebant. Et paucis interpositis. Alia quoque humanorum sacrificiorum genera traduntur: quosdam enim sagittis configebant: & intra sacras ædes patibulo suffigebant. Magnam etiam è fœno chorto statuam apparentes, eique lignum iniectantes, pecoraque & uarias immittentes beluas, atque homines, holocaustum faciebant. Heliogabalus sui sceleris pœnas dedit, quando (ut Lampridius ait) crudeliter interfectus, & in latrinam, dum uentrem exoneraret, coniectus, inter fœdissima excrementa computruit. nostris etiam temporibus in occiduis regionibus Hispaniolam nuncupatis, usitatissimum (ut ex his, quæ ad nos peruenerunt historiis fusè patet) erat hoc pessimum extispicii genus. Sed de Aruspicio hactenus.

Ad illud, quod ex auguribus obiiciebatur, ex Philosopho respondetur. CAP. XVII.



ARVSPICIO proximum est augurium; Quamobrem ad id, quod ex auguribus post illud, quod ex extispicio, obiectum fuerat, respondendum est, dicimus. igitur Augurum, & portentorum disciplinam antiquissimam esse; & ex Asia, (ut docti quidam uiri scriptum reliquerunt) in qua auctore Zoroaste nata fuerat, in Græciam ab Hosthane quodam importatam fuisse; illustratam deniq; à Democrito, qui eam ex disciplina Apollonicæ, Captidenis, & Dardani Phænicum, integris etiam uoluminibus, explicauit, Plinius lib. septimo cap. LVI. Auguria ex auibus à Car, à quo caria dicta; ex cæteris animalibus, ab Orpheo; auium auspicia à Tiresia Thebano orta fuisse asseuerauit. In Asia maximopere ex omnibus (ut à nonnullis peritissimis uiris traditum est) apud Assyrios, Chaldæos, Persas, & Aegyptios, fuit ars culta. Cicero apud Cilices, Pamphilios, Pisidcs, Lycos auguriam excultam maximè fuisse asseruit. Deinde ab Asia in Græciam (ut dictum est) per Hosthanem fuit delata; à Græcia mox in Etruriam, & ad Aborigenes Latii; inde Romam allata est. Omnem enim (de auguria loquens dicebat primo lib. de Diuinat. Cic.) hanc ex Etruria scientiam adhibebant; ne genus esset ullum diuinationis; quod neglectum ab iis uideretur. & paulò post. Etruria de cœlo tacta scientissimè animaduertit; eadéq; inter-

A interpretatur, quid quibus'ue ostenditur monstris, atque portentis. Quocirca bene apud maio-
» res nostros senatus tum, cum florebat Imperium, decreuit; ut de principum filiis sex (dicebat Va
» lerius decem) singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur; ne ars tanta propter tenuita-
» tem hominum, à religionis auctoritate abduceretur ad mercedem, & quæstum. Romulum lib.
» primo de Diuinatione, Vrbem auspicato condidisse; & Regem Deiotarum nihil nisi auspicato ges
sisse affirmat Cic. Cyro ad auum Astiagem profecturo, ut est apud Xenophontem, mandatum de-
dit pater Cambises; ut nihil publicis, priuatisue in rebus ageret; nisi sacris prius rite peractis;
Deorumq; uolũtate orationibus, auguriis, sacrificiisq;, ac supplicationibus explorata. Et quintus
» primo lib. de Diuinat. aiebat, Nihil ferè quondam maioris rei, nisi auspicato, ne priuatim qui-
» dem gerebatur. quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant; qui re amissa nomen tantùm te-
» nent. Nam ut nunc extis, quanquam idipsum aliquanto minus, quàm olim, sic tum auibus ma-
» gnæ res impartiri solebant. Tanta autem industria, & auguria & extispicia ab antiquioribus per-
» ficiebantur; ut etiam Plato ipse & in Phædro, & in Timæo, artem & augurii, & extispicii, esse scien
tiam; & ueram scientiam existimauerit. & præterea censuerit, ut in repub. bene ordinata, essent hu
B iuscemodi artes, & scientiæ. Et Cic. lib. primo de Diuinat. inquit, quòd aliqua diuinandi genera
sunt posita in monumentis, & disciplina; quod Etruscorũ declarant & Aruspicini, & fulgurales, &
rituales libri. Verum enimuerò non Etruscorum solùm diligentiæ, & studio, sed & Platonis
auctoritati, & antiquæ consuetudini rectissimè se opponens idem Cic. auguralem artem uanam es
se, eo potissimùm ostendebat augumento, quòd in locis diuersis, diuersa, & contraria ex eisdem
auibus, auiumq; siue uolatu siue garritu, siue alio gestu, prædicebantur. Libro nanq; secundo de
» Diuinat. ita scriptum reliquit Cic. Omnibus ferè auibus alii utuntur; nos admodum paucis: alia
» illis sinistra sunt; alia nostris. Solebat ex me Deiotarus percunctari nostri augurii disciplinam,
» & ego illius; Dii immortales, quantum differebat; ut quædam essent etiam contraria. Hæc Cic.
Legimus quòd Etrurii auguraturi faciem ad occidentem, Romani contrà ad orientem uertebant.
Apud Romanos (ut refert Cic.) serena tempestate tonuisse, aut uel homines, uel ædes sacras de cœ
lo tactas fuisse, infausti erat auspicii. apud Homerũ contrà, post effusas preces, cœlo sereno si toni
tru intonuisset, fœlicis ominis, & rati auspicii signũ erat. Illud, quod in Aesopi uita pueri legimus,
tũ ioci, tum repræhendendi augurii causa referemus. Iussus est aliquando Aesopus ab hero domo
egredi, ut attenderet, duas'ne columbas conspiceret. Nam bonum fore augurium putabat he-
C rus Xantus si duas; malum uerò si unicam uidisset. Duabus ille conspectis reuertitur, dominum
uocat, hortatur, ut properet duas uisurus, properat Xantus, se altera interea cũ euolasset, alteram
solam conspicatus, se ab Aesopo irrisum putauit; illum propterea teneri, & uerberari iussit. Dum
Aesopus cæditur, inuitatur Xantus epulatum; tuncè flagellis clamauit Aesopus, Heu me mise-
rum. Duas ego cũ cõspexerim columbas crudeliter uerberor; tu uerò, cum unicam uideris, epula
tum inuitaris. Papyrius cursor cum à Pullario admoneretur, ne cum samnitibus prælio decerne
ret, contemptis auspiciis fœliciter dimicauit.

Si obiiciatur P. Clodium & L. Iunium, quòd contra auspicia nauigarint, pœna mulctatos
fuisse.

Respondet Cic. quòd multi etiam, qui auspiciis paruerunt, perierunt; ut Paulus, qui an
no post Flaminium, cecidit in Cannensi pugna, cum exercitu. Veruntamen cum retineatur & ad
opinionem uulgi, & ad magnas utilitates reipub. mos, religio, disciplina, ius augurum, colle-
gii auctoritas; parendum erat religioni; iuxta illud, quod Varro & Sceuola, ut lib. quarto de Ci
uit. Dei cap. XXVII, tradidit B. Aug. dicere solebant; expedire uidelicet in religione ciuitates
falli, nec patrius mos tam contumaciter erat repudiandus. Plato propterea in Epinomide, rectè
D admonet, legislatoribus cauendum esse; ne ad nouum minus certæ religionis cultum, ciuitatem
suam conuertant. Nec quæ patria lege, uel consuetudine, de sacrificando, firmata sunt, moue-
re audeant.

Tota hæc augurum disciplina ab Aristotele, & ab omnibus rectius, Platone excepto, candi
diusq; philosophantibus improbatur. Plato nanque in eo dialogo, cui titulus Phædrus, in augu-
ralis artis commendationem, οἰονοιστικὴν, idest mentem, atque historiam auguralem, antiquitus
illam fuisse appellatam asseruit; quòd per aues, & alia ostenta, ex humanæ intelligentiæ coniectu
ra, procederet, posteriores uerò, o, paruum, in magnum uertentes, οἰωνιστικὴν, & auguralem ἀπὸ τῶν
οἰωνῶν, idest ab auibus, honestiori uocabulo cognominasse. Sed Platonem quæso in præsentiarum
mittamus. Cic. sub persona Quinti, lib. primo de Diuinat. inquit; genera diuinandi artificiosa,
inter quæ Aruspices, Augures, coniectoresque, numerantur, improbantur à Peripateticis, à
Stoicis defenduntur. Libro nono de Historia animalium cap. XXXI uisus est augurium posuisse
Arist.; uisus est, inquam, cæterùm non augurium, idest uanam quandam uolatus, aut garritus
auium anxiamque obseruationem, sed præsensionem quandam, qua abs circumfusi aeris quali-
tatibus, brutorum quorundam ingenium longa experientia nonnunquam affici cognoscimus,
ibidem

ibidem ille asseruit. Vbi, uti, inquit, tempore, quo apud Pharsala, hospites Mediæ periere; E
" Corui loci Athenarum, Peloponnesique defuerunt; quasi sensum haberent; quo inter se rerum
" euenta significarent; & mouerentur. Lib. etiam sexto de Historia animalium cap. 11, Oua colo-
" re lutheo tota, pro ostento, augures capere aiebat. & lib. octauo cap. XVIII, Hesiodum repræhen
dit, quòd in Augurio quodam aquilam bibentem faciat. Lib. etiam nono de historia animalium cap. primo. & lib. secundo de Cœlo tex. x, & aliquot aliis locis, augurii meminit; sed (ut diximus) in iis & huiuscemodi locis aliis, augurio idest uariæ cuidam uel uolatus, uel garritus auium obseruationi non; subscripsit; sed uel auium, brutorumq; quorundam præsensioni consensit, uel ea de auguriis, quæ ab aliis narrata, uel etiam usitata fuerunt, recensuit; quæ etiam aliquando repræhendit. Varro, Deos tum ociosos si sua consilia (ut fingunt augures) corniculæ crederent; tum sordidos censet existimandos; si in iecorum & uiscerum sterquilinio (ut Aruspices putant) sua illi occultassent consilia. ociosos igitur dicemus illos, Deos putasse: quos (ut libro quarto Geographiæ Strabo recitat) Artemidorus coruis duobus litium suarum, & controuersiarum fines, & terminos permittere, asseruit. Ita nanque loco citato inquit Strabo, Portum quendam
" in Oceani litoribus esse scribit Artemidorus; quem duorum coruorum uulgo nominant; in eo
" quidem duos apparere coruos dextris albicantes alis. Qui igitur ulla de re controuersantur; illhuc
" accedere, in sublimi loco posita tabella, utrique seorsum in ipsa, lagana collocare, ipsas de hinc ad
" uolantes alites partim commanducare, partim dissipare; cuius autem lagana dissipentur, illum
" uictorem euadere. hæc Strabo. Nonio optimam spem, ex septem aquilis in Castris Pompeii captis, auguranti, Cicero huiusmodi auguria deridendo dixit, Rectè moneres; si aduersus picas F
" nobis pugnandum foret. Carneades, & post Carneadem Panætius augurandi artem repræhen-
" dentes, ab auguribus petere solebant, Iupiter'ne cornicem à leua, coruum à dextra canere iussisset. Quamobrem rectissimè apud Homerum & libro duodecimo Iliad. Hector, & lib. secundo Odyss. Eurymachus auguria contempserunt. Verumenimuerò pro naturali signo tum primo de Historia, tum sectione trigesima tertia Problematum, non autem pro aliqua auium superstitiosa obseruatione, augurii nomen assumpsit Arist. Veneramur (inquit in his locis ex interprete) sternutamentum, quòd sanitatis optimi membri augurium sit. idest cerebri sanitatis sit indicium. Ex multis propterea rebus, & ex multis etiam animalibus, tam quadrupedibus, quàm auibus, & piscibus, quasi tempestates futuras, ex aeris circumfusi permutationibus, natura sua præsentientibus aliquidque pro aeris dispositione, & naturæ cuiusque ratione agentibus, ac molientibus, posse sumi augurium, idest rei futuræ signum, atque indicium naturale aliquod non negamus; de quibus copiosè & apud Theophrastum lib. de signis, & apud Virgilium in primo lib. Georgicorum uideas, ubi multa futuræ tempestatis indicia positurus Poeta sic incipit. G

» *Atque hæc ut certis possimus discere signis:*
» *Aestusque pluuiasque, & agentes frigora uentos;*
» *Ipse pater statuit, quid menstrua luna moneret;*
» *Quo signo caderent austri: quod sæpe uidentes*
» *Agricolæ propius stabulis armenta tenerent.*

Et quæ sequuntur. Lib. etiam primo de Diuinat. apud Ciceronem multa cuiusdam (Ennii puto) Poetæ carmina; in quibus, ex aliquot animalibus futuræ similiter tempestatis præsensiones quædam ponuntur, uidere licet. ut cum inquit.

» *Cana fulix itidem fugiens è gurgite Ponti.*
» *Nunciat horribiles clamans instare procellas.*

A quo libro primo Georg. sumpsit forsan Virgilius inquiens.

» *Quum medio celeres reuolant ex æquore mergi,*
» *Clamoremque ferunt ad littora, quumque marinæ*
» *In sicco ludunt fulicæ, notasque paludes* H
» *Deserit, atque altam supra uolat ardea nubem.*

Et quæ sequuntur. multa profectò, & ad calcem usque ferè primi libri, auguria, id est, animalium quorundam præsensiones, & quædam futurorum euentuum indicia Mantuanus recenset. Ad quem similiter modum & alius Poeta augurium sumpsit, cum inquit.

» *sæpè exiguus mus*
» *Augurium tibi triste dabit tellure sub ima,*
» *Quem non ullus amor tenuit, sed in aera apertum*
» *Erupit scrobibus &c.*

Non præteribo silentio illud, quod Pindaro Poetæ, Platoni Philosopho, & ex nostris D. Ambrosio puerulis accidit, si quidem apes uel in horum labellis consederint, uel etiam intra os mel condiderint, futuræ eloquentiæ augurium. sed casu hæc accidisse diceret sine hæsitatione Arist., & cum Aristotele quisquis candidè Philosophatus fuerit.

Ad

Ad obiectum ex auguribus ex Theologo respondetur.
Cap. XVIII.

A



Heologi nostri augurium, id est uanam illam auium, uel aliarum etiam quarundam animantium & rerum, superstitiosamque uel cantus, uel uolatus, uel transitus, uel alterius gesticulationis & permutationis obseruationem, ex quibus ii, qui augures dicti sunt, euentum futurum diuinare, prænunciareque serio satagunt; penitus damnant; & summi Pontifices eos, qui augurum uanitates & præcepta obseruant, anathematis uulnere (ut in Causa XXVI, Quæst. V. fusius patet) feriendos esse rectissimè sanctissimeque senserunt. Superstitio hominum, ex Dei ignorantia, & diffidentia nata, augurandi procul dubio rationem initiò peperit; spes cum metu eandem aluit. Non fulgetra, non auium genera, non cæterarum rerum aliquæ in hoc sunt à Deo conditæ, ut motu suo, uel uolatu, uel cantu, de propitia, uel alienata B ipsius met Dei uoluntate testificentur. Blasphemia est sine dubitatione in Deum contumeliosa; quòd diuina mente impelli, & commoueri alites, ceu interpretes, & internuncios Deorum, creditum sit; quòd quasi diuina iussione, huc uel illhuc uolitent; quòd in hac uel illa parte se occultent; quòd à dextris, uel à sinistris occinant; quòd inclusi cauea pulli, ac fame enecti, diuino imperio, uel offam pultis inuadant, si emittantur; uel ex ore aliquid cadat; quod terram pauiendo tripudium nunciet solistimum; uel ne illam attingant, egressi detineantur, atque arceantur. Non igitur ex natura orta, nec à Deo tradita, sed ab hominibus, auctore diabolo, conficta superstitiosè sunt auspicia; cui usitatissimum est errorum, & superstitionum semina spargere; sparsis uerò clam irrepere; irreptas tandem stabilire, ac amplificare conatur. Quamobrem impium est, huic diuinandi generi fidere, uel modo aliquo eo uti, & cum eodem negotia comiscere: cui ne turpiter com-
» misceamur à summis Pontificibus (ut superius diximus) non sine anathematis pœna, cautum
» est; à sanctis patribus ritè, & ex canonicis scripturis instructis. D. nempe Augustinus libro se-
» cundo de Doctrina Christiana, cap. XXIIII, asseruit, ritus augurum, societatem dæmonum cum
» hominibus manifestissimè ostendere. Lib. Deuteron. cap. XVIII, Auguria, & alia huiusmodi
» diuinationum genera prohibentur. Quando (inquit Moses) ingressus fueris terram, quam
» dominus Deus tuus dabit tibi: caue, ne imitari uelis abominationes illarum gentium; nec in-
C ueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem; aut qui ariolos sciscite-
» tur; & obseruet somnia, atque auguria; nec sit maleficus: nec incantator; neque qui Pythones
» consulat; nec diuinos, & quærat à mortuis ueritatem; omnia enim hæc abominabitur domi-
» nus. Et Leuit. XVIIII. Non augurabimini. & Ierem. cap. XXVII. Nolite audire prophe-
» tas uestros, & diuinos, & somniatores, & augures, & maleficos. Et Ecclesiastici XXXIIII.
» Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid uerum dicetur? Diuinatio erroris & auguria
» mendacia, & somnia, maleficentium uanitas est.

Ex his, quæ diximus, cuncta augurii genera, & non ea solùm, quæ ex auibus, sed & quæ ex terrestribus animantibus, ut cane, lepore, lupo, uulpe, ceruo & huiusmodi; & quæ ex aquatilibus, atque ex diuersi generis piscibus. Ex quibus (ut libro de Industria animalium inquit Plutarchus) iuxta Suram uillam Lyciæ inter Pheltum & Myronem sitam, sic auguria arte capiebantur, quemadmodum ex auibus alibi. quod item affirmat Plinius lib. trigesimo secundo cap. II,
D Ad quem modum autem auguria inde caperentur, ex Athenæo Polycarmus, & ex Polycarmo Leonicus, lib. tertio de Varia Historia cap. XIII, fusè retulit, & quæ ex ouis, herbis, lapidibus, aliisque rebus multis ab antiquitate recepta catholicum Theologum, ab animo, & ab auribus etiam fidelium omnium exulare manifestissimum est: non tantùm quia ea, quæ prædicuntur augurio, tanquam casualia, & temeraria, & inconstantia euenire omnia existimandum est, cum eueniunt: ita ut etiam non euenire, uel longè aliter quàm eueniant, euenire possint: Sed etiam quia & à maioribus nostris sanctis patribus, summisque Pontificibus, & in primis à Deo Opt. Max. in sacris literis interdicta sunt, ut satis superque cuncta damnata esse putamus. Ex aqua enim aspecta, ex terra, ex igne, ex fumo, ex cribro, ex securi, & ex aliis quàmplurimis diuinare, atque augurari antiquitas conabatur. Quæ omnia ut cordatus irridet Philosophus; ita catholicus damnat Theologus; & tolli funditus de medio iubet. quòd illa, quæ ab huiuscemodi diuinantibus prædicuntur, nulla ratione, nullo naturæ necessario & causarum consensu prædicta sunt: & si eueniunt, nulla necessitate, sed non nisi contingenter, uel etiam fortuitò & temere & cæco casu cuncta eueniant. Vnius enim communis hostis Diaboli ministerio, ad diuinandum, & præsagiendum, etiam inuita, illa aptari, & modo aliquo ad diuinium accommodari, censenda sunt. Assyrios enim legimus, & Chaldæos, & Aegyptios pelues aquis replere solitos; in quibus & argenteas laminas, lapidesque preciosos certis characteribus signatis ipsi ponebant; & quibusdam pronunciatis Dæmon aduocabatur: qui uocem instar sibili, ex aquis edebat. Ex nitidis

etiam, tersisque rebus aliis, in quibus quæsitarum rerum imagines à Diabolo confictæ uidebantur; antiquitus diuinabatur. Iulianum Maximum Imperatorem, hoc diuinandi genere sæpè usum fuisse, quidam tradiderunt. Consimile est, quod à quibusdam hodie uel in chrystallis, & uitreis uasis aqua repletis, uel in summis digitorum unguiculis exercetur; in quibus rerum inquisitarum à Diabolo confictæ species, à certis personis uidentur. Huius, puto, generis erat oraculum ex fonte Cereris, in Ciuitate Patras, in quo per iniectum speculum ægroto hilarior, uel tristior uultus, ostendebatur, unde de ægroti sanitate uel morte diuinabatur. Has enim omnes, & alias, quotquot sunt huius generis, diuinationes, & hæc cuncta augurii genera execratur dominus, & profligari, longeque piorum Christi fidelium auribus exulare iubet Christianus Theologus. E

SI obiiciatur quòd Gen. XLIIII, se augurem dixerit Ioseph.

RESPONDEBITVR ex glossa, quòd non seriò, sed ioco id fecerit. Aristoteles etiam è scholis suis, illa omnia diuinandi, & augurandi genera, exhibilari demandat. Quod si lib. cui titulus de Mirabilibus mundi (si tamen liber est Aristotelis) quædam dicat de fonte Paliscorum in Cecilia (Legit Leonicus libro secundo de Varia historia cap. VI, in Sicilia) in quo dolo iurata, & tabellæ inscripta absorbebantur: uera uerò aquis supernatabant; ea, quæ ab aliis audiuit, non quæ ipse sentiat, enarrauit. Et de Aruspiciis atque Auguribus hactenus. De quorum uno, quoniam sine altero consideratio uix fieri poterat, in unius propterea tractatione, alterius aliquando meminisse coacti fuimus. F

Ad illud, quod ex portentis obiiciebatur, ex Philosopho respondetur.
CAP. XIX.



SI quidquam, inquit egregiè Cicero, non fit; quod fieri non potest; nec, si id factum est, quod fieri potuit, portentum debet uideri, tollenda sunt igitur portenta. quòd si portentum putandum illud est, quod raro fit: sapientem esse, portentum erit; quòd sæpius mula pepererit, quàm sapiens fuerit. Hæc Cic. Quamobrem non inscitè portentorum quidam coniector, & interpres, illi respondisse, dicitur, qui ad eum, quasi ostentum retulerat; quòd anguis domi uectem circumuectus fuisset, Esset, inquit, ostentum, si anguem uectis circumplicasset. Catonem cùm quidam aliquando consuluisset; qui sibi à soricibus erosas caligas diceret: fuisset (inquit Cato) magnum monstrum, atque ostentum, si sorices à caligis corrosæ fuissent. satis his, & huiusmodi aliis responsionibus uiri isti declararunt, nihil habendũ esse inter portenta, quod naturali ordine fieri potest. Duobus anguibus domi compræhensis Ti. Gracchus aruspices conuocauit. Sed cur magis, inquit Cic., anguibus, quàm lacertis? quàm muribus? quia sunt hæc quotidiana, angues non item; quasi ad portentum referat, quàm id sæpè fiat. Verùm si (ut arguebatur) emissio fœminæ T. Graccho, maris uerò Corneliæ mortem afferebat; cur alterutrum emisit? si neuter anguis fuisset emissus; quid erat futurum? At dices, mors Gracchũ est insequuta. quid tum? non emissio serpentis, sed morbus aliquis grauior irrepsit; qui, etiam si mas esset emissus, insequutus omnino fuisset; & is casu aliquo, non portenti necessitate. G

PORTENTA, lib. quarto de Generat. animalium cap. IIII. appellauit Arist. illa, quæ præter solitum naturæ cursum contingunt. quod item Labeo facit. hæc autem sunt ea; quæ aliàs à Græcis τέρατα, idest monstra, & ostenta, & naturæ peccata, & errores dicuntur. quod peccatum (ut in scholis Philosophantium celebre est) tum secundum qualitatem, tum secundum quantitatem esse potest. In quantitate peccatum duobus accidit modis; partim in excessu, ut mulierem gemi nos parere; hominem nasci bicipitem; & huiusmodi. partim in defectu, ut hominem nasci uni co pede; uel absque brachio. hæc enim & id genus alia, naturæ penès quantitatem peccata, & τέρατα, & portenta sunt. penès qualitatem uerò, ut mulierem sterilem esse, & uirum spadonem, aut mutum uel cœcum, & huiusmodi. In qualitate, & quantitate simul etiam naturam errare, contingit. Huius rei exemplum est; quod lib. sexto de Natura animalium cap. XXII, posuit Arist. mulam scilicet aliquando gemellos peperisse. mulam quidẽ parere apud nos, ostentum est in qualitate, diximus apud nos, quoniam non similiter portentum est in Cappadocia, ubi mulæ (ut loco citato tradidit idem Arist.) steriles natura non sunt; sed fœcundæ. gemellos uerò peperisse, in quantitate portentum est. Et illud, quod lib. tertio cap. XX, idem narrat, In Lemno Insula caprum fuisse; ex cuius mammis, quas geminas iuxta genitale gerebat, tantum lactis emulgebatur: ut colostra inde conficerent. Romæ (tradiderunt quidam) anno Salutis M. CCCCXCVI, In Tyberi inuentum fuisse monstruosissimum portentum, capite, & ceruice asinina, manibusq; & pedibus squamatis, dextra manu in elephantinum pedem, dextro pede in bouis ungulam, sinistro in aduncos gryphium ungues desinens, uentre muliebri, & mammis, facie senili, collo draconis H

conis exerto è posterioribus. Et in uita Marcelli Plutarchus ait, infantem natum esse elephantis A capite. Imperante Constantio editus est infans ore gemino, dentibus binis, & barba, & oculis quatuor. Anno salutis M. D. XIIII. Rodighio, natus est infans biceps. sed de portentis copiosè tum multi alii, tum nuper Conradus Lycosthenes. Hæc nanque, & id genus alia monstra, & naturæ portenta sunt; in quibus edendis, & penès quantitatem, & penès qualitatem peccasse naturam, manifestum est. Verùm iis, & huiuscemodi aliis naturæ erroribus, nihil portendi, nihilque præsignificari credidit Arist. sed tantùm uel ex abundantia, aut defectu, uel ex indispositione seminis, & materiæ, accidere ista putauit. quòd si aliqui sunt, qui omnino per huiuscemodi portenta, mali quidpiam præmonstrari contendant: quærendum ab illis est; An hæc portenta, ideo incidant; quoniam ea, quæ sequuntur, futura sint. An contrà potius ea futura sint, quoniam ista præcesserint? Et quum nihil respondere ualeant; quod facillima ratione non abiici possit; quum nec ostenta euentuum, nec euentus ostentorum, uel causæ, uel effectus rationem subire possint; uanam propterea hanc, ostentorum obseruationem, si naturæ rationem sequimur, & aliquantisper sapimus, ac abiiciendam esse iudicabimus.

B

Ad obiectum ex portentis, ex Theologo respondetur. CAP. XX.



PORTENTA apud Theologum non solùm sunt illa; quæ (ut Peripatetici dixerunt) præter solitum naturæ cursum per ipsius naturæ errorem; sed & quæ nō errore naturalis causæ, sed auxilio supernaturalis contingunt. Sicut Ezechielis XII. legitur, Ante oculos eorum perfode tibi parietem; & egredieris per eum; in conspectu eorum humeris portaberis; à caligine effereris; faciē tuam uelabis; & non uidebis terram; quia portentum dedi te domui Israel. Aliqua etiam quæ præter morum consuetudinem euenirunt, ut Esaiæ XX. Et dixit Dominus sicut ambulauit seruus meus Esaias nudus, & discalceatus, trium annorum signum, & portentum erit super Aegyptum &c. Nonnulla etiam, quæ nullo naturæ errore, & peccato, sed quæ humanis nullo modo uiribus fiunt; cælitus autem à Deo supra uires tam naturæ, quàm hominum demittuntur, portenta non tantùm ab ipsis uulgaribus, aut probatis Philosophis, sed etiam à Theologis nostris, & sacris codicibus nuncupantur, qualia multa, in Exodo, in Deuteron. & passim apud Prophetas, legimus, Deum in eductione Israelitici populi ostendisse Pharaoni, qualia etiam sunt illa Esa. XLIII, Cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te, cum ambulaueris in igne, non combureis. Et qualia multa testatur Paulus ad Hebr. cap. II, cooperatum fuisse Christum, ut sermonem Apostolorum confirmaret. Confirmata sunt enim, dicebat Apostolus, quæ nobis, per discipulos Iesu Christi sunt tradita, contestante Deo signis, & portentis, & uariis uirtutibus, & Spiritus sancti distributionibus, secundum suam uoluntatem. Portentum etiam fuit, quod (ut periti quidam uiri tradiderunt) natalicio die D. N. Iesu Christi, in urbe Roma, trans Tyberim, in quadam priuata domo, oleum ex fonte per diem totum manauerit. Et quo die cruci affixus est, à sexta hora, ad nonam tenebræ factæ sint in Sole; nulla obtutui nostro Lunæ interpositione. & alia fuerunt portenta multa; quæ successiuis temporibus euenerunt; & piis uiris aliqua etiam præsignificarunt; quæ à doctis, & à probatis uiris nonnunquam referri intelligo. Cæterùm fortuitos quosdam, & temerarios euentus inter portenta putare; illosque, aut ea, quæ illi portendere existimantur tanquam secreto diuino consilio ineuitabili necessitate euenisse, opinari; atq; eos superstitiosè obseruare; sicut sunt corrosio caligarum à sorice, circa uectem anguis circumplicatio, & similia, catholici Theologi damnant; & diabolicis fraudibus, si quid illorum coniectores diuinant, ascribunt. quod patet ex B. August. lib. uigesimoprimo de ciuita. Dei cap. VIII, ad finem; in quo loco ita scriptum reliquit. Monstra sanè dicta perhibent à monstrando; quòd aliquid significando demonstrent; & ostenta, ab ostendendo; & potenta à portendendo; idest à præ ostendendo; & prodigia, quod porrò dicant; idest futura prædicant. sic etiam ante Augustinum interpretatus fuit ista nomina lib. primo de Diuinat. Cicero dum inquit. Quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, prædicunt ostenta, portenta; monstra, prodigia dicuntur. deinde subdit August. Sed uiderint eorum coniectores; quomodo ex eis siue fallantur, siue instinctu spirituum, quibus cura est, tali pœna dignos animos hominum noxiæ curiositatis retibus implicare, etiam uera prædicant; siue multa dicendo aliquando in aliquid ueritatis incurrant. et quæ sequuntur. Vbi coniectorum diuinationes, & uaticinia ex portentis, siue ex prodigiis, & monstris, & ostentis, uel dæmonibus mentes hominum utcunque occupantibus; uel temeritati, & casui prorsus August. ascribi uoluit. Et de portentis hactenus.

C, D (margin letters)

Ad id quod ex ominibus obiectum fuit, ex Philosopho respondetur. CAP. XXI.


D illud, quod ex omnium obseruatione obiectum est, Cic. libro secundo de Diuinatione respondet; miserrimamque fore hominis uitam ostendit; si omina sint admittenda. ita enim loco citato scriptum reliquit, Aemilia Paulo Persam perijsse; quod pater omen accepit; Cecilia sororis filiæ sedes suas tradere; iam illa fauete linguis, & prærogatiuam omen comitiorum; hoc est ipsum esse contrà se copiosum, & disertum. Quando enim illa obseruans, quieto & libero animo esse poteris; ut ad rem gerendam non superstitionem habeas, sed rationem ducem? ita ne? si quis aliquid ex sua re, atque ex suo sermone; & eius uerbum aliquod aptè ceciderit; ad id, quod ages, aut cogitabis; ea res tibi, aut timorem afferet, aut alacritatem? Cum M. Crassus exercitum Brundusii imponeret; Quidam in portu caricas Cauno aduectas uedens, Cauneas clamitabat; dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, caueret, ne iret, non fuisse periturum, si omini paruisset. quæ si suscipiamus; pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ, & sternumenta erunt obseruanda. Hæc Cic. sed & alia aduersus huiusmodi ominum obseruatores multa ibidem ille prosequitur; quæ præterimus. Nam cum neque priuatim, neque publicè, sine oratione, quidquam perficiatur; cuicunque momentis omnibus occursuræ orationi præbere anxias aures, quemlibet oporteret: coniectoremq; præsto habere; de quo & rerum, & actionum, & orationum nostrarum fata metiremur. Vt melius profectò esset non nasci, quàm nasci tam infœlici conditione. Pausanias ominosum quendam Mercurium; in Pharis Achaiæ oppido fuisse commi niscitur. In foro enim ex interprete inquit, extabat Mercurii simulachrū, ante cuius pedes lapidea astabat ara: ad aramque hinc inde plumbo alligatæ æneæ lucernæ uisebantur. Consulturus uespe ri, accensis lucernis, ad Deum accedebat: thus in aræ medio incendebat: in dexteram simulachri manum numisma quoddam loci illius patrium, ex ære, ponebat; inde ad simulachri aurem insusurrabat:, quicquid percunctatum uolebat: obturatis deinde auribus, à foro, rectà discedebat: forum egressus occlusas aures aperiebat: & uox, quamprimùm audisset, ueri ominis uice constanter obseruabatur. Hactenus Pausanias. Vide, quæso, quousq; humana dementia processerit: quam diuini speciem, quodq; diuinandi genus ipsi sibi fabricauerit: & illud quàm superstitiosè, in suiipsius perniciem, & quàm anxiè obseruauerit: ut uoculam, & eam sæpè temerè, & inconsultò prolatam tanquam diuinum quid, uenerata fuerit, atq; coluerit: & Deorum consilio illam sibi demissam putauerit: quæ fortuita & temeraria nulla ratione, nulloq; consilio, sed (ut sors tulerat) cæco casu, & temerè edita etiam forsitan fuerat.

Si cùm huiuscemodi ominum atq; editarum uocum obseruatoribus acrius nobis ratione pugnandum esset: iis ageremus: quibus in dialogo, cui titulus, Equitatio, hanc uanitatem doctissimus Calcagninus oppugnat, inquireremusq; ab illis, unde ominosæ orationis cùm illi colligant? An uocem putent esse causam: ut illo uel alio modo euentus subsequatur. An potius contrà euentus ille præsagam uocem ueridicam faciat? Primùm quis fatebitur? Quo nanq; modo potest uox fatum facere? rem surdam, & inexorabilem mouere; nullo præsertim affectu animi, nullo ingenii consilio subnixa? Secundum'ne dicemus, si nondum euentus adsit? fauebit fortasse orationi quum uenerit: sed antequam ueniat, & fit: quomodo eidem ille fauere poterit?

Adde secundò. quòd ii qui sine aliqua probabili coniectura, & apparenti saltem ratione dicere solent nihil, mentiuntur sæpè atque falluntur: quid æstimandum est de iis, qui ex mentis uocibus, & illis temerè prolatis, & fortuitis quibusdam appellationibus futura præsentire præsumunt?

Tertiò, si omina, Deorum nutu, & duce natura, aperta, & patefacta essent hominibus; non'ne essent eadem oīb. & sunt cætera, quæ non nostro, sed naturæ & Deorū instituto consistunt? At qui fieri potest; ut quæ Latinè dixero; Græco ominis uicem habeant? quæ Græcis fortasse nihil prorsus significabunt; aut si aliquid; longè prorsus ab eo, quod apud Græcos significabit, diuersum, proferat quispiam hanc uocem, onos, dicemus quod honorem latinè, Græco uerò laborem ominabitur? quod onos Græcis asinum significet? qui tantùm adferendas sarcinas aptus uidetur.

Qvartò, uox eadem potest à pluribus diuersa agere cogitantibus audiri. Quæro an omnibus aliquid illa ominatur, an uni soli, ut uerbi causa Demostheni? si Demostheni soli; unde Demostheni licet cuniicere; quòd ad ipsum solùm, aut etiam ad ipsum plus quàm ad quemuis aliū pertineat? si omnibus cum diuersa singuli, & sæpe contraria agere cogitent; quomodo idem poterit illa ominari? uel quomodo diuersa, & contraria, si una uox est.

Vltimò ominis uanitatem Platonis, Aristotelis, & aliorum, qui candidè Philosophati sunt, monumenta satis demonstrant; quæ ipsam etiam ferè ominis uocem à suis monimentis, prorsus abesse uoluerunt.

Ad

Ad obiectum ex ominibus, ex Theologo respondetur.
Cap. XXII.

A



On deessent fortè Theologis Christianis omina; si uanam istam uerborum casu prolatorum, superstitiosamq; obseruationem iidem haberent. Ambrosius nanq; cum sub primo Valentiniano Augusto, Mediolanum, ad Vrbem regendam, iudex mitteretur, eidemq; Probus Vrbis Romæ præfectus mandata de more traderet; multa in unum perstringens, ut ad munus demandatum, non tanquam iudex, sed ut Episcopus proficisceretur, iniunxit; quasi ominator eius dignitatis dici possit; quæ Ambrosium postea sequuta est. B. Augustinus Catechumenus (ut nonnulli peritissimi uiri scriptum reliquerunt) cum magnis ageretur, animi æstibus, cuperetq; magnopere sibi à Deo ostendi, quid facere eum uellet; ex propinqua domo
B decantari audiuit, idemq; sæpè iterari; Accipe, & lege. atque hoc uerbo arbitratus est se moneri,
» quid ageret; librum sibi proximum in manus sumpsit (erat autem liber Epistolarum D. Pauli)
» in quo mox aperto, illud ad Roma. XIII. Legit. Non in commessationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & impudicitiis; non in contentione, & æmulatione; sed induimini dominum Iesum Christum. Qua lectione, ueluti fœlici omine commotus, nihil ultra baptismum differre decreuit. Quis Ethnicorum non illud quoque inter omina recenseret; quod seniori illi, ac fideli Abraham seruo, lib. Gene. cap. XXIIII. contigisse legimus? qui cum ad accipiendam filio Domini sui uxorem, Mesopotamiam suisset profectus; cumq; extra oppidum Nachor, iuxta puteum aquæ uespere accubuisset; illam ex iis quæ ad aquam hauriendam uenturæ erant, in filii domini sui coniugem recipere disposuit; quæ non sibi solùm aquam, ad bibendum, esset exhibitura; sed ad Camelos etiam aquandos se paratam responderet. Et illud quod cap. XIIII. libri primi Re-
» gum Ionatæ contigit; qui cum apparuerimus, (inquit) eis, si taliter locuti fuerint ad nos, ma-
» nete donec ueniamus ad uos; stemus in loco nostro nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint
» ascendite ad nos, ascendamus ad eos; quia tradidit eos dominus in manibus nostris. hoc erit no
» bis signum. Quin & alia id genus ex sacris codicibus recensere possumus multa; sed (ut diximus) omina non obseruant Christiani Theologi. tantumq; abest ut obseruent; ut ea prorsus irrideant; ac ita exulent; ut ne ipsum quidem ominis nomen agnoscant. quo cum aliquando, contra Aca-
C demicos, usus fuisset Augustinus, se in lib. primo Retract. cap. primo repræhendit; quòd illud nomen nunquam in sacris literis legisset; sed benè eius contrarium, abhominationem, neque in sermonibus cuiusquã ecclesiastici disputatoris illud idẽ reperiisset; illo propterea se usum esse aliquãdo, ipse noluisset. Illa autem quæ prænunciata ab Ethnicis, uerba ominosa existimantur, à nostris prophetica nuncupantur. Augustinus nanque lib. secundo in Genesim, cap. XVII. donum prophetiæ aliquando tribui asseruit, per instinctum aliquem occultissimum; quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Hunc passi sunt iuuenes illi, de quibus idem B. Augusti. lib. duodecimo de Genesi ad literam, cap. XXII. qui finxerunt se esse mathematicos; ignorantes omnino utrum; duodecim signa dicerentur; qui reditum filii, suo hospiti prænunciarunt. Hunc passus est ille; qui hominem à leone in sylua proxima nocte sequenti, interemptum iri iocosè prænunciauit; nam ut dixit, euenit, de quo, loco citato Augusti. Hunc passus est Probus ille Vrbis Romæ præfectus cum profecturo Ambrosio mandata imposuit. Hunc passus est Thomas ille; qui postmodum Nicolaus V. Pont. Max. fuit; qui (ut apud peritos quosdam uiros legimus,) cum in minoribus legatus ab Eugenio IIII. Germaniam proficisceretur; dum alpes traiiceret; in Aeneam Picolomineum Senensem Federici III. Imperatoris oratorem incidit: atque ad communem hospi-
D tem cum eo diuertit. Aeneas autem parcè agebat; impensasq; uiatici extenuabat: Ad quem subridens Thomas, quid, inquit, tantopere uictui parcimus: cum nostrum uterq; ad summum pontificatum sit ascensurus? atque, ut Thomas prædixit, ita euenit. Thomas sub Nicolai V. Aeneas sub Pii, II. nomine Pontificiam dignitatem obtinuerunt. Præter hæc sunt honestæ quædam, & probo uiro dignæ precationes: quas, ut eis antiqui omnes utebantur, ita nostri Theologi recipiunt & sanctorum exemplis, posteris omnibus studiosè commendant; quibus occurrentes inuicem salutamus; surgentes mane diem amicis fœlicem precamur; amico magistratum suscipienti, uel uxorem ducenti gratulamur; eis, quibus scribimus, salutem optamus: quod non in Ethnicorum duntaxat, sed in Petri, Pauli, Ioannis, Iacobi, Ambrosii; Hieronymi, Augustini, & omnium breuiter sanctorum patrum Epistolis uidere nulli non licet. Has autem præcationes absit, ut pius, & Christianus animus esse omina suspicetur. Nisi ominis nomen aure puriore, quàm in usu sit, castioreq; suscipiatur, ad quem modum ad quosdam scribens Plato hac uoce usus fuisse uidetur, dum inquit. φήμην ἀγαθὴν μαντεύομαι, καὶ φημὶ δὴ ταῦθ' ὑμᾶς πάντ' ἀγαθὰ ποιήσειν, ἂν θεὸς ἐθέλῃ, hoc est, Omen bonum uaticinor uobis, & aio, uniuersa hæc bona, uos esse facturos: si Deus uoluerit. sed de ominibus hactenus.

Ad

Ad obiectum ex sortibus, ex Philosopho respondetur. CAP. XXIII. E



D ILLVD, quod ex sortibus, siue ex sortium (dixerim) missione, & ex oraculis quibusdam, uel talis & abaco, uel alio modo sorte petitis, obiectum est; id respondebimus; quod lib. secundo de Diuinat. respondet Cic. temeritate, & casu, non ratione, aut consilio sortes ualere; remque totam fallaciis esse inuentam, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Huiusmodi propterea, inquit, diuinationis genus uita iam communis explosit. Et nullus magistratus, nullusque (uel ipso Cicer. teste) illustrior suis ea temporibus utebatur. Qualis autem, & quomodo facta fuerit quarundam, ut Prænestinarum, non longè à Roma, ad orientem distantium sortium inuentio; apud ipsum legere fusius potes, lib. nanque secundo de Diuinatione ex Prænestinorum monumentis declarari asseruit Cicero, Numerium quendam Suffucium honestum hominem, & nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minantibus, cum iuberetur, certo in loco, silicem cedere; perterritum uisis, irridentibus suis ciuibus, id agere cœpisse; itaque perfracto saxo, sortes erupisse, in robore insculptas priscarum literarum notas; is est hodie locus septus religiosè, propter Iouis pueri, qui lactens cum Iunone in gremio Fortunæ sedens, mammam appetens castissimè colitur, à matribus. Eodem tempore illo in loco ubi nunc Fortunæ sita ædes est; mel ex olea fluxisse dicunt; aruspicesq; propterea dixisse; summa nobilitate illas sortes futuras; atque eorum iussu, ex illa olea arcam esse factam; eaque conditas sortes; quæ hodie fortunæ monitu tolluntur. Hæc Cicero. Consimilem aliarum sortium oracula, uel F forte etiam temerariam magis originem habuisse; existimandum est. Quid igitur in his sortibus potest esse certi, aut quid, quod impermutabili necessitate eueniat, portendere ille possunt; quæ uel fortunæ monitu pueri manu miscentur, uel cæco casu ducuntur? Præterea quomodo sortes istæ positæ in illo Præneste loco fuerunt, quis robur illud cecidit? dolauit? inscripsit? nihil est (inquiunt Stoici) quod Deus efficere non possit. Vtinam (inquit Cic.) sapientes Stoicos effecisset; ne omnia superstitiosa solicitudine, & miseria crederent. Quid talorum temerarius casus, in fontibus Aponi, in Abaco Herculis, portendere necessarii potuit? Carneades, quum cæteris in locis, sortes suis temporibus penè refrixissent, dicere (ut scribit Clitomachus) erat solitus, nusquam se fortunatiorem, quàm Præneste uidisse fortunam, ut, etsi tanto cultu ibidem sortes uenerarentur, hoc tamen non aliqua necessitate, aut Deorum aliquo fatali decreto, sed temerè tantùm, & casu, ac forte fortuna illud accidere, istis uerbis significauerit. De fortuna ipsa, quid Peripatetici sentiant; illis notissimum esse potest; qui summis etiam (ut aiunt) labris Arist. philosophiam degustauerunt eamque uel à limine salutauerunt. lib. nanque secundo Physicarum auscul G tationum, fortunam speciem esse ait temeritatis; ut si quidpiam ex fortuna contigerit; illud idem cæco prorsus casu, nullaque certa ratione, uel causa, sed temere tantùm contigisse, atque aliud agentibus obiter irrepsisse, ad Peripateticorum dogmata, omnes intelligant, sed de iis prius in secundo libro diligentius, & uberius diximus.

Ad obiectum ex sortibus ex Theologo respondetur. CAP. XXIIII.



OSTRI Theologi, etsi Prænestianarum, Antiatinarum, Burensium, & aliarum id genus sortium inuentum, uel Diaboli, & eius sequacium opus, ad animarum perniciem; uel impostorum, ac improborum hominum ad quæstum excogitatum asserant; sortes tamen in uniuersum sicut non omnino approbant; ita neque penitus damnant, & abiiciunt; modò effectum accidentia, & circunstantiæ non deordinent, prohibeantque. Quasdam enim utcunque approbant, quasdam ferunt, quasdam uerò penitus improbant & explodunt. Tria nanque H sortium genera constituere possumus; ut dicamus, quòd quædam sunt diuinatoriæ; idest rem diuinam insimulantes; & hæ sunt illæ, quæ à Stoicis uenerantur, à Cicerone damnantur, à cordatis philosophis irridentur, à Theologis uerò Christianis penitus abiiciuntur, & exprobrantur, & eos, qui illas exercent (ut causa XXVI diffusè constat) anathematis pœna esse plectendos, Pôtifices summi sanxerunt. Isidorus lib. octauo Etymologiarum, sortilegos damnat; sortilegi autem illi sunt, inquit, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas sanctorum, seu apostolorum uocant sortes, diuinationis scientiam profitentur; aut quaruncunque scripturarum inspectione, futura promittunt.

QVAEDAM secundo politicæ nuncupari possunt. Voco sortes politicas nunc illas, quib. & maiores nostri, & hodie in diuidendis sæpenumero hereditatibus, & in deligendis quibusdam magistratibus, in multis locis uti solitum est; quas tum consultorias, tum diuisorias, tum aliis modis

A dis appellare possumus. Athenienses sorte τοὺς πεντακοσίους eligebant; qui ciuiles controuersias cognoscerent atque definirent. Romæ præter ex decuriis Præsides iudiciorum publicorum sorte adsciscebat. Sortiebantur Romani Prouincias. Liuius inquit Sulpitio Samnites, Apulia Aemilio sorte uenerunt, inter Athletas, Pancratiastasque erat, referente Luciano, consimilium literarũ sortitio. Vnde qui simul erant certaturi, homogrammi dicebantur. Sortiebantur milites prædã, unde Virg. lib. IX Aeneid.

» *Si uero capere Italiam, sceptrisque potiri*
» *Contigerit uictori, & prædæ ducere sortem.*

In ludis similiter sortiebantur; qui primi pugnaturi, qui secundi, qui deinceps, ut est apud Homerum lib. terrio Iliadis, & apud Virgilium libris quinto & sexto Aeneidos, & alibi apud alios. Has, & id genus alias sortes, quod natura sua malæ non sint, sed ad lites multas tollendas, sedandosq; tumultus & dirimendos anfractus plurimos, qui alioquin insurgerent, inuentæ sunt; non damnat penitus, aut approbat, sed fert Theologus, nisi uitium quodpiam irrepserit; & fraude, ac dolo sors administrata fuerit. Quemadmodum, à Temeno quodam (ut quidam retulerunt) olim iniquè administratæ fuerunt. cum enim ad lites, & controuersias quasdam longas, quas in-
B ter se habuerant, Cresphontes, & Aristodemus, terminandas, inter Cresphontem, & Aristodemum ipsum, conuentum esset, ut aliquot ex luto glebæ in urnam aquis plenam, per Temenum coniicerentur, & ille cuius glebas aqua colliquasset, aduersario cederet; Glebas Cresphontis igne durabat; Aristodemi uerò ad solem exsiccabat Temenus. Die statuto, utrisq; in urnam immissis, hæ mox liquefactæ dissoluebantur, illæ uerò extrahebantur integræ: qua fraude uoti compos factus est Cresphontes.

TERTIVM sortis genus est; quod nos diuinum, uel etiam consultorium appellare possumus; quoniam in eo consulitur & manifestatur nobis diuina uoluntas, quo si eo, quo conuenit, utamur modo; diuinæ literæ non solùm non improbare, sed etiam modo quodam commendare nonnunquam facto, & experientia, uidentur. B. Augustinus, propterea in Epistolis ad Honoratum, in-
» quit. Si inter Dei ministros sit disceptatio; qui eorum, tempore persequutionis, maneant; ne fu
» ga omnium; & qui eorum fugiant; ne morte omnium deseratur ecclesia. si hæc disceptatio aliter
» non poterit terminari (quantum mihi uidetur) qui maneant, & qui fugiant, sorte eligendi sunt.
» Hæc Augustinus, iuxta illud Prouerb. XVIII. Contradictionem comprimit sors. Et in lib. pri-
» mo de doctrina Christiana cap. XXVIII, ita scriptum idem Augustinus reliquit, Omnes æquè
C diligendi sunt; sed cùm omnibus prodesse non possis; his potissimùm consulendum est; qui pro
» locorum, & temporum, uel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi, quasi qua-
» dam sorte iunguntur. Sicut enim si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei, qui non habe
» ret; nec duobus dari posset; si tibi occurrerent duo; quorum neuter alium uel indigentia, uel er-
» ga te aliqua necessitudine superaret. nihil iustius faceres; quàm ut sorte eligeres; cui dandum es-
» set; quod dari utrique non posset. Hæc Augustinus. sors enim, ut in Psalmum XXX, inquit idem
» August. non aliquid mali est; sed res est, in dubitatione humana, diuinam indicans uoluntatem.
» eodem Psalmo Dauid inquit, Ego autem in te speraui domine, dixi Deus meus es tu, in manibus
» tuis sortes meæ. Prouerb. XVI, Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Istud for
» tasse quidam Philosophi, qui Deum μοῖραν, idest sortem (fatum nanque & sortem uerbum μοῖραν interpretari possumus) appellabant, significare nobis uoluerunt. In actibus cap. primo, Sorte pro Iuda Matthias constituitur. Gen. XXIIII. sorte uxor Isaac eligitur. Ionæ primo. sorte Ionas contra mandatum Domini facere depræhenditur. Leuit. XVI. sorte iubetur ex duobus arietibus eligi, qui offeratur domino. Iosuæ XVIII. sorte terra distribuitur Israelitis. Vnde in Psalmo LXXVII, Et eiecit à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram, in funiculo distributio-
D nis. Iosuæ VII, Peccatum anathematis, quo peccauerat Achan, sorte dignoscitur. primo Reg. XIIII. sorte depræhendit Saul Ionathan mel comedisse. Luc. primo Zacharias sorte exiit, ut incensum poneret. primo lib. Paralip. cap. XXIIII. & XXV & XXVI. inter filios Leui uaria sorte mune
» ra distribuuntur. sed de sortibus erit satis dictum, si tria tantùm addiderimus.

VNVM quòd sors aliquando ordinem, & diuinam dispensationem ordinatè singula distribuentem significare uidetur: unde in hymno quodam canit ecclesia, Vt cùm dies abscesserit, noctéq; sors reduxerit. Et in Actibus apostolicis cap. XXVI. ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos. Nam post peccatorum remissionem sequitur, quasi ordine naturali, sors inter sanctos. Dico, quasi ordine naturali, quoniam non est in iis naturalis ordo, sed gratuitus et pro di
» uinæ dispensationis ratione ordinatissimè procedentis. Ad eundem modum sumere sortem uidetur Ambro. cum in exhortatione ad Virgines, sorti ueteris testamenti præferens sortem Euange
» licam, ait, Sicut in ueteri testamento, terra sorte diuisa est; ita in Euangelio, sorte quadam deputa-
» mur. ad eundem modum apostolus pris ad Ephes. capite primo dixit, in Christo nos sorte uoca
» tos fuisse. quasi dixerit ordine & dispensatione diuina.

Alterum,

ALTERVM, quòd in mittendis diuinis sortibus nulla prorsus existat labes. Vt autem sine labe, & peccato sortes ducantur. quatuor (ut notarunt quidam peritissimi uiri, & ante illos B. Thom. in 22: quæst. XCV, art. VIII) conditiones requiruntur. Vna, quòd non sine necessitate, ad sortes recurratur. alioquin esset, Deum tentare. Altera quòd non sine debita reuerentia mittantur; & exemplo apostolorum, non nisi collecto (ut inquit Beda) fratrum cœtu, & oratione præmissa. Tertia, quòd non petantur sortes ex libris canonicis, in negotia sæcularia. Vnde Augustinus ad inquisitiones Ianuarii. His, qui de paginis euangelicis, sortes eligunt; & si optandum sit; ut hoc potius faciant; quàm ad dæmonia consulenda concurrant; tamen mihi displicet ista consuetudo: ad negotia sæcularia, & ad uitæ uanitatem, diuina oracula uelle conuertere. Vltima, quòd non eis utamur in electionibus ecclesiasticis; quæ ex spiritus sancti electione fieri debent. Vnde Beda super actibus apostolorum inquit, Matthias ante Pentecosten ordinandus sorte quæritur: quia scilicet nondum erat plenitudo spiritus sancti in Ecclesiam effusa. Septem autem Diaconi postea, act. VI, non sorte. sed electione discipulorum sunt ordinati. E

TERTIVM, quod etiam ex B. Hieronymo, illud Ionæ primo edisserente [& dixit uir ad collegam suum. uenite, & mittamus sortes] colligitur est, quòd si aliquando uerum ex sortibus eligatur; non est hoc, ex ipsa, quod prauè putabat antiquitas, sortium natura; tanquam ad hoc diuinitus institutæ sint sortes, sed ex fide, & confidentia utentium; quòd eas secum in animo aliquando sancti uiri constituere: ueluti signum diuinæ uoluntatis: diuinique iudicii, de re aliqua; quæ sit occultior. Est enim sors (ut superius diximus) in humanis dubitationibus, quid diuinam indicans uoluntatem: non autem necessitatem aliquam. Sed de sortibus ipsis hactenus. F

Ad septimam confirmationem ex diuinatione & præsagitione per somnium procedentem, ex Philosopho respondetur. CAP. XXV.



AD SEPTIMAM opinionis Stoicorum aut etiam Mathematicorum & fatalis euentuum necessitatis confirmationem, quæ ex somniorum præsagitione procedit, altius repetendo, dicimus, quòd Philosophorum quidam fuerunt; ut Epicurus, Metrodorus, Xenophanes, & plerique alii, qui somniis penitus detraxerunt; iusseruntque somniis, nulla ratione, uel minimùm fidei esse adhibendum. Ex imaginibus nanque, simulachrisque rerum in uigilia factis, intra animum temerè per quietem ingressis, & quasi animum ipsum, sine ratione aliqua pulsantibus, somnia fieri opinabantur. cumque diuinationem ii, & futurorum præsensionem à uita hominum penitus abiecerint: neque pondus ullum habere somnia, neque ab illis præsignificari futurum quidpiam, aut permonstrari posse, crediderunt. Ab his forsan persuasus Sisenna, & somnium Cæciliæ. Q. filiæ, & Romanorum, propter illud somnium, studium in restituendo Iunoni sospitæ templo, Marsico bello, repræhendebat. Horum opinioni subscripsit Cicero, qui longa satis disputatione contendit, nihil in somniis euenire, quod casu & temerè non contingat. euenire nanque somniantibus inquit, quod talorum iaculatoribus accidit, qui cùm talos pluries iaciant: casu aliquando rectè, & ad scopum iaciunt & uenerem colligunt. Ita sanè lib. secundo de Diuinat. scriptum ille reliquit. Quis est enim; qui totum diem iaculans, non aliquando collimet: totas noctes somniamus: neque ulla ferè est; qua non dormiamus: & miramur aliquando, quod somniamus, euadere? Quid est tam incertum, quàm talorum iactus? tamen nemo est; quin sæpè iactans uenereum aliquando iaciat: nonnunquam etiam iterum, ac tertiùm. num igitur ut inepti, Veneris id fieri impulsu malumus, quàm casu dicere? Quòd si cæteris temporibus, falsis uisis credendum non est: non uideo; quid præcipui somnus habeat: in quo ualeant falsa pro ueris. quòd si ita natura paratum esset: ut ea dormientes agerent, quæ somniarent, alligandi essent omnes, qui cubitum irent. maiores enim quàm ulli insani efficerent motus somniantes. Quòd si insanorum uisis fides non est adhibenda; quòd falsa sunt, cur credatur somniantium uisis, quæ multò etiam perturbatiora sunt, non uideo. & aliquot interpositis. Animorum (inquit) ea uis est, atque natura: ut uigeant uigilantes nullo aduentitio pulsu, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. Hi cum sustinentur membris, & corpore, & sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt. cum autem hæc subtracta sunt, desertusque animus, languore corporis tum agitatur ipse per sese. itaque in eo & formæ uersantur, & actiones; & multa audiri, multaque dici uidentur: hæc scilicet imbecillo, remissoque animo, multa omnibus modis confusa, & uariata uersantur: maximeque reliquiæ earum rerum mouentur in animis, & agitantur: de quibus uigilantes aut cogitauimus, aut egimus. Hæc Cicero. G H

MVLTI contrà ut Orpheus, Pythagoras, Plato, Porphyrius, Iamblichus, & uniuersa Platonicorum, & Stoicorum Schola ab illis quorum paulò ante meminimus tota (ut aiunt) distantes diametro, multum somniis semper tribuisse uidentur: tanquam rerum futurarum certis indiciis;

A diciis, quæ Deorum benignitate, & prouidentia nobis exhiberentur. Quamobrem Chryſippus, Antipater, Dionyſius Heracleotes, & alii Stoicorum pleriq;, præclaros de ſomniis commentarios poſteris reliquerunt. poſt quos Artemidorus acutisſimus ſomniorum interpres, de ſomniis & de ſomniorum interpretatione & uaticinio, copioſè diſſeruit. Verum eſt, quòd non ſicut Stoici, ita & Academici uoluerunt, ſomnia cuncta aliquid præmonſtrare: ſed aliqua tantùm; aliqua uerò inania eſſe. Præmonſtrantia autem ut haberemus certiora, cultu quodam, & uictu, præparatos, ac tenui cœna iri cubitum eorum aliqui iuſſerunt. Faba propterea Pythagoreos abſtinuiſſe, uidetur dicere Cicero; quoniam is cibus uentrem inflare, & conturbare exiſtimatur. Socrates in Politia aſſerit illos, qui moderato cultu, atque uictu quieti ſeſe tradiderint; ea animi parte, quæ mentis, & conſilii eſt, bonarum cogitationum epulis ſaturata, quietis uiſa tranquilla, & ueracia cernere. Contrà cibus uberior, aliquando rationem in ſomno ita occupat; ut (ſicut in nono libro de Repub. tradidit Plato) influxus ſuperiores non liberè perſentiat. Homerus ante Platonem aliqua haberi uera ſomnia, & aliqua non uera putauit. Lib. propterea XIX. Odyſſ. geminas

B ſomno portas aſcripſit, Corneam unam, Eburneam alteram. Somnia quæ ex cornea porta demandarentur, uera: quæ uerò ex eburnea, falſa eſſe affirmauit. Cur autem ueris corneam, falſis eburneam portam adhibuerit Homerus, duæ cauſæ facilè reddi poſſunt: quarum ſuper libello de Inſomniis doctisſimi Sineſii, Nicephorus comminiſcitur. Vna eſt, quoniam cornua ad cœlum, Elephantorum dentes ad uentrem & ad terram uergunt. Altera, quoniam cornu ita per artem præparari poteſt, ut diaphanum, & tranſparens efficiatur; non ſic ebur. Locum illum Homeri Raph. Volaterr. lib. trigeſimo hoc modo Latinum reddidit.

» *Sunt geminæ ſomni portæ, quarum una uocatur*
» *Cornea, apud Stygios pariter; ſed & altera eburnea.*
» *Hac penetrans ſomnus uerba imperfecta reportat.*
» *At quicunque uenit, portæ de limine primæ*
» *Vera refert, dulci correptus membra ſopore.*

Homerum imitatus eſt Virg. lib. VI, Aeneid. ad finem, cum dixit.

» *Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur*
C » *Cornea, qua ueris facilis datur exitus umbris,*
» *Altera candenti perfecta nitens elephanto.*
» *Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes.*

Ennius, referente Cicerone, eiuſdem cum Homero fuit ſententiæ; ut aliqua ſomnia uera eſſent, non autem omnia.

Redditur ex philoſophantium quorundam diſciplinis, ratio aliqua diuinationis, quæ fit per ſomnium; & Ariſt. ad idem opinio ponitur. CAP. XXVI.



FVERVNT igitur inter philoſophantes multi, qui plus uel minus ſomniis tribuerunt; eaque obſeruari iuſſerunt, tanquam in quibus ueri, & diuini aliquid contineretur. Illius autem præſagii, ac diuinationis, quam per ſomnium, aliquando fieri, iſti aſſeruerunt, cauſam ii reddere conati ſunt. Poſsidonus, & Cratippus Stoici, ut refert Cic., animum, dicunt, omnium ex ſeſe futurarum rerum

D habere notitiam, quòd Deorum cognatione teneatur, ſed mole corporis aggrauatum, diuerſisque impreſsionibus in uigilia factis perturbatum, non poſſe ea hominẽ uigilantẽ intueri; quæ in ſomno ab his ueluti à compedibus abſolutus, ſuique ipſius aliquo modo compos effectus contuetur. Et hæc ratio & Iamblicho, & multis Platonicis mirum in modum arriſit.

ADDVNT ii ſecundam cauſam; quæ eſt, quòd aer circunſtans immortalium animorum plenus ſit; ad quos tanquam ad ſui generis ſimiles, egreſſus in ſomnio animus noſter, ab eiſdem de futuris multis modis inſtruitur. Porphyrius, & Platonici multi, animos illos, quibus circumfuſum aerem repletum eſſe diximus, Dæmones appellauerunt; qui rerum humanarum curatores etiam dicuntur, & duces humani animi. Ideo hanc etiam Platonici cauſam complectuntur.

ILLVD etiam tertiò iſti adiiciunt, quòd Dii ipſi non ſolùm multis modis, & uiſis & ſignis, aliis futura præmonſtrant, ſed cum dormientibus etiam colloquuntur. Quæ omnia multo fœlicius poſt mortem contingent, cum omnino ex corpore exceſſerit animus; qui etiam appropinquante morte, multò, quàm antea uegeto corpore in ſomnis fuerit, eſt diuinior, & rerum futurarum præſagiens maximè. quod illo exemplo confirmat Poſsidonius; quo refert Rhodium quendam extremas agentem, morientemque, ſex æquales nominaſſe, & dixiſſe; qui primus eorum, qui ſe

cundus, & tertius, & qui deinceps moriturus esset. Et Hector lib. uigesimosecundo Iliad. morti proximus, Achilli mortem denunciauit. Platonici hanc etiam tertiam causam non contemnũt. E

SYNESIVS Platonicus in lib. de Insomniis, quem Nicephorus Gregoras exposuit, finem uersus, existimauit, à rebus omnibus, quæ Orbe uniuerso comprehenduntur, præsentibus, præteritis, & futuris (res nanque futuras etiam aliquo modo existere ille affirmabat; quoniam præcurrentes illæ haberent causas) existimauit inquam à cunctis rebus, idola quædam iugiter emanare; quorum omnium phantasticus spiritus (est autem iste spiritus iuxta Platonicorum placita, secundum animæ uehiculum, primum quidem est æthereum, secundum est ex elemẽtis purioribus, tertium autem ostreaceum) clarissimum speculum est: in quod res uniuersæ speciem suam, suumq; simulachrum, ut possunt, imprimunt. Anima nanque, dicebat ibidem Nicephorus, est idolum mentis; animæ uerò idolum phantasticus spiritus; in quem tanquam in circuli centrum, cuius quidem circuli circumferentia ipsæ res sunt, rerum idola circumfluunt. præsentes quidem & extantes res ualidissimè; præteritæ uerò non ita ualidè sed remissè, & quo longius à præsenti tempore absunt; eò remissius spectrum, atque remissius peragunt immittuntque; quousque temporis diuturnitate, imbecillia facta spectra ipsa euanescant. Interim perspicua satis mittunt idola. futura uerò res, futurique euentus, quoniam indiscreti admodum, & incerti sunt, subobscura propterea, & adumbrata idola faciunt; sed faciunt tamen, & quo præsenti tempori, propinquiora, eò insigniora & uiuaciora. huius rei accommodatum est exemplum si flores esse dicamus futurorum proximè fructuum simulachra quædam; sed incerta sine dubio, & ueluti adumbrata; quæ nihilominus cum phantasticum spiritum tangunt, futurorum euentuum aliqua licèt subobscura demonstrant indicia. Et hinc atque ex horum in phantastico spiritu simulachrorum receptione, ex Synesio, tota ratio diuinationis per somnium sumitur. quæ certè opinio etsi posset facilè refelli: ingeniosa tamen atque pulchra satis iudicari à peritioribus potest. F

TRISMEGISTI Pimander Deum hominibus probis præsertim, & piis congredi asseruit; nocte quidem per somnium, die crebrius per portenta; per quæ, omnia sibi futura, prænunciat; per aues, per intestina, per spiritum, perque Sibyllam. propter quam causam uerè dicitur homo scire ea, quæ aliàs Chalcantem nescire, primo Iliad. dicebat Homerus, uidelicet.

» *Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur.*

Et uisus est Auerr. huic quasi subscripsisse opinioni; cùm lib. de Diuinat. per somnium dixerit; ab intelligentia separata, prouenire somnia. & post multa, inquit, propter quid uerò sunt somnia? dicamus ergo propter sollicitudinem circa hominem. Et ideo (inquit idem post pauca) dicitur quòd est una species prophetiæ; & hoc manifestum est, inquit, in somnio Pharaonis; de quo interrogauit Ioseph &c. «« G

IAMBLICHVS lib. de Mysteriis, de Orphei sententia, hæc inquit. Mittitur autem à Diis somnium, pro eorum arbitrio; scilicet quando, & quomodo uolunt benignitate quadam demonstrare futurum. Hæc Iamblichus. Astyages Medorum rex somniauit, urinam filiæ suæ toti inundare Asiæ; & ex muliebribus eiusdem uites nasci; quæ patulis diffusæ ramis Asiam obumbrarent. paulò post natus est ex ea Cyrus; qui somnia perfecit. Filiæ Polycrastis Samii uisum est per quietem cernere patrem in aere sublimem, à Ioue ablui, à Sole inungi. Completum est, cum ab Orete, patrem cruci affixum, ardores solis ita percoxerunt, ut liquefacta extillaret pinguedo; quæ cadauer obliniebat; quod Iupiter idest celestes pluuiæ abluebant. Sed redeo iterum ad Iamblichum. Is igitur lib. de Mysteriis cap. XXII, uisus est has omnes simul causas fuisse complexus; cum dixit somnia fieri, non solùm à curis diurnis, sed etiam ab innata intelligentia, & à Deo. sicut à Dionysio Deo missum fuit somnium Alexandro, per quod exercitum à morbo liberauit. Et ab Ammone, Lisandro, per quod Aphutis urbis obsidionem soluit. «« H

ARISTOTELES nec admit, nec admittit facilè somniis diuinationem. Ita enim in principio illius tractatus, quẽ de Diuinatione per somnium inscripsit, scriptum reliquit, Diuinationem; quæ per somnium fit, neq; facilè est spernere; neque illi rursus omnino fidem præstare. & ad calcem eiusdem libelli, & si prius ex inhærentibus earum rerum reliquiis, quas homo uigilans gesserit, aut cogitarit, in uisa uaria, & incerta dormientem incidere, quarum perturbatione, & commistione mirabiles interdum produci species somniorum, & præterea tum casu & temerè, tum ex uaria corporis dispositione, (unde medici magis insignes, inquit Arist. affirmant magnopere conuenire somnia obseruari) motus uarios in phantasia fieri, asseruerit; omnem tamen per somnium præsensionem humori melancholico uisus est ascripsisse. Est enim (ut dicunt medici) melancholia in multa, & uehementi spirituum commotione, & perturbatione; uerisimile propterea est, melancholicos nonnulla assequi, & præuidere posse, de futuris euentis. Quamobrem lib. de Diuinat. per somnium, ex interprete ita scriptum reliquit Arist. At qui nonnulla phantasmata esse cuique quarundam actionum principia, non est absque ratione. ut enim qui quidpiam facturi sunt, aut etiam qui faciunt, uel qui iam fecerunt, iis per somnia rectam ad rem ipsam tendentia

occurrunt

A occurrunt, causa autem, quoniam à diurnis inchoationibus motus præparatus est. Sic contrà necessarium est eos, qui in somno sunt motus, esse sæpè diurnarum operationum principium. quòd præparata sit item in nocturnis phantasmatibus eorum intelligentia, & ita somniorum quædam signa & causas esse contingit. Plurima autem symptomatibus assimilantur, maxime autem omnia, quæ excedunt; & quorum non est in nobis principium; ut quæ de nauali bello, & de iis, quæ procul à nobis distant, sunt. De iis eo modo se habere uero simile est, ut cum memoranti de aliquo, forte fortuna id accidat. Quid enim prohibet, ne & ita in somniis accidat, immò longè magis in somniis. Quemadmodum igitur huius memoria, non est, neque signum, neq; causa, quòd illud eueniat: sic neque euentus uidenti insomnium: sed ita accidit. Hinc est quòd multa insomnia non eueniunt. Quæ enim accidunt, neque semper, neque frequenter eueniunt. Et paucis interpositis. Ii, quorum natura quasi garrula est, & melancholica, uarias sanè cernunt uisiones. cum autem multiplicibus, uariisq; moueantur motionibus, plerunque assequuntur; ut nonnulli contendentes rapiunt. Quemadmodum enim uulgo dicitur, si multa iacias, aliàs aliud iacies; ita in iis istud accidit. Hæc ibi. quibus constat id quod à principio diximus, non multùm præsagii in somniis statuisse Aristotelem. quinimmo ex iis, quæ illo in loco edisseruit Aristoteles,

B colligunt, ad illius opinionem, peritiores, quòd etsi aliqua sint somnia præmonstrantia: res tamen aliàs præmonstrare somnia non possunt, præter eas, quæ ad ipsiusmet somniantis corporis dispositionem pertineant. nec ista, necessitate aliqua, sed temere etiam, & cœco casu præmonstrant: & præmonstrata similiter temere, uel saltem contingenter eueniunt. ut sicut uno, uel altero modo eueniunt, ita uel non euenire, uel alio modo, quàm eueniant, euenire possunt. Lib. etiam septimo Moralium ad Eudemum, post aliquot de Enthusiasmis habet hæc uerba Arist, Itaque & melancholici recta ualde, subitaq; in somnia habent. Quamobrem demiror ego quosdam certè doctissimos, & præstantissimos uiros Auerroem, Nicolaum Leonicum, Petrum Pomponacium, & alios plerosque; qui de sententia Aristotelis, ab intelligentiis, & à Deo demitti hominibus somnia putauerunt. cum tamen præter ea, quæ dicta sunt, quæ eorum opinioni aduersantur omnia, in principio libri de diuinatione per somnium habeat idem Arist. hæc uerba. Τότε γὰρ θεὸν εἶναι τὸν πέμποντα, πρὸς τῇ ἄλλῃ ἀλογίᾳ, καὶ τὸ μὴ τοῖς βελτίστοις, καὶ φρονιμωτάτοις, ἀλλὰ τοῖς τυχοῦσι πέμπειν ἄτοπον. idest, Nam Deum somnia mittere, præter id, quod ratione caret: non optimis etiam & prudentissimis: sed cuiuis populari mittere, absurdum est. Et finem uersus eiusdem tractatus, idem confirmat. Sed de præsagio per somnium, ad Philosophorum opinionem, hactenus.

C Ad eandem ex somnio confirmationem, ex Theologo respondetur, & quinque somniorum genera declarantur. CAP. XXVII.



SOMNIORVM præsagitionibus, licèt non penitus catholicus & Christianus Theologus consentiat; non tamen prorsus ab eisdem obstinatè (ut longo satis processu facit Cic. & ante Ciceronem fecerunt Epicurei) dissentit, & aduersatur. Lactantius lib. de opificio Dei, non solùm ex Gentilium historiis, somniorum quorundam ueritatem affirmat; sed addit etiam, responsa uatum nostrorum ex parte somniis constitisse, ut sicut non semper uera, ita aliquando non falsa esse somnia, & nonnunquam à catholicis adhibendum eisdem animum, ipse crediderit. August. lib. de Spiritu & anima (si tamen liber sit Augustini) cap. XXV, quinque illis somniorum generibus, quæ super somnio Scipionis à Macrobio declarãtur, astipulari uidetur. quæ & ita nuncupat, Oraculum, Visionem, Somnium, Insomnium, & Phantasma. declaramus ex eodem singula quambreuissimè.

D ORACVLVM est, cum grauis quæpiam persona, ceu pater, uel sacerdos, uel etiam Deus euenturum quippiam, uel non euenturum, faciendum, uel deuitandum in somnis denunciare uidetur. Ab antiquioribus Græcis (ut ex Nicephoro Gregora in expositione libri de insomniis Synesii patere potest.) Χρηματισμὸν est appellatum, quale illud fuit, quo Magi admoniti sunt, ne ad Herodem redirent; & illud quo Ioseph admonitus est, ut abiret in Aegyptum, uel reuerteretur in Iudæam cum uxore & nato. Homerus fortasse ad hoc genus somniorum respiciens, appellauit aliquando somnium, Διὸς ἄγγελον, idest Iouis nuncium. Et libro primo Iliad. inquit.

Καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

hoc est. Etenim somnium ab Ioue est.

VISIO est, cum id, quod uidet quis, eodem modo quo apparuerit, eueniat: sicut fuerunt somnia illa multa, ex quibus in principio disputationis nostræ argumentabamur; cuiusmodi multa possem ego si uellem recensere; quæ ipsi mihi contigerunt. & quale est somnium, quod de se ipso narrat B. Hieron. cùm ante tribunal iudicis ductus, grauibus flagellis, cedi iussus est. Tantùm hoc loco notatum uolumus, quòd hæc somnii species, tum à Deo, & bonis angelis, tum à malo

dæmone, Deo ita permittente, fieri poteſt. differenter tamen; quoniam ſi de re futura eſt, ſicut E
certè non nouit diabolus, quod futurum eſt; ita ab illo uiſio nobis de re futura, clara admodum exhiberi non poteſt. Adde quòd quæ à dæmone uiſiones nobis offeruntur, monſtruoſi, & horroris nonnihil habere uidentur; at quæ à Deo, iucundæ, & lucidæ. Adde tertiò, quòd quæ à dæmone ſunt, aliquid habent annexi; quod Chriſtianæ religioni, & pietati, modo aliquo aduerſatur; ut non multa difficultate, modo animum intendere uoluerimus, ab iis, quæ à Deo, & bono dæmone nobis præſtantur, uiſiones ſecernere ualeamus, ut illuſiones magis, quàm uiſiones dicendæ illæ ſint, quæ à dæmone malo nobis exhibentur.

Somnivm eſt figuris tectum; quod ſine interpretatione intelligi non pôt; ſicut fuit ſomnium Pharaonis, Nabuchdonoſor, & aliorum quorundam, de quibus in ſacris libris. Somnium etiam Arnaldi cuiuſdam Philoſohi huius generis fuit; qui cũ à nigro cane pedem ſibi morderi ſomniaſſet; ſequenti die in ea pedis parte cancer adnatus eſt, & ſomnum Aſtyagis regis Medorum, & filiæ Polycratis Samii, de quibus capite ſuperiore. & ſomnium illius, cuius lib. ſecundo de Diuinatione meminit Cicero, qui ex faſcia lecti ſui cubicularis, ouum pendere ſomniauerat. Sed huius
generis ſomnia innumera in gentilium libris affatim uideri poſſunt. F

Insomnivm eſt; quando id, quod fatigauerit uigilantem, ingeſſerit ſe dormienti. ſicut eſt cibi, potus, artis, & id genus aliorum ſtudium, & cura. quemadmodum cecinit Claudianus.

» *Omnia, quæ ſenſu uoluuntur uota diurno:*
» *Pectore ſopito reddit amica quies.*
» *Venator defeſſa thoro cum membra reponit:*
» *Mens tamen ad ſyluas, & ſua luſtra redit.*
» *Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,*
» *Vanaque nocturnis meta cauetur aquis.*

Et Theocritus in Idyllio xxv, ſub perſona piſcatoris inquit.

» *Καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις.*
» *Πᾶσα κύων ἄρτους μαντεύεται, ἴχθυα. κ᾽ ἀγῶ.*

ideſt. Etenim in ſomniis omnis canis panes ſomniat, & ego piſces. Iuxta etiam infirmitatum
(ut tradunt Medici) & morum & humorum uarietates, inſomnia uariantur. Natura enim πικρόχο
λοι, & cholerici incendia, uſtiones, rixas, contentiones ſomniant. Melãcholici caligines, tenebras, G
uagationes per loca ſolitaria, tetras ſpecies, triſtia omina. Phlegmatici aquas, balnea, nauigationes, merſiones in aqua, onera grauantia, & impedientia inceſſum, & ſimilia. Sanguinei conuiuia, choreas, complexus, rutilia, amicas, & blandas colloquutiones. Nonnulli inter priora illa inſomnia, quæ ab animi paſsione ortum habere uidentur, & hæc poſteriora, quæ à temperamento uel naturali, uel aduentitio oriri dicuntur, differentiam poſuerunt; & priora illa, animalia; iſta poſteriora, naturalia appellari uoluerunt. Sed ſit ut libet, libellum, Gal. de Præſagiis ex ſomniis, edidit; ubi quorundam etiam inſomniorum interpretationem expoſuit. Viderat, inquit, quidam in ſomniis, crus ſibi alterum factum lapideum; quod iſti diuinantes ſic interpretabantur, tanquam ad ſeruos id ſolum ſpectaret; ſed ille, præter opinionem, iſto crure paralyticus fiebat. Quidam criſi inſtante ſudaturi; lauare, calidarumq; aquarum lacus innatare, ſe ſomniabant.

Phantasma formis paſsim uagantibus; diſcrepantibusq;, & uariis, lætis, uel turbulentis efficitur. In quo genere inquit Auguſtinus, uel illius quiſquis fuerit, libelli auctor, eſt ſomnus Ephialtes dictus; quem Latini incubum uocant. quòd inſultare, & pondere ſuo grauare uideatur.
aliqui illum πνιγάμωνα uocant, ἀπὸ τοῦ πνίγειν, quod eſt ſuffocare, quoniam ſuffocare ſomniantem ui H
detur. Et eſt fumoſitas quædam ex indigeſtione, à ſtomacho, uel à corde ad cerebrum aſcendens, ibidemq; uim animalem comprimẽs; quo ſomnio afficiuntur (inquiunt medici) quibus affecta, uel humore uiſcido obſtructa ſunt poſteriora cerebri; quibus obſtructis impediuntur, puto, nerui illi; qui ad pectus eleuandum ueniunt; ex quorũ impedimento pectoris dilatatio prohibetur. Dicebat Nicephorus; phantaſma homini accidere neque planè euigilanti, neque exactè dormienti; ſed ferè inter ſomnum, & uigiliam medio modo ſe habenti. Hæc recenſuimus tum ex libro de Spiritu & anima, tum ex Macrobio, tum ex non contemnẽdis aliorum monumentis; ut intelligeremus, ſomnium eſſe de numero eorum, quæ multis modis dicuntur; & ſuorum ſignificatorum aliquam haberemus intelligentiam, priuſquam ad tollendam ex Theologis difficultatem deſcenderemus. Ex iis igitur omnibus, quæ hactenus diximus, illud tantùm in præſentiarum colligere intendimus, quòd ſomniis (de ſomnio in uniuerſum loquendo) non penitus ſacræ literæ detrahant, eiſdemq; aduerſentur, quod non ſolùm ex iſta, quam ex B. Auguſtino, uel ex alio catholico, ni fallor, Theologo, diximus diuiſione, in qua aliquid ſomniis, multum autem uiſionibus, & oraculis illum tribuiſſe conſtat; ſed ex multis etiam ſacrorum codicum locis colligi poteſt. In libro nanque Numer. cap. XII. ita legitur. Si quis fuerit inter uos Propheta domini, in uiſione apparebo ei, uel per ſomnium loquar ad illum. ut omnino mentiatur lib. poſteriore de Diuin. Cic. cum inquit.

A inquit. Illud perſpicuum eſt; nulla uiſa ſomniorum proficiſci à numine Deorum. Ioſeph ſanctiſsimè interpraetatus eſt ſomnium Pincernæ, & principis piſtorum & Pharaonis. Et Daniel plura ſomnia Nabuchdonoſor regis Babylonis explanatiſsimè expoſuit. Admonitus eſt inſuper, ut diximus, ſæpè in ſomniis Ioſeph B. Mariæ coniugus, ut cum cogitaret de uxore dimittenda, & cum iuberetur cum puero, & matre fugere in Aegyptum, uel ab Aegypto in Iudæam redire. Magi etiam admonentur in ſomniis, ne ad Herodem redeant. Non eſt igitur ſomniis ita detrahendum; » ut ſomnia omnia, & cunctam ſomniorum obſeruationem penitus abiiciamus, tanquam ab eccle- » ſia damnatam; per quæ nihil præſciri, & de nullo homo inſtrui poſsit. Legitur enim lib. Iob cap. » XXXIII. per ſomnium, in uiſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines; & dormiunt » in lectulo; tunc aperit (ſcilicet Deus) aures uirorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina. Et ideo Geneſ. XX. in ſomniis ab uxore prohibetur Abimelech. Gene. XXXI. admonetur in ſomnis Laban, ne noceat ipſi Iacob. Lib. Reg. III. cap. item III. Salomonem in ſomniis hortatur Deus ad petendum, quod maluerit. Gen. XXVIII. Iacob in ſomniis uidet ſcalam, cui innixus Deus illum
B conſolatur.

Tollitur apparens in ſacris literis, circa ſomniorum conſeruationem, contradictio. CAP. XXVIII.



» VERVM enim uerò hoc loco ſtatim illud iam pridem, hoc eſt cap. XVIII. huius libri à nobis ex Deuter. cap. XVIII, citatum obiicietur. Non inueniatur in te, qui obſeruet ſomnia. igitur à fidelibus abiicienda ſomnia omnia, & cunctorum ſomniorum obſeruationes abigendæ penitus eſſe uidentur.

AD obiectionem hanc tres dare poſſumus reſponſiones, quas omnes catholicas ita exiſtimamus; ut catholicorum peritiorum iudicio eaſdem ultro libenterq; ſubmittamus. Vna eſt, quòd ſomnium (ut ſuperiori capite uiſum fuit) » multa ſignificat, plures nanq; ſunt ſomniorum ſpecies, & genera; non omnium uerò, ſed aliquorum tantùm obſeruationes in ſacris codicibus damnatæ ſunt. Non enim oracula, ſi in diuiſione C prius expoſita perſiſtamus, damnata ſunt; nec uiſiones, nec uiſionum, uel oraculorum animaduerſiones; quamuis aliò tendant uiſiones, quæ à Deo & bonis Angelis immittuntur; quam faciant illæ, quæ à malo dæmone, perpetuo humani generis, atque immaniſsimo hoſte, nobis exhibentur. Si tamen ille uiſiones & non potius illuſiones dicendæ ſunt.

ALTERA, quòd omnium cuiuſcunq; generis ſomniorum obſeruationes interdicuntur quidem; ſed non omnibus; non enim prudentibus, & cordatis, ac piis uiris; ſed imprudentibus, & imperitis. tum ne per quietem ſaltem, dæmonibus aſſueſcant. quando enim in ſomniis dæmonibus obedire incipimus; tunc etiam uigilantes deinceps illudunt. tum etiam ne diuinationis uel ſibi ipſis opinionem ſibi ſumant: uel aliis aliquam ſpeciem ingerant, tum multis aliis de cauſis, quibus in errorem facillimè quilibet imperitior, atque imprudentior, diuinæq; legis inſcius labi poſſet. Abacta propterea in uniuerſum ſomniorum obſeruatio ab eccleſia Dei eſſe uidetur; quòd non errores tantùm; ſed errorum etiam, & peccatorum occaſiones ſemper damnauerit. In ſomniis nanque præſagientibus erramus facillimè; & decepti ſæpè ex ſomnio miſerè perimus. Darius cum Alexandro congreſſurus Macedonicum exercitum ardentem ſomniarat per Aſiam incedere; & Babylonem uenire; ibiq; ueſte Perſica ueſtitum Alexandrum templum ingredi. pu D tauit ex ſomnio Darius exitium imminere Macedonico exercitui; & Alexandrum in poteſtatem Perſicam eſſe uenturum. ſed res longè aliter cecidit; ut per flammam, uictoriæ celeritatem; per ueſtem, Perſico regno potiturũ Alexandrum ſignificari, euentus demonſtrauit. Ideo Eccleſiaſtici » cap. v. legitur. ubi multa ſunt ſomnia, ibi plurimæ uanitates, & cap. XXXIIII. Vana ſpes, & men » dacium uiro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes: quaſi qui appræhendit, & perſequitur » uentum; ſic & qui attendit ad uiſa mendacia. ad eundem modum alibi legitur. Qui obſeruat in- » ſomnia ſimilis eſt captanti umbram, & uentos perſequenti. Et alibi. Qui obſeruat inſomnia ſimi- » lis eſt umbram ſuam perſequenti.

TERTIA ad dubitationem reſponſio, quam ad rem potiſsimùm facere, arbitramur eſt, quòd ſomniorum omnium obſeruatio permittitur omnibus; & nulli nullius ſomnii obſeruatio interdicitur ab eccleſia; ſed tantùm modus inſomniorum obſeruatione interdictus eſt; & ille in omni ſomniorum genere, & omnibus interdicitur. Qui modus in omnibus etiã illis ſcripturæ locis innuitur; in quibus ſomniorum obſeruatio prohibetur. Quamobrem in illis diuinæ ſcripturæ locis in quibus ſomnia, & ſomniorum obſeruationes damnantur; non abſolutæ ſomnia, aut ſomniorũ obſeruationes prohibentur; ſed cum alicuius, ſemper uerbi appoſitione, ita damnantur; ut ad quem modum ſomniorum obſeruatio, per ſacros codices cunctis inhibeatur, uel non inhibeatur, euidentiſsimè demõſtretur. Nam Deuter. XVIII. qui locus ſemel, atque iterum citatus fuit; ſom-

ſomniorum quidem obſeruatio interdicitur;at non ſimpliciter, ſed ſimul cum obſeruatione Augurum, Ariolorum, & huiuſmodi aliorum, quæ uanè & ſuperfluè, ſuperſtitioſeq; ita obſeruantur;ut ſine peccato graui nequeāt obſeruari. ita enim loco citato legitur.Quando ingreſſus fueris terram;quam Dominus Deus tuus dabit tibi; caue, ne imitari uelis abominationes illarum gentium; nec inueniatur in te,qui luſtret filium ſuum,aut filiam, ducens per ignem; aut qui Ariolos ſciſcitetur;& obſeruet ſomnia,atque auguria.nec ſit maleficus,nec incantator,& alia quæ ſequuntur. Vbi ſomniorum obſeruatio,unà cum filiorum luſtratione,& auguriis,& Ariolis prohibetur. Quibus uerbis patet; quòd non omnimoda ſomniorum obſeruatio interdicitur: ſed illa tantùm, quæ uana eſt; & ut augurium, & ars ariolandi ſuperſtitioſa. Statim enim cum dixit [& obſeruet ſomnia] ſubdit[atque auguria]& prius dixerat[aut qui Ariolos ſciſcitetur] quaſi innuat ſcriptura; quòd ille reprobatur; qui ita ſuperſtitioſè ſomnia obſeruat; quemadmodum quidam auguria obſeruant & ariolos. Leuit.item XIX.ubi rurſus prohibentur ſomnia; de augurio fit mentio;ut ex huius uerbi annexione,quales ab eccleſia damnentur ſomniorum obſeruationes, facillimè poſsit intelligi. Ibi enim legitur. Ego Dominus Deus ueſter. Non comedetis carnem cū ſanguine,Non augurabimini, nec obſeruetis ſomnia. ubi,ut uides,non ait abſolutè dominus.[Non obſeruabitis ſomnia]ſed hoc uerbum annectit cum illo. [Non augurabimini] ita ut ex iis duobus dictis fiat integra ſententia[non augurabimini,nec obſeruabitis ſomnia] ut uelit ſcriptura dicere. Non erit apud uos uana quædam & ſuperſtitioſa ut auium & aliarum rerum ita ſomniorum obſeruatio. F

Ad eundem modum cap. XXXIIII. lib. Eccleſiaſtici legitur, Diuinatio erroris,& auguria mendacia,& ſomnia malefacientium uanitas eſt. Vbi ut uides, non ſomnia damnat ſimpliciter; ſed ſomnia maleficorum hominum: & hoc ſimul cum diuinatione augurali;propterea inquit.[Et auguria,& ſomnia malefacentium uanitas eſt.]In lib. Deuter. cap. XIII. iubetur ſomniantem occidi:etiam ſi euenerit,quod per ſomniorum uiſa ille prædixerit,non præciſè,quia per ſomnium aliquod præcognoueri uel præcognitum annunciauerit: ſed quia ex hoc ipſo, aliquid ſibi diuinitatis arrogauerit & à ueri & diuini cultus religiõe alios abduxerit.Ita enim loco citato legitur .Si ſurrexerit in medio tui propheta: aut qui ſomnium uidiſſe ſe dicat: & prædixerit ſignum, atque portentum, & euenerit, quod locutus eſt: & dixerit tibi, Eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras: & ſeruiamus eis: non audies uerba prophetæ illius, aut ſomniatoris,quia tentat uos Dominus Deus ueſter: ut palam fiat; utrùm diligatis eum, an non, in toto corde,& in tota anima ueſtra. Dominum Deum ueſtrum ſequimini; & ipſum timete; & mandata illius cuſtodite; & audite uocem eius; ipſi ſeruietis; & ipſi adhærebitis. Propheta autem ille, G aut fictor ſomniorum interficietur; quia (ecce cauſam) loquutus eſt; ut uos auerteret à Domino Deo ueſtro: qui eduxit uos de terra Aegypti; & redemit uos de domo ſeruitutis; ut errare te faceret de uia: quam tibi præcepit Dominus Deus tuus. Hæc ibi. Ex iis igitur, quæ ex ſacris codicibus adduximus,& aliis multis,quæ adducere poteramus,auctoritatibus: mihi(ſaniori ſemper iudicio,me ſubmittendo,& cū proteſtatione ſemper emendationis, ſi error fuerit,nunquā enim à Romana catholica Eccleſia, uel per unguem recedam) dicendum uidetur: quòd quemadmodum cantus, aut uolatus auium, aut etiam aliarum rerum animaduerſio abſolutè, & ſimpliciter à ſacris Theologis non inhibetur (Ait enim Propheta Ierem. VIII. Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum; turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui. Et D. Thom. eximiæ uenerationis Theologus, opuſculo XXV. Si quis, inquit, cornicula frequenter crocitante, mox futuram prænunciet pluuiam; non eſt nugatoriæ ſuperſtitionis. ſimiliter etiam ſi quis, ex ſubito uolatu auium, denunciet, ibi latere inſidias; unde aues uolando receſſerunt; non eſt ſuperſtitio; ſed humana induſtria) Quemadmodum (inquam) cantus, & uolatus auium obſeruatio, ab Eccleſia abſolutè non interdicitur; ſed ſuperſtitioſa quædam (quæ proprio uocabulo augurium aut etiam auſpicium dicitur) & uana de garritu, uel uolatu auium conſideratio, & obſeruatio, eſt illa; quæ à probatis Theologis repræhenditur: & ſub anathematis uinculo à prælatis eccleſiæ inhibetur: ita non ſomniorum abſoluta,& qualiſcunque obſeruatio,ſed uana quædam, & ſuperſtitioſa (quæ proprio caruit nomine) eſt illa; quæ à domino, quòd ea dæmones nos illudant, in ſcripturis ſanctis prohibetur. quæ quia proprio (ut diximus) nomine caruit; in cauſa fuit; quòd plus forſan, quàm opus erat; in ſoluenda ex ſomniorum orta obſeruatione difficultate laborauerimus. Cæterùm per ſomnium loquebatur Deus Prophetis. Num. XII. Per ſomnium admonetur Gedeon, ut deſcendat, & aduerſus Madian ineat pugnam. Iud. VII. Per ſomnium uidit Ioſeph ſuorum fratrum ſe futurum dominum. Gen. XXXVII. Idem ſomnia interpretatur. Idem cap. XL. inquit, quòd interpretatio ſomniorum à Deo eſt. A Philone notatum eſt. Abraham primùm omnium ſomnia interpretatum fuiſſe. Iohel. item II, legitur, Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & iuuenes uiſa uidebunt; & ſenes ſomnia ſomniabunt, diuinæ operationi utrunque & ſomnium, & ſomnii interpretationem ſacra ſcriptura tribuit. quod confirmari poteſt ex Danielis primo cap. ubi Deū dediſſe legimus Danieli intelligentiam uiſionum,

A num,& somniorum. Et ideo Iudi.vii, Miles militi somnium interpratatur. Act. xvi. Paulus ui so per somniũ uiro Macedone, eum, ut in Macedoniam Christũ prædicaturus trãsiret, deprecante profectus est Macedoniam, & Christum ibidem Euangelizauit. Sed de de somniis obseruandis uel non obseruãdis hactenus. Quod autem ex somnio, quodcunq; illud fuerit, nulla in rebus, & euen tibus inferri posit necessitas, manifestum ex iis quæ diximus, magis est; quàm ut multis uerbis longius probari oporteat. In eo quidem somnii genere, quod oraculum appellauimus, aliqua necessitatis species, ex diuino decreto inesse uidebitur; sed re uera nulla inest. tantùm enim rerum omnium, apud Deum præcognitionẽ, esse conuincit; quæ præcognitio ad quem modum cum contingentia, & temeritate, quàm commodè stare posit; prius ubertim declarauimus. ex illo nanque somnio, diuinæ uoluntatis admonemur tantùm, non autem ad illam implendam aliquo modo cogimur.

Ad eas rationes, quas superius cap. xxvii. pro diuinatione per somnium, ex Stoicis adduximus; sine difficultate responderet Theologus.

B Ad primam, & si animum Dei cognatione teneri fateretur; negaret tamen futurorum euen tuum notitiam aliquam habere insitam, cum futura præcognoscere sit Dei proprium, rationalis autem creaturæ coniicere.

Ad secundam, & et si aerem hunc dæmonibus completum confiteretur, dicente Apostolo ad Ephes. vi, esse nobis luctationem & bellum aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, negaret tamen ad eas animum nostrum in somnio exire; & ab illis de futuris plus edoceri, quàm Deus opt. Max. permittat, ut quòd aliqui ab angelis edoceantur in som niis non sit propter naturalem cognationem. (ut illi putabant) animi nostri cum diis Diis, sed ex mera diuina gratia.

Tertiae aliquo modo consentiret, & inde illa somniorum genera hauriri non negaret; quæ uisiones, & oracula superius uocauimus; per Deos, bonos angelos intelligendo. Sed de somniis, & de diuinatione per somnium, atque de somniorum obseruatione hucusq;.

Ad octauam confirmationem, quæ ex Astrologorum de futuris euentibus prædictione, hoc est ex diuinatione per astra procedit, ex Philosopho respondetur, & ad quem modum ex sideribus nonnulla ritè prædicere possunt Astrologi, declaratur. Cap. xxix.

C



D confirmationem octauam, quæ ex Astrologorum de futuris euentibus prædictione, procedit, responsuri; illud in primis notatum uoluimus; quod lib. secundo contra Astrologos cap. ix, Dominus Ioannes Picus uir etiam atque etiam doctus notauit. Illud autem est, Quòd cùm tanta sit hominum, in futuris, iis præsertim, quæ ad se attinent, præcognoscendis curiositas; & de iis qui hoc præstare profitentur, tanta sit apud homines, opinio, & existimatio; quumque tum erectas statuas & Philosophis multis, & medicis, & Poetis, tum decretos eisdem aliquos publicos honores sæpè legamus; Astrologorum nemo, præter unum Zoroastem, nusquã uno uel altero honore potitus est: sed legimus illos eiectos potius, irrisosq;, & in fabulam populi tandem uersos. Quamobrem nonnulli, qui Poetarum figmenta allegoricè exposuerunt, per illam Ichari fabulam, qui factitiis pennis cœlo tenuiori se committens, in mare præceps decidit, Astrologos putarunt designari; qui pennis temerariæ professionis, ni cœlum se substollentes, cum de cœlestibus suis decretis, quibus sublimari uidentur, edisserunt, aut cùm

D ex uanis suis præceptis aliquid sunt prædicturi; in immensum mendaciorum pelagus præcipites ruunt, atque ab illismet, apud quos erant prius in magno honore, in contemptum, & fabulam tandem habentur. sed ad difficultatem soluendam propius accedamus. Astrologorum igitur prædictiones, & diuinationes (diuinationis autem nomine in ea pridem utimur significatione; qua hodie utuntur plerique omnes, pro rei futuræ præsensione quadam, & præsagitione) in duas partes dissecare nos possumus. Sunt enim aliquæ earum uanæ, & commentitiæ; aliquæ uerò naturales, & φυσικαὶ. Quoniam nanque luna dum lumine augetur, in plantis, & animalibus humores augentur & exuberant: dum pleno orbe refulget, uigent; dum lumine diminuitur deficitque, minuuntur; interlunio arescere quasi uidentur. Sole item obliquo suo circuitu quatuor anni tempora distinguente; & eadem diuersissimis, & sæpè inuicem pugnantibus qualitatibus, maiore, uel minore, accessu, uel recessu suo afficiente; plantas, & animalia immensam pati alterationẽ, atque permutationem, nulli non clarissimum esse potest. dubium non est; quin per solem, per lunam, & propter eandem causam, qua per solem, & lunam per alia quædam insigniora sidera, ut per Caniculam, per Orionem, per Atlantides & huiusmodi, physicè, & sensata (ita dixerim) ratione,

ratione, Aſtrologi multa prædicere, & diuinare, certò ualeant. Nec Aſtrologi tantùm, ſed agri- E
colæ etiam ex ſolis, lunæ, & aliorum quorundam aſtrorum uerſione, tempora ſationum, admiſ-
ſionis pecudum ad coitum, incubationis auium, ſectionis lignorum uel urendorum, uel ad ſtru
ĉturas adhibendorum, & alia id genus innumera diuinare aptiſsimè norunt. Libro dierum decre
toriorum tertiò, inquit Gal. Porrò illud denuo repetendũ, quod nos obſeruantes uerißimum eſſe
comperimus, ab Aegyptiis aſtronomis inuentum; Lunam non modo ægris, ſed etiam ſanis, dies
quales tandem futuri ſunt, poſſe demonſtrare. Cei ſiue (ut nonnulli ſcribunt) Acetei populi (ut He
raclides Ponticus tradidit) ex ortu Caniculæ, coniecturam capiebant, ſalubris'ne, an peſtilens
annus futurus eſſet. Nam ſi obſcurior, & quaſi caliginoſa ſtella extiterit; pingue, & concretum
eſſe cœlum, ut eius aſpiratio grauis, & peſtilens futura ſit; ſin illuſtris, & perlucida ſtella appa-
ruerit; ſignificari cœlum eſſe tenue, purumque, & propterea ſalubre. Quamobrem Gallicum uo-
catum morbum Aſtrologi multi (ut refert Hieronymus Fracaſtorius; qui morbum illum ſiphi-
lidem appellauit; uir apprimè eruditus, lib. ſuo. de Contagione, cap. XII,) longè antequàm
nobis agnitus fuiſſet; prædixerunt. Siderum nanque uariæ conſtitutiones (neque eſt hoc loco à F
nobis multum curandum; ſi ſecus ſenſiſſe uiſus eſt Dominus Ioan. Picus lib. V aduerſus Aſtrolo-
gos cap. item V.) coniunctionesque, & elongationes uariæ, in aerem medium, circa nos un-
dique diffuſum, multas, ac uarias caloris permutationes, & alterationes efficiunt. ex quibus,
diuerſa in nobis morborum genera originem trahunt; quum ea naturaliter, & phyſicè produce-
re poſſunt; ſi non per ſe, per accidens ſaltem; quatenus plus (ut dictum eſt) uel minus caloris,
ſuo magis, uel minus unito, uel diſperſo lumine, in aere efficiunt; quem deinde, pro aeris in cor
pora noſtra effectione, atque alteratione (nam de maximè, inquiunt medici, nos alterantibus
eſt aer) morbi ii, uel illi pro ratione alterati aeris, & in eo exiſtentis caliditatis conſequuntur,
quos peritus Aſtrologus longè ante quàm eueniant, phyſicè prænoſcere poterat. Nec Aſtrolo-
gus ſolùm, ſed peritus etiam medicus, in iis præſertim, quæ ad hominem pertinent, & uel ad ſa
nitatem tuendam, uel ad morbum depellendum faciunt, ex ſtellarum, ſolis præſertim, & lunæ
coniunctione, uel oppoſitione, mutuaq; proportione, multa prædicere, & diuinare poteſt. Vnde
Hippoc. initio libri de aere inquit ἴϛεον ὅτι οὐκ ἐλάχιϛον μέρος συμβάλλετε ἀϛρονομίη ἐς ἰατρικήν. hoc eſt ad-
uerte, quòd ad medicinam multum confert aſtronomia. Admonitiones propterea & præceptio- G
nes de obſeruandis momentis orientium quorundam; atque occidentium ſiderum, præmetien-
diſque in morbis curandis ſequuturis tempeſtatibus, in ſuis idem ſæpè repetiuit uoluminibus.
Quod ipſum non rarò inculcat Gal.; & auctoritate Dioclis Caryſtii medici antiquiſsimi, qui pri-
mus de anathome ſcribere eſt aggreſſus, medicis obſeruationes ſiderum uſitatas fuiſſe, confir-
mat. Sed de phyſicis prædictionibus, ex aſtrorum peritia, hucusque.

SVNT rurſus præter has phyſicas, nonnullæ aſtrologorum non audeo dicere diuinationes, uel
præſenſiones; ſed tenues ſolùm prædictiones, & uocum ſiue orationum præmiſsiones; ex uana
certè hominum, commentitiaque quadam Chaldæorum diſciplina, & dæmonum illuſione po-
tius, quàm uel ex motibus corporum cœleſtium, uel ex aſpectibus, mutuisque ſiderum configu
rationibus, & cœleſtibus influxionibus petitæ; ex qua de futuris euentibus, ſcire aptè dicere iſti
diuinantes Aſtrologi profitentur. Sed quàm aptè illud, quod profitentur, exhibeant; profeſsio-
nemque ſuam, quàm fœliciter agnoſcant, paucis inueſtigemus. Verùm ut multam, eamque ina-
nem amputemus contentionem; mittamus nunc quæſo Ariſtotelem, & candidiores illos Philo-
ſophos; qui cœleſtem omnem influxum procul à ſuis dogmatibus ſemper abegerunt; motu au-
tem tantùm, & lumine ſuo naturali, naturaliter agere corpora cœleſtia; confeſsi doctiſsimè fue- H
runt. Quin potius his ſine contentione cum aliqua forſan ratione, quòd in cæteris quoque phy-
ſicis corporibus omnibus occultæ qualitatis plurimùm reperiatur, occultas qualitates, cœle-
ſtesque influxus ultrò, libenterq; condonemus; per quos, aliquid, quod ad mores, ad uitamque
noſtram traducendam pertineat, agant in nobis ipſa ſidera & cœleſtia corpora; ita ut ex cœleſti-
bus corporibus, atque ex ſiderum uario in noſtris natiuitatibus, ſiue in fœtuum animationibus,
ſiue fortè etiam conceptionibus, inter ſe, uel ad nos, habito reſpectu, & eorum configuratione,
& proportione, ad aliqua nos propenſius commoueri, inclinarique, admittamus. quod nec D.
Ioannes Picus admittit, nec libro tertio nos ſuperius admiſimus, ſed acerrimis, iiſdemque fir-
miſsimis rationibus, & influxus & cætera Aſtrologorum deliramenta ille diffuſiſsimè doctiſsimè-
que concutit, atque euertit, quod nos etiam in ſuperioribus copioſè fecimus. Quinimmo illud
etiam (ut contentiones, quantum fieri poteſt, euitemus) eiſdem donemus; quòd etſi appetitus
noſtros, uoluntatesque, & actiones noſtras corpora cœleſtia, et ſiderum aſpectus, & breuiter cœ
leſtes influxus (cum non in animas, ſed in corpora tantùm illi poſsint) cogere minimè queunt;
ualeant nihilominus aliqua de nobis, atque de noſtris futuris moribus, uera, ex illis cœleſtibus
luminibus, cœleſtiumq; luminum configurationibus, & influxibus, coniicere, atque prædicere a-
ſtrologi. cum tot igitur, tantaq; iſtis diuinantibus Aſtrologis ſponte condonauerimus; unum
(quod

(quod à doctissimis uiris semper probatum fuit) ab eis tantùm expostulamus. illud autem est A quod de futuris contingenter euentibus, hoc est περὶ τῶν μελλοντῶν, ut τὰ ἐσόμενα secludamus ex sideribus, non nisi per coniecturam dicere, & diuinare astrologi possunt. quo autem modo, & qua ratione, id ualeant; sequenti capite declarabitur.

Ad quem modum de futuris nati moribus, coniicere possunt Astrologi. CAP. XXX.



SIMPLICIVS diligentissimus atque doctissimus Epicteti & Aristotelis interpres, modos duos, quibus de futuris nati moribus, nô multùm aliena coniiciant astrologi, nobis tradidisse super Epictetum, uisus est, utrique quanuis in unum & eundem incidere uideantur, eo in primis importunitati diuinantium concesso, quòd stellæ pro mutui congressus, uel abscessus, configurationis, uel proportionis, loci, & situs, motusque, & mutationis ratione, uim aliam & aliam sortiantur.

B VNVS coniiciendi modus est, Vt quemadmodum ex mechanicarum artium instrumentis, & de arte, & de artifice, hoc est de ipsius artificis industria, & excellentia, non multum à ueritate alienam coniecturam nonnunquam facimus; ita ex motibus cœlestium corporum, & ex certis, qui in nostris horis nataliciis, uel etiam in conceptionibus esse contingunt, siderum aspectibus, & configurationibus, instrumenti animæ nostræ, idest corporis nostri (est enim corpus animi instrumentum animus, autem cùm immortalis, & spiritualis substantia, & intellectus sit: corporibus cœlestibus, ut & Simplicius in Epictetum, & Plotinus sequutus Platonem lib. tertio secundæ Enneadis cap. IX, fusius declararunt, non potest esse subiectus) instrumenti inquam, animæ nostræ, & ipsius animæ uehiculi naturam, atque uariam corporis nostri dispositionem, per quam ad aliquid demum in nobis futuram propensionem, ex arte ipsa, nullo dæmonis auxilio, astrologi periti dignoscere ualent. Ex cuius deinde rei atque propensionis cognitione, de futuris nati moribus, de uita traducenda, de tranquillitate, uel perturbatione animi, de eruditione, uel ineruditione, de promptitudine & tarditate ingenii, & de aliis huiusmodi multis, uera aliquando, per coniecturam iudicare pronunciareque illi queunt; si hi præsertim, qui nati sunt, de quibus prænunciant, corporibus suis (inquit Simplicius) non tanquam animæ instrumentis (sicut par erat) sed tanquam suimet partibus, eorundem uidelicet appetitibus, atque inclinationibus C propensius indulgentes, abusi fuerint. Quapropter benè Euripides dicebat.

» *Qui benè coniiciet, is uates optimus erit.*

QVOD coniecturis tantùm non etiam certa scientia, pro siderum proportione, & configuratione, ac positura, iudicare diuinareque utcunque possit Astrologus.

ALTER diuinandi atque coniiciendi modus est, quòd sicut apud nos (inquit Simpl.) sunt loca aliqua, ut templa, in quibus boni ciues, & uiri pii in unum coeant; aliqua uerò prostituta, ut fornices, lupanaria, & huiusmodi, in quibus homines praui conueniant; & pro loci ratione, non uanam de iis, qui ad præfata loca frequenter accedunt & à ueritate multum alienam, coniecturam plerunque facere contendimus, ita certus aliquis orbium cœlestium, motus, & siderum aspectus, ac dispositio quædam, & configuratio est; sub qua illi, qui uel concipiuntur, uel in lucem eduntur, in fantuli, ab astologis petitioribus, cui nam magis uitæ rationi sint futuri propensiores; sed non nisi per coniecturam, ut dictum est, diuinari, & iudicari possunt. Nam quemadmodum ex corporum temperamento, & habitu, non multum à ueritate alienam de ægroti uita, & moribus coniecturam facere norunt excellentissimi medici, ita ex sideribus, siderumque permutationibus, & mutuis coniunctionibus, proportionibusque, tum de corporis temperamento, tum de moribus, & de futura nati uita, nonnulla coniicere aliquo modo possunt peritis- D simi diuinantes astrologi; coniicere, inquam, duntaxat possunt, nullo autem modo ueraciter, & exactè, prænoscere ualent. Quòd à nulla cœlesti qualitate, à nulla siderum influxione, uel animus, uel ipsius animi appetitus, & concupiscentia, cui corporis administratio tota ferè deseruit, ad hæc uel illa cogi possit, sed liber ille semper perseueret.

Quòd cœlestia corpora si inclinant, in bonum tantùm nos inclinare ualeant, asseritur. CAP. XXXI.

VERV'MENIMVERO hoc loco ex Simplicio, Plotino & aliis multis excellentissimis uiris, diligenter notandum est, quòd & si ad aliqua (ut dictum fuit) natum propensiorem, inclinatioremque reddere posſint cœlestium corporum motus, atque cœlestium siderum configurationes quædam, & cœlestes siderum influxus: non tamen ad uitia, ad turpitudinem, aut ad prauas actiones, prauasque morum dispositiones, & uanas cupiditates & libidines; sed ad uirtutes tantùm, & ad honestas operationes, & ad egregia facinora, atque ad sanctissimos mores, honestissimasque cupiditates, ac sanctissima duntaxat desideria, nos propensos, inclinatosque faciunt (si faciunt) uirtutes cœlestes, & cœlestium luminum demandati nobis influxus; tantùm abest, ut ab eisdem, ad malum qu odpiam (ut sæpè diuinantes isti & illiterati astrologi nobis prænunciant) & ad uitium aliquod, ad noxas, ad uanasque cupiditates, & ad aliquot damna cogamur: ac ueluti fune ad collum intorto, per uim quandam tirannicè protrahamur. Quid etenim mali ab istis præclarissimis, præstantissimisque corporibus, naturæ, & Dei Opt. Max. ad tot, tantaque, atque tam admiranda, quæ passim toto terrarum, orbe cernuntur, struenda parandaque, instrumentis aptissimis, ac nobilissimis: quid, inquam, damni ab ipso tandem uniuersæ naturæ auctore, per hæc ipsa augustissima corpora, siue per suos tanto, tamque admirabili ordine digestissimos regulatissimosque motus, siue per sua fulgentissima, saluberrimaque, ac uitæ mortalium omnium accommodatissima lumina? quid (iterum) inquam damni, quid contumeliæ nobis per Solem, uel Lunam, per errantia, uel inerrantia fulgentissima sidera, contingere aliquando potest? Firmamentum, dicebat Aristoteles lib. octauo Physicarum auscultationum, est cor uniuersi Orbis. Lib. duodecimo Metaphysic. omnium, quæ cernuntur, firmamentum est maximè diuinum. Lib. primo de cœlo, cœlum est locus & habitatio Deorum. Si igitur firmamentum Orbis uniuersi præstantissima pars est, si cor est, si quid diuinum est, si Deorum domicilium est, quid timemus, ut inde mala etiam & nocitura nobis originem trahant? Non'ne quemadmodum cor in animali fons illius uirtutis est, qua seruatur animalis integritas & ordo, mixturæque nexus, & morborum inuadentium iniuria propulsatur; Ita ritè existimandum erit, firmamentum hoc, & cœlestia corpora, & stellas, quæ in ipsis cœlestibus corporibus sunt; eorum, quæ intra ipsius cœlestis corporis amplitudinem continentur, integritatem (quantum in se est) mixtionisque ordinem atque unitatem, rerumque mixtarum incolumitatem conseruare: propulsare autem ea, quæ Orbis totius integritati, & eius partium, hoc est rerum in ipso contentarum incolumitati aduersantur.

ADDE quòd lib. primo Meteororum hunc mundum inferiorem superiori dixerit Aristoteles esse continuum, ob illam causam, ut omnis uirtus eius inde gubernaretur. Gubernare est ordinare, dirigere, statuere, non autem inficere, uitiare & euertere. Origenes propterea Tract. quarto super Matthæum, mihi uidetur rectissimè facere, cum acriter satis damnet eos, qui maleficas stellas affirmant. immo nulla (inquit ille) stella à Deo facta est, ut malefaciat. Iamblichus lib. de Mysteriis cap. XIIII, Vires (ex interprete inquit) cœlestium omnes inde bonæ descendunt. Ideoque qualitas, quæ nocet in terris, alia iam est, præter illam, quæ cœlitus hucusque peruenerat. Plotinus lib. de Fato cap. VI. Iam uerò (inquit) prauitas morum quomodo à cœlestibus, qui Dii sunt, hominibus dari potest? Quasi dicat, nullo modo id potest contingere. Pierius nuperrimè lib. tertio Hieroglyphic. ubi de Tauro sermonem habet, Platonem commendat; quòd à cœlesti corpore nihil posse nobis demitti mali crediderit. & Iulium Maternum repræhendit, qui ex stellis maleficas nonnullas existimauerit. Idem multis, & firmis certè rationibus, longo processu lib. quarto aduersus Astrologos à Ioanne Pico probatum fuit, ostensumque à cœlestibus corporibus non morbos, non uitia, non bella, non mortem, non denique mali uel inordinati quidpiam posse euenire; sed hæc omnia uel à tumultuantibus elementis, uel à materiæ in motorem & opificem suum contumacia, uel à quapiam huiuscemodi alia inferiori causa, originem trahere rectissimè existimauit. Cœlestes uero uirtutes in bonum tantùm, atque in ea, quæ ad tutelam & rerum integritatem faciunt, conferre rectè putauit: ut aduersus istos diuinatores Astrologos, qui secus existimant, his uerbis tandem rectè ille docteque proruperit. Compescant igitur os prophanum imperiti quidam Astrologi. Nec Venerem dicant Marti copulatam, ad adulteria nos uocare; aut eosdem in signis maribus collocatos, ad masculorum nepharios concubitus nos excitare. Martem cœli nonam partem occupantem facere irreligiosos; atque alias omnino constellationes ad alia nos irritare flagitia. Imputent sibi non cœlo sua delicta: qui peccant. Nec fœculentæ materiæ, & iniqui animi sordes, à purissimis putent naturæ fontibus emanare.

Tollitur

A Tollitur dubitatio. Si cœlestia corpora in bonum tantùm non inclinant, quomodo uitia nostra possunt ab Astrologis diuinari. CAP. XXXII.



ERVM etsi non nisi ad bona (ut dictum, & illustrium uirorum auctoritate confirmatum est) atque ad honestißimos tantùm mores prosequendos, ad innocentemque duntaxat uitam traducendam nos sidera, cœlestiaque corpora, & sidereæ influxiones inclinant, & pronos faciunt, si faciunt, nobisque Deorum munera, quæ non nisi castißima, sanctißimaque esse possunt, illæ instillent; & influant, nec tetras, facinorosasque inclinationes, aut prauos morum habitus, siue uanas, propensiones, in nos illæ demittere, atque influere ualeant; prauitatem nihilominus nostram futuram, incompositosque mores nostros, atque malam uitæ educationem, malasque consuetudines, & repræhensibiles habitus, in quos prolapsuri sumus, diuinare, siue coniicere aliquando non ineptè possunt astrologi, quòd & cœlestibus bonis, atque (quantum ad se attinet) optimis siderum qualitatibus, influxionibusque sanctißimis, ac beatis-
B simis Deorum muneribus, nos ipsi plurimùm abutamur. Quoniam corporeis affectionibus, uanisque titillationibus, ac sensuū illecebris propensius indulgemus, & corpore, non tanquam (ut par erat) animæ instrumento utimur; sed eidem, ac si pars nostri esset, libenter obsequimur. Vt quasi, dum hæc ipsa cœlestia, diuinaque munera à nobis recipiuntur, à seipsis atque à natiua, germanaque quadam sua dignitate, deficiant. Cuius rei ex Plotino, & Iamblicho plures causæ reddi possunt.

VNA. quòd omne munus cœlitus attributum, ex ipso, quod à superiore causa exit, etiam deficit inde, & quasi à se ipso degenerat.

ALTERA. quia dum illud in uiliore materia recipitur; pro uilitate recipientis materiæ capitur. Declaratum est enim in prioribus, recipi unumquodque, pro captu recipientis naturæ.

TERTIA. naturæ illud demandantis, & idem recipientis diuersitas; quæ facit; ut dum recipitur à se ipso, pro ratione, diuersum efficiatur.

QVARTA. quòd præter cœlestia munera, aliunde alia natus recipiat; tum inter se pugnantia, tum à cœlo diuersa; ideo cœleste donum confunditur; redditurque secum frequenter paßionibus obnoxium.

QVINTA. inferioris naturæ debilitas: quæ sæpè bonum cœleste non sustinet; sed competenti
C ad illud proportione carens ægrè patitur, sub eo etiam, quod salubriter agit. Rem Iamblichus
„ pluribus declarabat exemplis. Saturni (ex interprete, inquit) uis contentiua est. Martis uerò
„ motrix. illa per accidens frequenter obest; quando materia frigidiore suscipitur. hæc autem,
„ quando feruentiore. Item illa nocet, quando recipitur per modum congelationis. hæc, quan-
„ do per æstum. quod quidem fit pro dispositione materiæ, idest quando uidelicet materia illa ne-
„ que satis calida est; neque est interea densior: hæc autem per se est calidior, atque subtilior. Item
„ lux, colorque solis, quamuis offendere languidum uideantur, necessariæ tamen sunt, ad uitam.
„ Similiter omnes cœlestium influxus ueniunt salutares; quamuis subiecti, uel peruersitas per-
„ uersè recipiat; uel debilitas facilè tolerare non poßit superiorum efficaciam. Omnes motus
„ conferunt uniuerso, & singulis partibus uniuersi; quamuis interim inter particulas minimas, sub
„ hoc motu, uel alia lædatur ab alia, uel tales particulæ non facilè motum uniuersi sustineant. Sicut
„ in chorea, dum singuli harmonicè saltant; congruuntq; gestibus inter se, & toti choro; digitus &
„ premitur, & offenditur; & si quid debile inciderit, pessundatur. Hæc Iamblichus. In quibus
ad rem propositam declarandam, tria produxit exempla. Vnum ex Saturno & Marte. Alterum
ex lumine solis & oculo infirmiore. Tertium ex motù cœli, & chorea. Quæ omnia si diligentius
attendantur, perspicuum cuiuis esse poterit; quidquid nobis euenit mali, non à cœlesti corpore
D euenire, sed à nobis metipsis, & ab aliqua inferiore causa. Nefas profectò & contra rationem
omnem quibusdam dictum est, stellas nonnullas, reguli serpentis more, nobis aspectu nocere.
Pium uerò, atque naturæ quàm congruum, rationiq; omni perquàm consentaneum est credere;
stellas naturaliter omnes, struthii more, radiorum intuitu, cuncta fouere, & uegetare. Rē eandem alio Simplicii maximi Philosophi super Epictetum notiori, magisq; familiari declaramus exemplo: quod fuit, ante Simplicium Plotini lib. Vtrum Stellæ aliquid agant. cap. XI. sit uerbi gratia ex cœlesti ista uirtute, & ex cœlesti isto influxu, in pueros quispiam propensior; ad rectum, sine dubitatione (nisi iis, quæ iam satis demonstrata fuerunt, sine causa aduersari uelimus) honestumq; amorem, & usum iuuentutis uis ista illum cœlestis inclinat. Quamobrem si cœlesti hoc munere, eo, quo debet, modo, atque ut eadem cœlestis uirtus exposcit, & inclinat, bene, ut par est, ac rectè ista, quam eidem cœlestes influxus tribuerunt, animi propensione ille idem usus fuerit; pueros instruet disciplinis: exornabit moribus: & plurimum deniq; de iuuentute bene meritus erit. Sed si propter dictas paulò ante causas, ab isto munere cœlitus attributo, declinauerit: & hac cœ-

lesti inclinatione prauè abusus fuerit: non illud, ad quod cœlestia illum corpora, & siderum castissimæ uirtutes inclinabant, efficiet, atque operabitur, sed aliud ab illo distantissimum, eidemq; pugnantissimum potius: quod sua sibi uel prauitas, uel naturæ infirmitas, corporisq; teterrimus pruritus suggesserit, perpetrabitur. sicq; cœlesti optima uirtute, & cœlestium Deorum sanctissimo munere, in puerorum, & iuuentutis pestem, & exitium pessimè ille abutetur. E


HINC Pontanus in quodam Dialogo, Marcum Catonē auaritia, Ptolemæum Regem Aegypti incestu taxauit. Illum quidem, quòd equum iam senio confectum, qui cum & Consul, & Prætor militauerat, optimus sui temporis Orator, optimus Senator, optimus Imperator uendiderit. Hunc uerò, quòd sororem suam sibi in uxorem duxerit. perpetrati sunt, inquit, ista quidem, quoniam uoluerunt; uoluerunt autem, quoniam sensuum titillationibus magis, & cupiditati, quàm rationi, & cœlesti legitimo influxui acquieuerunt. Quamobrem quum hominum illorum numerus oppido quàm exiguus sit: animum qui colant; animiq; arbitratu utantur, atque imperio; quū multitudo ferè uniuersa corpori sit omnino dedita, corporeisq; illecebris; fortasse mathematicis ipsis, & Astrologis permittendum est: laxissimis etiam habenis currere ad Apotelesmata pronuncianda.

SED dubitant nonnulli aduersus illud, quod diximus, uidelicet cœlestia corpora disponere nos tantùm, & inclinare, non etiam urgere, & cogere, tum quoniam ea, quæ disponunt, sunt illis posteriora: quæ disponuntur; at cœlestia subcœlestibus priora sunt cunctis. tum quoniam ille, qui contrà cœlestem dispositionem ageret; in motu suo non haberet, unde penderet; si omnis motus (ut tradunt physici à cœlesti motu dependeat. F

VTRVNQVE obiectum facilè tollitur. Primum quidem, quoniam & si natura sua sint cœlestia corpora priora, non tamen priora sunt, ut hunc uel illum disponunt, sed posteriora potius.

POSTREMVM uerò, quoniam ponentes influxum non dicunt illum esse motum cœli; sed qualitatem eius nobis occultam quæ per motū fortassis demitti potest. Qui igitur aduersus illius qualitates inclinationem agit; dependet nihil minus in motu suo, à motu cœlesti; quàm se pro qualitatis inclinatione, ageret, & moueretur.

Quòd fidei quamminimum sit diuinantibus Astrologis tribuendum. CAP. XXXIII.



EX HIS, quæ hactenus copiosè satis à nobis dicta fuerunt; quàm anceps, quàmque dubius, & nullius certè fidei sit diuinans astrologus ille; qui non physicis coniecturis; sed commentitiis quibusdam, ut diximus, Chaldæorum ineptiis, uel dæmonum potius illusionibus (quas honestiori nomine cœlestes influxiones appellitant) usus fuerit; & quàm nulla certa cognitione euentus futuros uel præsentire uel prædicere ille ualeat; quàmque si, quæ à cœlestibus corporibus & eorum influxionibus pendere, prædixerit, bona, & honesta non fuerint; sed turpia, & praua, aut nociua, falsò ex sideribus eadem commentetur: puto hactenus manifestum esse. Præterea quum in animum (ut dictum fuit) cœlestis configuratio, fatalis influxus possit nihil, quàm minimè cœlestium corporum uirtute aliqua ad quidpiam agendum uel uitandum cogamur, necessitemurque (quidquid Lucianus in quærimonia de neglecta re cœlesti, mendacissime blactiat, nos scilicet ita corpora cœlestia urgere; ut mutari quidquam earum rerum, quæ ad nos demanant, non possit. arbitratus interea nostra omnia inde emanare, atque demitti, sed tantùm fortasse ex corporis temperamento in quod cœlum agere, ad contentiones uitādas, iam diu concessimus, disponamur atque inclinemur) satis, ut putamus, ex iis, quæ dicta sunt, constare potuit. Verumenimuerò etsi ex tot, tantorumque philosophorum doctrinis illud affatim certè demonstrauerimus; ex ipsis nihilominus etiam astrologis, & præcipuè ex astrologorum principe Ptolemæo (si minus iis, quæ ex philosophis prius à nobis dicta fuerunt, quispiā fidem adhibeat) confirmare idem cumulatissimè possumus. Ptolemæus igitur primo de Iudiciis, cap. II, non cogere has uirtutes uel humanam libertatem, uel cuiuspiam alterius rei euentum, ex interprete ostendebat, iis uerbis, Non existimandum est, omnia à supernis causis, in res rectà humanas deriuari; tāquam inuiolabili, & diuino quodam adiecto proposito singillatim, ut nulla alia uis obsistere, quin ita grassentur, ualeat. Hoc, quod dixit, aliquot etiam productis ibidem rationibus, ille confirmabat. Et ideo in mole hac nostra corporea, & in eiusdem temperamento, futuræ tantùm uitæ principia quædam cœlestes motus insinuare dicebat; quæ quidem, si negligantur, obsunt; nihil nocitura, si eisdem eatur obuiam. Exemplum, Verum prædicturus est medicus; quòd ulcera uel serpent, uel putrescent; si non curentur. Qui etiam lapidem Herculeum, ferrum esse attracturum, prædixerit; uerum prædixerit; nisi lapis allio inungatur; sed si allii G H

lii humore illinitus lapis fuerit, & remedia ulceribus adhibeantur; illi proculdubiò mentientur.
A In tractatu etiam illo, cui titulus fructus, uel centiloquium, uel, ut dicit Pontanus, centum sen
tentiarum, primum pronunciatum ita ex interprete se habet, Fieri nequit, ut qui sciens est, par
ticulares rerum formas pronunciet. Et paucis interpositis. Soli numine afflati prædicunt parti
cularia. Non igitur ex astrorum peritia, possunt isti diuinantes astrologi quidpiam prognosticare,
de certis præsertim, & singularibus hominibus. quod si faciunt, impostores, non astronomi di-
cendi sunt. Nouit sanè per bellè Ptolemæus; cœlum tantùm in humores nostros posse agere; sed
neque in eos, quòd multum à nobis absit, nisi prius egerit in elementa ista, quæ corpora nostra
circumambiunt; animam autem non mouere, nisi humorib. agitatis: humorum autẽ agitationi,
speculationis intentione, morum studio, exercitatione, & industria, animum reluctari, cosq;
cohibere. Quintum in eodem tractatu proloquium est. Δύναται ὁ ἐπιστήμων πολλὰς ἀπὸ τρέψασθαι ἐνερ
γείας τῶν ἀστέρων, ὅτε ἐστὶν εἰδήμων τῆς φύσεως αὐτῶν, καὶ προπαρασκευάσαι αὐτὸν πρὸ τῆς συμπτώσεως τῶν ἐνεργειῶν.
idest. Potest is, qui sciens est, multos stellarum effectus auertere; quando naturam earum nouerit;
ac se ipsum, ante illorum euentum præparauerit. Vnde Ptolemæi famosissimum illud (etsi uer-
B ba Græca aliter sonent) Sapiens dominabitur astris. Cui subscripserunt & Boethius metro III, li
bri primi de Consolatione philosophiæ, cum inquit

» *Quisquis composita serenus æuo* *Fatum sub pedibus dedit superbum* &c.

Et Zoroastes, dum inquit μὴ σὺ γ᾽αὔξανε τὴν εἱμαρμένην. hoc est, Ne tu augeas fatum. quasi dicat, in no
stra situm est potestate Fato cedere; aut non cedere, uel etiam ea plus uel minus agere; ad quæ
influxiones cœlestes inclinant, alliciuntque. & Quintil. quarta declamatione, Vincitur, inquit,
Fatum, si resistas; uincit si contempseris. Et Poeta noster lib. secundo Georg. dum inquit.

» *Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.*
» *Atque metus omnes, & inexorabile Fatum.*
» *Subiecit pedibus.*

ALBVMASAR Ptolemæo longè posterior, ubi de iudiciis agit; de diuinatrice narrat, non om-
nes astrologos idem sentire; Sed alii, inquit, tantùm de uniuersalibus, alii tantùm de necessariis,
alii tantùm de corporum mutationibus posse per stellas prædici, putarunt; ut iudiciorum causæ,
regulæque nondum sint inuentæ.

ADDIT Albumasar, omnes posteriores astrologos sequi ueteres: nec ulla ueterum dicta, inten
C tioni huic, scilicet iudicandi, conducere; quoniam dicerent, impossibile fore sapientibus etiam
astronomis, quicquam de iudiciorum scientia, inuenire. Cuius sententiam iis, quæ ex Ptolemæo
producta sunt, adhiberi uoluimus: ut ex Albumasare etiam præstantissimo alioquin astrologo,
quantam fidem istis diuinantibus astrologis adhibere possimus, intelligeremus. Eudoxus Plato-
nis auditor, & maximus astrologus, cuius lib. duodecimo prioris Philosophiæ meminit Aristote-
les, Chaldæis, dicebat, in prædictione, & in notatione, cuiusque uitæ, ex natali die, minimè es
se credendum. Quamobrem dicebat Cic. quòd Diogenes Stoicus ex siderum obseruatione, qua-
li quis natura, & ad quam quisque maximè rem aptus futurus sit duntaxat, & nihil amplius, præ-
dici posse asseuerebat. Porphyrius in uita Plotini scribit: cum diligentem operam astrologiæ de-
disset, depræhẽdisse, astrologorum iudiciis non esse credendum: eaque tum sermone, tum literis
sæpè confutauisse: quod diligentius Plotinus facit in libris de Fato, de Prouidentia, & in eo, cui ti
tulus, An stellæ aliquid agant. in quibus ostendit, neque stellarum influxus, tanquam nimis uni-
uersales, neque præsentes cælestium inter se habitudines, uelut mobilissimas, rursusque commu-
nes, singula hæc propriè facere, sed interdum forte significare, & id quidem ita, ut ex indiciis ual-
de communibus, atque confusis, coniectura fit fallax & iudicium contingat incertum. Auicenna
in Metaphysicis, Astrologis credendum esse negat, quia neque cuncta cœlestia teneant, neque na-
D turas inferiorum ad iudicium necessarias, neque nitantur demonstratione, sed probationibus ora
toriis & poeticis. Ex iis igitur omnibus, quæ de astrologicis prædictionibus, atque de cœlestibus
influxionibus; ex Philosophorum, & peritiorum Astrologorum sententia, dicta fuerunt, patere
iam arbitror; cœlestia corpora humanæ uoluntatis ac libertatis arbitrii ne minimum quidem tol
lere; aut euentuum contingentiam, & temeritatem euertere, uel impedire; quòd non in moribus
nati necessitatem, sed aptitudinẽ tãtùm cœlestes uirtutes faciant; & quod nec minimum præterea
solidi, constantisq;, de iis, quæ euentura sint, dicere ualent diuinantes Astrologi. Mitto quòd Por
phyrius obnixè asseruerit, impossibile esse Astrologum scire figuram natiuitatis, & Dominum
figuræ, & præterea regulas Astronomiæ, & Astrologiæ esse incompræhensibiles, & incertas, teste
etiam Cheremone; Et quòd Bion ridiculos putauerit semper Astronomos; qui cum non uideant
pisces iuxta se nantes in littoribus; illos, qui in cœlo sunt, uidere se dicant. Eosdem momordet
Democritus, dum inquit. Quod est ante pedes nemo spectat, cœli scrutantur plagas.

ARISTOTELES omnem huiusmodi uim, quam isti fatalem appellant, atque omnes istos in-
fluxus, à cœlesti corpore penitus remouet, ac propellit. Quippe quòd nõ nisi motu, & lumine natu

rali

rali quodam ordine efficere, quidquid efficiunt, cœlestia corpora, existimauerit. Diuinationes E propterea ex astris petitas omnes irridet; & tanquam uigilantium somnia floccipendit. Eadem ui detur lib. secundo de Diuinat. Ciceronis, & multorum Astrologorum sentẽtia. Propterea nec Eu « doxus, inquit Cic. in Astrologia doctissimus, nec Panetius, quamuis Stoicus, nec Archelaus, nec « Cassandrus, nec Scyllax Halicarnasseus maximi omnes Astrologi hoc prædicendi genere usi fue- « runt. Sed Astrologorum prædictiones ex astrorum inspectione petitas probabamus tum ex Thalete, qui olearum ubertatem prænouerat, tum de eo qui Pierleonum Spoletanum necatum iri prædixerat. Ad hæc quid dicendum sit iam patere arbitror; quoniam potuerunt fortasse uiri illi ubertatem, & suffocationem coniicere ex cœlestibus corporibus, non autem exquisitè ita nouisse, ut res secus fieri non potuisset: potuit etiam temere prædictum fuisse Pierleoni, quod postea accidit: uel etiam hoc potuit illi esse dictum à uiro suffocationis conscio, quod nonnulli asserunt de Spuria uate, qui Cæsari diem mortis prædixit. Id autem quod de Thalete affertur, nihil influxum suadet: tum quia Aristoteles loco citato, aliorum dicta retulit, cum dixit, Thaletem olearum ubertatem per Astrologiam præuidisse; tum etiam quoniam hoc Thaleti fuit, inquit Aristoteles, attributum propter sapientiam, hoc est propter philosophiam & rerum naturalium cognitionem. F Tum tertiò quoniam modum lucrandi Thaletis comparauit Arist. modo lucrandi illius, qui in Sicilia quicquid erat ferri emerat, ut solus mercatoribus illhuc accedentibus uenderet, ita ut pro quinquaginta talentis, centum uenderent. quod sentiens Dionysius, Syracusis illum amplius morari uetuit. hic autẽ lucrãdi modus quid habet cum cœlesti influxu. Emerat.n. Thales quidquid erat oliuarũ in Mileto & in Chio, ita ut olei mercatores ab eo emere oleũ, quãti ille uellet, cogerentur, ut absq; aliqua astrorũ inspectione hoc ipsum qui uoluerit facere poterit, nisi à principibus prohibeatur. Sed ad obiecta Astrologorum prognostica ex physicis, & ex peritioribus Astrologis, dictum sit hactenus.

Ad confirmationem ex Astrologorum prædictionibus, procedentem, ex Tgeologo respondetur; & quòd aliqua prognosticare Astrologos, Theologus permittat, & quomodo declaratur. CAP. XXXIIII.



EX catholicis nostris Theologis, quidam hanc Astrologiæ partem, quæ diuinatrix communiter appellatur in uniuersum damnare penitus uidentur; inter quos ui G sus fuit aliquando B. Augusti. qui lib. quinto de Ciuit. Dei, cap. VII. & lib. secundo super Gen. cap. XVII. & lib. secundo de doctrina Christiana, Astrologos uera prædicentes occultiori aliquo modo, à malis Dæmonibus edoceri, affirmauit. Firmianus ẽt maximus Theologus Astrologiã, auspicia, oracula, & auguria, esse Dæmonũ inuenta; quorũ sit tenebras offundere: & caligine obducere ueritatem, affirmat. Idem Apuleius Ethnicus, & sacris Osiridis initiatus asseruit. Varro propterea rectè ex Astrologia oĩm superstitionũ uanitates emanasse sentiebat. Nonnulli uerò Theologi fuerũt; qui hãc ipsam diuinatricẽ Astrologiã in duas (ut nos superius fecimus) partes, diuiserũt; quarũ una fictitia est, & cõmentitia, Chaldæorum uanitatibus, & ineptiis plena; per quam etiam de singulorum natorum futura uita, & de eorundem moribus siue bonis, siue malis, & de quorumlibet euentuum successione nõ coniicere solùm, sed firmiter iudicare, Astrologorum nonnulli præsumunt. Partem hanc ipsi catholici, communi consensu, damnant; & ab humano studio, & commercio, quod non nisi Dæmonum illusionibus, aut etiam pactis, procedat, iuxta illud quod Esa. XXVIII. legitur, Dixistis percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum; sub anathematis uinculo Pontifices maximi explodi iusserunt.

ALTERA est, quæ physicis quibusdam (ut dictum fuit prius) & naturalibus signis, & effectibus utitur, & per huiusmodi signa de futuro euentu coniiciunt, atque prognosticant. Hanc Theo H logi (ut constat ex D. Thoma 2. secundæ, quæst. XCV. art. V.) quàmplurimi uel melius dicam omnes amplectuntur; quam plerique, Astrologiæ, aut diuinatricis nomine, non appellant; non autem ut priorem illam, penitus improbant, dicente scriptura de Sole, & Luna, Sint uobis in signa, & tempora, & dies, & annos. Ad quem modum autem ex iis physicè diuinari aliqua possunt, exemplo superius XXIX cap. ex Solis & Lunæ uicissitudinibus declarauimus. Aliqui sunt etiam Theologi; qui plus quidpiam coniecturis Astrologicis tribuentes, ex temperamento corporis, de quo pro cœlestium corporum, & siderum tum inter se, tum ad nos relatione, & habitudine; ipsi Astrologi iudicant, aliqua de prauis etiam hominũ moribus, uera posse Astrologos prædicere confitentur; quando sensus potius quàm mentis motum; & sensuum appetentiam magis, quàm rationis legem homines prosequuturi sint. Et corpore (ut dicebat Simpl.) non ut instrumento animæ, sed ut parte sui, usuri fuerint, exemplis aliquot tum ex Iamblicho, tum ex Plotino, tum ex Simplicio, rem superius cap. XXXII. declarauimus. Nec ab iis recedit B. Augustinus qui lib. quinto de

A De Ciuit. Dei cap. VI, ita scriptum reliquit. Non usque absurdè dici potest; ad solas corporum differentias afflatus quosdam sidereos peruenire; sicut in solaribus, accessibus, & decessibus uidemus etiam ipsius anni tempora uariari; & lunaribus incrementis, atque decrementis augeri, & minui quædam genera rerum; sicut echinos, & conchas, & mirabiles æstus Oceani. Hæc ille. Et S. Thomas opusculò XXV; cap. IIII, ex dispositione cœlestium corporum, aliquam in nobis ad hæc, uel illa facienda inclinationem fieri admittit. quam peritus Astrologus, intelligens; eo, quo sæpius dictum est, modo de futura nati uita, multa à ueritate non multum aliena prænoscere, uel saltem præconiicere potest. Cæterùm in illo Theologi omnes consentiunt; quòd à nullo siderum aspectu, uel configuratione, & à nulla cœlestium corporum influxione, & uirtute, uoluntas humana cogi, & necessitari aliquo modo queat, ut de futuris nati moribus certè, & exquisitè à quo quam definiri non possit. Alioquin ut rectè D. Basilius in sermone, Quòd mali non sit Deus auctor, & B. Aug. lib. secundo de Genesi ad literam cap. XVII, arguunt. Naturæ architectum Deum peccati auctorē faceremus. Qui nostra non solùm probaret scelera; sed ad illa, nos etiam
B per cœlestium corporum actionem, & motum ac per siderum occultam uim, earundemq; configurationem, & certam rationem impelleret; cogeretque, præsertim cum scriptum sit in Psal. XXXII, Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Possunt igitur aliquo modo, ad sententiam nostrorum Theologorum, ex cœlestibus corporibus, & per siderum disciplinam, de nostrorum corporum temperamento, aliqua cognosci; & ex eorum cognitione, de nato, futuri aliqui euentus hominibus, utcunque, & per coniecturam præmonstrari, per coniecturam inquam, ita ut omnis penitus longè abscedat ab humanis operationibus ineuitabilis necessitas; admittatur autem pronitas tantùm; & hæc uaria, pro temperamenti corporis nostri diuersitatis ratione.

Quòd euentuum cunctorum, ex sideribus (quantum sit ex parte ipsorum corporum cœlestium, & siderum) cognitionem aliquam habere possumus, Theologicè declaratur. CAP. XXXV.

C DIXIMUS superiori capite in astronomorum coniectationibus Theologos nostros nonnihil admisisse, hoc est, non quod sibi impostores quidam petulanter arrogant; sed quod naturalia & physica indicia illis concedunt quæ peritiores astronomi agnoscunt. Est autem hoc tantùm; ut illi etiam, qui uerè, & modestè in astronomia sapiunt, plus sibi clamant nihil. Nunc ex quorundam nostrorum Theologorum sententia (protestatione subitæ emendationis præmissa si error fuerit) ostensuri sumus, ea etiam omnia, quæ illi, quos impostores, & nebulones appellamus, ex sideribus pollicentur; ab ipsa siderum legitima disciplina, non admodū aliena esse, ut etsi illi ignari sint, & tantùm Stentorea uoce profiteantur se docere, quod nesciant; unde impostores, et nebulones meritò uocandi sunt; ipsa tamen siderum & configurationum cœlestium exacta peritia (quantum ad artem ipsam & astrologiæ disciplinam pertinet) eruditis, & artem ritè callentibus, euentus omnes præsignificare, & præmonstrare queat. Fuerunt igitur aliqui ex nostris, perspicacissimi ingenii Theologi; qui non solùm ex siderum in corpora nostra operatione, & ex nostri corporis temperamento, sed ex ipso etiam stellarum conspectu, & ex cœlestium corporum, & siderum non dicam influxu, sed motus & configurationis obseruatione,
D non tantùm corporis nati temperamentum, ex quo deinde multos (ut dictum est) nati euentus prognosticare astrologi contendunt; sed illa etiam, quæ nobis euentura sunt, omnia; immo cuncta, quæ in Orbe uniuerso, siue de præsenti contingant, & eueniant, siue in futurum euentura sint, ex cœlorum (ut diximus) motu, ex siderum structura, comparatione, & configuratione, tanquam ex signis, & indiciis quibusdam, præsciri posse asseruerunt. Origines maximus adeo Theologus, ut, uel B. Hieronymo teste, in quibus bene dixerit, nemo melius cuius scientiam optat idem Hieronymus, huius dicitur fuisse opinionis; ut ex cœlo & sideribus cuncta possint præconiici. Cui lib. sexto de Præparatione Euaegelica. cap. ultimo subscripsit Eusebius. Ad hanc confirmandam sententiam, adduxit Eusebius loco citato uerba quædam; quæ Ioseph (ut ille asseruit) aliàs (fratribus suis, puto) protulit; ea autem sunt. [Legi in tabulis cœli quæcunque contingent uobis, & filiis uestris] quæ quidē uerba ita uiri isti Eusebius, & Origenes interpretati fuerunt; ut in sideribus ipsis, & in siderum structura, motu, configuratione, habitudine, & proportione, euentuum cunctorum indicia quædam, in cœlo, ueluti in tabula, contineantur; atque hoc modo in signa, secundum scripturæ uocem, stellas esse factas, Origenes exposuit. Huius opinionis fuit Philosophus ille maximus Plotinus, sub Ammonio Alexandreo Origenis condiscipulus, & perpetuus amicus. De hac re, qui plura apud ipsum, uidere cupiat; legat eiusdem libellum, cui Titulus, Vtrū stellæ

ſtellæ aliquid agant. Lib. præpterea de Fato cap. VI, habet hæc uerba Plotinus. Præſtat uerò dicere cœleſtia, pro uniuerſi ſalute percurrere; ſed interim ad alium quendam uſum conducere, quo E
ſcilicet, qui illa ſuſpiciant; quaſi literas, qui uidelicet literaturam eiuſmodi nouerint, futura legant; ex ipſis figuris, comparatione quadam analogica indagantes ſignificatum. Quamobrem de ipſo, Plotino inquit Porphyrius; qui mores hominum, errata, euentusque præſentiebat cum aliquando Porphyrius ipſe ſe ipſum interficere cogitaret, illud cœlitus ille præuidit atque eum à tanto facinore prohibuit.

MARSILIVS Ficinus in argumento libri Hermetis, cui titulus, Pimander, Mercurium ait Triſmegiſtum tam clarè ruinam priſcæ religionis, ortum nouæ fidei, aduentum Chriſti, futurum iudicium, reſurrectionem mortuorum, beatorum gloriam, peccatorum ſupplicia prædixiſſe; ut in dubitationem uenerit B. Auguſtinus an iſta ex peritia ſiderum, Mercurius præcognouerit. Sed ſine dubitatione Auguſtinus tantus Theologus non dubitaſſet; an ex ſideribus, ſiderumq; conſpectibus, & comparationibus, configurationibusq, in tot tantarumq; rerum notitiam Hermes deuenerit; ſi ex ſiderum ipſorum intuitu, habitudine, ac comparatione nulla futuri euentus præcognitio haberi potuiſſet; uel nulla eius, quod euenturum eſt, in cœlo extarent ſigna, & indicia. Illud etiam quod Hieremiæ x. legitur. A' ſignis cœli nolite metuere; quæ timent gentes. rem iſtam utcumq; indicare uidetur. ſi quidem & propheta in cœlo ſigna eſſe aſſerit; & portendi, is, idem propheta aliquid innuit. quod manifeſtius expreſsit nobis Pſal. LIX. Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus; & liberentur dilecti tui. D. N. propterea Matthæi XXIIII, ex cœleſtibus ſignis præſignificandum aduentum ſuum ſecundum, quando ſcilicet Mundum iudicaturus adueniet, præmonuit. Verùmenimuero illud in primis quod Eſaiæ XXXIIII legitur Origenis, Euſebii, Auguſtini, &, ſi qui ſunt, aliorum ita ſentientium Theologorum ſententiam admodum confirmare uidetur. illud autem eſt, Et complicabuntur ſicut liber cœli. Siquidem complicabuntur ut liber, cœli; interea antequàm per finem ſæculi complicentur, ut tanquam apertus liber permaneant explicati, neceſſarium eſt. Sed quorſum liber apertus permanet, niſi ut in eo legant illi qui legere norunt. quin etiam D. Aug. in præfatione in Pſal. XCIIII, poſt multa hæc ſubdit præciſè uerba, Sed quid eſt in cœlo? In firmamento cœli eſt, cuius ergo cor in firmamento libri Dei eſt; iſta non curat. Nam cœlum, ideſt firmamentum intelligitur per figuram libri legis. Hæc Aug. quibus firmamentum per librum legis figurari uoluit. Ideo quodam loco, Pſal. uidelicet CIII, dicitur, Extendens cœlum ſicut pellem. quod dictum etſi aliqui exponant, quaſi pellem, qua tegimur; ita ut cœlum Orbis uniuerſi tegumentum eſſe, indicare propheta uoluerit; G
quid tamen prohibet; quin ſicut pellem, in qua, ea, quæ diutius ſeruari uolumus, inſcribimus, cœlum extenſum eſſe exponamus? quæ liber etiam appellari poterit. Si igitur extenditur cœlum ſicut in ſcripta pellis, uidetur conſequens ut tanquam liber ſit extentus: ſed quorſum, niſi ut legatur? Quod ſi pelli extentæ, ſi aperto libro, ſi tabulis, ſi libro legis cœlum comparatur; cur negabimus in eo ſigna futurorum euentuum contineri? & ea tanquam literas quempiam, qui uidelicet lecturam eiuſmodi calluerit, poſſe legere? atque in eo, illi, qui legere poſſunt, & ualent, præſentes, præteritos & futuros euentus omnes, quòd cunctos in ſe liber conſcriptos retineat, aliquo modo conſpicere? Quam rem pſalmi XXI, & in primis pſalmi, XVIII nobis uerba ſignificare fortè uidentur. in illo quidem legitur, Anunciabunt cœli iuſtitiam eius. in iſto uerò, Cœli enarrant gloriam Dei, opera manuum eius annunciat firmamentum, dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Neſcio ſi literalem ſenſum non ſpernimus; quo uno ex ſacris codicibus ferè ſemper probamus aliquid, uel improbamus; quomodo non uenire poſſumus in ſententiam Origenis, Euſebii, Auguſtini, & illorum breuiter Theologorum, qui in cœlis, tanquam in apertis libris omnia eſſe deſcripta, aſſeruerunt. Nouimus myſticos ſenſus, quibus expoſitores communiter hæc uerba iuterpretati fuerunt; nouimus etiam quoſdam, qui regulatiſsimo & H
nunquam ab ordine ſuo excidente motu, fulgentiſsimisq;, quibus præſtant, luminibus, uaſta denique molis magnitudine, cœlos enarrare gloriam Dei, & annunciare opus manuum ſuarum dicant; & hoc modo locum illum exponant, non moror, expoſitionem amplector, atque exoſculor. aio tamen, quòd ſi illis annunciandi modis hunc etiam addamus; ut ſi cœlos gloriam Dei enarrare; & opera manuum eius firmamentum annunciare; & diem diei uerbum eructare; & ſciẽtiam nocti noctem indicare; eo modo, quo tabula, ſiue pellis, & liber ſcriptus, & apertus legenti annunciare dicitur, expoſuerimus; erit expoſitio nullo myſtico ſenſu, nulla anagogia, nulla ferè proſopæia adumbrata; nullo denique uerborum inuolucro obuoluta; ſed ſincera, & illuſtris, atque illi litereræ inprimis quàm aptiſsima. Et tunc demum ceſſabimus mirari aliqua; quæ à peritiſsimis aſtrologis prædicta fuere. Et non tantùm ex dæmonum commercio, ſed ex arte etiam præcognoſci ea potuiſſe, fatebimur. ut illud quod refert Suetonius in uita Iulii Cæſaris, Quòd cum lege Iulia, in Colonia Capua deducti coloni ad extruendas uillas, ſepulchra uetuſtiſsima diſiicerent; idque eo ſtudioſius facerent; quòd aliquantum uaſculorum operis antiqui

A qui ſcrutantes reperiebant; tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ ſepultus, inuenta eſt, conſcripta literis, uerbiſque Græcis, hac ſententia, Quando oſſa Capys detecta eſſent; fore, ut Iulo prognatus manu conſanguineorum necaretur; magniſque mox Italiæ cladibus mors eiuſdem uindicaretur. Quam rem ne quis fabuloſam, aut commentitiam putet; auctor eſt Cornelius Balbus familiariſsimus Cæſaris. Hæc ille: potuit enim Capys ille, ex Aſtrorum peritia, iſta cognouiſſe; qui annos mille Cæſarem præceſſerat. Illud item quod Haly Abenragel (ut Conciliator in problemate XXVII Sectionis undecimæ refert) ex aſtrorum notitia prædixit, puerum nuper natum, eſſe prophetaturum. ſi tamen illud prædixit, & non potius nuper nati uerborum teſtis fuerit; non per Planetarum quatuor in eius horoſcopo concurrentium coniunctionem formata, ſed à dæmone fortaſſe prolata. Et quòd tot tantaque (ut diximus) atque tam perſpicua de Chriſto Triſmegiſtus prædixerit, & alii alia, quæ longum eſſet referre. Quinimmo non tantùm futurorum euentuum, ſed, quod etiam atq; etiam admirandum eſt noſtrarum etiam cogitationum indicia quædam in cœlis extare. Et Porphyrius uiſus eſt dicere; ſiquidem cogitationem, quam habuit de ſe interficiendo ex cœlo uidit Plotinus; & eum prohibuit. Et lib. ſecundo de Geneſi contra Manichæos cap. XXI, his uerbis uiſus eſt affirmare Auguſt. Nam poſtquam nonnulla de cordium mendacium ſub tunicis pelliceis occultatione dixerat (legimus nanque Deum primis parentibus noſtris tunicas pelliceas feciſſe) hæc ad uerbum ſubiecit, Neq; enim in illis corporibus cœleſtibus ſic latere poſſe cogitationes credendum eſt, quemadmodum in iis corporibus latent; ſed ſicut nonnulli motus animorum apparent in uultu, & maximè in oculis; ſic in illa perſpicuitate, ac ſimplicitate cœleſtium corporum, omnes omnino motus animi latere non arbitror. Verba ſunt Auguſtini, ſententia eſt tanti, atque tam magni, tamque catholici Theologi; ut illam ſine aliqua temeritatis nota, negare nemo ualeat. exponi fortaſsis de corporis glorificati luciditate poterat, ſe de glorioſo corpore eo in loco nullam mentionem ille facit. Si igitur noſtrarum etiam cogitationum extãt in cœlis aliqua ſigna; negabimus, in eiſdem aliarum rerum & euentuum omnium poſſe extare certa quædam indicia? & concuſſas quaſdam rerum præſignificationes?

Quòd & ſi ſidera ipſa euentus omnes demonſtrent: eos tamen per ſidera inueſtigare nemo hominum ualeat. CAP. XXXVI.



C OSTENSVM eſt capite præcedenti, non ſolùm ex quorundam nobilium Philoſophorum monumentis; ſed ex aliquot Theologorum illuſtrium ſententia; ex ſideribus, & ſiderum configurationibus, proportionibuſq;, euentus omnes poſſe præmonſtrari. At ne ex iis, quæ dicta fuerunt, deceptus quiſpiam, nebulonibus iſtis diuinantibus plura, quàm iidem exhibere ualeant, pollicentibus, plus, quàm par ſit adhibeat fidei; admonitum hoc loco lectorem uolumus, ad hanc de euentuum omnium per cœleſtia corpora præſignificatione, quam exhibuimus, opinionem, & ad hanc Origenis, Euſebii, Auguſtini, & aliorum quorundam maximorum Theologorum ſententiam ſincerius, exactiuſq; percipiendam, duo occurrere notanda. Vnum quòd etſi cuncta ſiue in ſideribus, & ſiderum configurationibus, ſiue in cœleſtibus corporibus, & eorum uel motibus uel lympida & diaphana ſubſtantia, ſiue quod magis credendũ eſt in utriſq;, & in ſiderum comparationibus, & corporum mutationibus atq; lympiditatibus cuncta tanquam in aperto uolumine deſcripta, & aperta contineantur; non tamen ita ſunt in illis omnia explicata, ut quiuis, quod uoluerit, in eiſdem legere ultro, aut conſpicere ualeat; ſed pauciſsimi duntaxat uiri, uel ex uitæ ſanctitate, & diuino quodam priuilegio, uel ex maxima ueræ aſtrologiæ legitimaq; eruditione, in illis legere potuerunt. quòd hæc lectio difficillima ſit; & (ut dicebat prius Plotinus) multa egeat indagatione, atque mentis ſolertia.

D ALTERVM, quòd ſiue perſpicaciſsimi fuerit quis ingenii, & incomparabilis in re aſtronomica eruditionis; ſiue admirandæ extiterit uitæ ſanctitatis; nemo hominum unquam fuit; qui in his rerum, & euentuum omnium ſignis, & indiciis, quæ in ſtellis & cœleſtibus corporibus extant, cuncta aliquando proſpicere, legere, uel indagare potuerit. Sed proprium iſtud eſt Dei Opt. Max. atque ita proprium; ut nulli alteri conueniat intellectui; quidquid in Timæo dixerit Philoſophus qui dæmonibus, etiam hanc notitiam attribuerit; ſed rurſus inquam ſoli Deo ea conuenire poteſt, iuxta illud quod in Pſalmo CXLVI, legitur, Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina uocat. de qua requidam egregius Poeta ita cecinit.

Qui ſtellas numeras, quarum tu nomina ſolus,
Signa, poteſtates, curſus; loca, tempora noſti, &c.

Tolluntur duæ, quæ ex dictis, suboriri poterant dubitationes. CAP. XXXVII.

E



VERV'M ENIMVERO ex sacris literis nonnulla, quæ huic à nobis satis diffusè explicatæ sententiæ repugnare uidentur, obiici poterunt: & illud inter cætera Esaiæ XLVII, Stent, & saluent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ex eis annunciarent uentura tibi. In quo loco Chaldæos Astrologos taxat, qui Cyrum regem Persarum, per ducentos etiam annos antequàm nasceretur, aduersus illos dimicaturum, uaticiniis tanquam tubis excitabant. Chaldæorum igitur ciuitatem desolandam Propheta alloquitur, cum ait. [stent & saluent te &c.] Et paulò ante de hac rerum cœlestium obseruatione, eos ita taxauerat, Sapientia & scientia tua decipiet te. ueniet super te malum, & nescies ortum eius; & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare. In quibus uerbis duplicem uidetur Propheta Astrologorum temeritatem incusasse. Vna est, putare se ex cœlo posse futura prænoscere: altera, mala præuisa posse semper depellere, mala inquam pœnæ, non culpæ. Ista quippe, donec in uia sumus, propellere semper possumus, at non illa semper. F

AD hæc enim, & similia, si nobis obiiciantur, dicere possumus, Quòd inania quidem, & fictitia illa Chaldæorum Astrologorum commenta; & dæmonum deceptiones, illusionesque quarum superstitionem innuit simul atque repræhendit in uerbo [augures] cum inquit [stent & saluent te augures cœli] ex quibus multa uel superstitione, uel ambitione plena, ad nostros tandem peruenerunt; taxantur, & repræhenduntur. Condemnauit autem per ista uerba dominus, cum peruersitatem illorum, qui quæstus gratia, huius scientiæ nomen, & dignitatem aliis artibus prætexere, consueuerunt: tum impiam ac superstitiosam quorundam sollicitudinem, & miseriam; qui salutaribus præceptis, ac promissionibus firmis, atque illustribus uerbo Dei commendatis, in cuius nomine, præcepto apostoli ad Coloss. III, sunt à nobis omnia facienda, anteferunt prognostica ex astris petita: ea opinione, ut nihil inchoent, nisi perquisitis astris, & astrorum magistris; nec quæ inchoarunt, processura putent, nisi iisdem assentientibus. Scelerate profectò, (ut XXVI, q. V. cap. Non liceat Christianis &c. fusè patet) & in Deum contumeliosè ii, istud faciunt. G
Commentitiæ præterea uanitatis figmentis, disciplinam de ueris astrorum indiciis, non solùm isti nebulones obscurant, sed etiam in contemptum apud uel peritiores, uel uitæ sanctitate insigniores perducunt. Scelestius adhuc iidem faciunt: quoniam imperitiores, cùm aliquid, ut contingit, ipsi diuinant, à ueri Dei cultu abducunt: abductos uerò à Deo, & uerbo eius, in quo seipsum patefecit, ad quærenda inaniter in astris consilia, atque auxilia, per inuia, & ab ipsis etiam ducibus ignorata itinera perducunt; quos illis carminibus nobis non admodum infœliciter depinxit Ennius.

» *Non uicanos aruspices, non de circo Astrologos,*
» *Non Isiacos coniectores, non interpretes somniorum.*
» *Non enim sunt ij, aut scientia, aut arte diuini,*
» *Sed superstitiosi uates, impudentesque arioli:*
» *Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat.*
» *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant uiam.*
» *Quibus diuitias pollicentur: ab ijs drachmam ipsi petunt.* H

Sed ad istam difficultatem hactenus.

EST quid aliud rursus, quod lectoris animum molestare potest: ex eo nanque, quod diximus, euentuum omnium aliqua in cœlis extare indicia; inferendum fortassis lector putabit, Cuncta igitur nobis à sideribus fatali necessitate deriuant, emanantque.

CVI obuiandum est, quoniam indicia non sunt causæ; sed magis ex causis. Tumor enim uteri, uel lactis copia, non est causa, quòd mulier aliqua conceperit, uel pepererit: sed contrà, quia concepit, uel peperit, uterus intumescit; uel ad partum alendum, lacte mamma abundat. Nec rubor similiter est causa uerecundiæ; sed contrà uerecundia ruboris; ut potius dicendum esset, euentus ipsos Fatalem esse necessitatem earum notarum, quæ sunt in cœlo: quàm contrà notas illas, ipsorum euentuum.

RE uera tamen & euentus sunt indicia notarum cœlestium, & notæ cœlestes indicia euentuum; & neutrum est alterius causa. Exemplum ortus caniculæ indicium est maximi æstus, contrà etiam maximi æstus sunt indicium caniculæ ortus. Similiter aduentus hirundinis, est Veris signum. Ver etiam est signum aduentantis hirundinis; nec propriè unum esse alterius causam, uel effectum dici potest. multa enim ita se habent; quòd sunt sibi inuicem indicia, & neutrum est alterius uera causa, uel effectus. Ita mihi, saniori semper iudicio sine contentione cessuro, de iis, quæ

A in cœlo extare diximus, euentuum indiciis dicendum esse uidetur.

NON me interea præterit, Ioan. Picum libro quarto aduersus Astrologos, contendisse, in cœlis non posse futurarum rerum aliqua signa extare, nisi illa dicamus esse rerum earum causas, uel effectus: quarum signa esse dicuntur. Sed nihil ad hoc probandum uir ille alioqui eruditissimus adduxit, quod momentum habere uideatur.

DICES fortasse quocunque res se habeat modo: si in cœlestibus corporibus, & siderum configurationibus, euentuum cunctorum indicia existunt; uel indicia mendacia sunt, uel uera: si primum, non erunt illa indicia: si secundum, igitur omnia euenient de necessitate.

HOC argumento opinatus est dominus Picus, eorum opinionem euertere; qui in cœlis rerum indicia effulgere, asseruerunt; quasi Ethnicorum duntaxat, & Caldæorum quorundam Astrologorum, non etiam catholicorum quorundam Theologorum esset opinio. uidimus enim, & si B. Thomas 2.2. quæst. XCV, art. V, secus sensisse situisus, istam fuisse Eusebii, Augustini, & aliorum sententiam, ex sacris literis non ineptè collectam. Ad argumentum igitur dicimus, quòd indicia illa nequaquam mendacia sunt; sed uera; nec propterea res ex necessitate eueniunt, quòd B ad contingentiam, uel necessitatem euentus, nihil prorsus illa indicia faciant. Nam & si tubæ clangor uerum indicium sit aduentantis exercitus: ad contingentiam tamen, uel necessitatem aduentus exercitus, nihil efficit tubæ clangor. quòd non ex clangore illo inferri aliquo modo potest, quòd contingenter, uel quòd de necessitate exercitus accedat. Sed tantùm illum accedere & aduentare significatur. Et de Astrologorum prædictionibus hactenus.

Ad illud, quod ex Geomanticis obiectum est, & ex Philosopho & ex Theologo, respondetur. CAP. XXXVIII.



DE Geomantia, & Geomantibus, apud candidiores Philosophos; præter quàm apud unum Albertum Alemannum (si tamen illum inter candidos Philosophos haberi uolumus) ne uerbum quidem me legisse memini: nec apud eum plura, quàm duas, uel ad summum tres lineas, in lib. secundo Mineralium tract. III. cap. item III. & eas satis ineptè ibidem positas; & ueri nihil penitus continentes, ut omnino tota ars illa impostura quædam facta sit, quæ antiqui-C tus, ab Aegyptiis sacerdotibus, qui in otio ex publico uictitabant, in iocum habebatur: sciolorum quorundam ac nebulonum nihil rectè intelligentium, ad quæstum, uel ad deceptionem tantùm aptata. Qui quidem ut imperitoribus facilius imponerent, præmonitiones quasdam tanquam artis principia præmiserunt, & eas magno quodam, quo sibiipsis blandiuntur, imperitorum hominum plausu docuerunt. Illæ autem huiusmodi sunt, quòd spe certa cognoscendi futuri euentus, ad Geomantem, accedatur. quòd non omnibus temporibus accedendum sit; sed cum primùm tibi animus suberit accedendi. moueri enim tunc, aiunt, animum à cœlesti quadam sibi somniata uirtute; quæ & te ad præcognitionem disponit, & manum Geomantis ad figuras erigendas promouet, ac dirigit. Quod in punctis figendis, nulla sit uel leuis consideratio, sed cœco casu figantur singula. Tunc demum extremis linearum punctis figuras quasdam confingunt. figurarum autẽ quasdam terræ, quasdam aquæ alias, aeri alias, igni alias ascripserunt. & ut techna esset occultior; duodecim Zodiaci signis, & erronibus septem, nulla certè uel sub apparente ratione, sed temere, ut agunt omnia, easdẽ alligarunt; assignaruntq́;. temeraria nanq́; (ut cuiuis notissimum esse potest) sunt cuncta, quæ ad hanc artẽ pertinent. Nam temere inquirendæ rei desiderium animũ subit; temere accedendũ est ad Geomantẽ; temere & nulla prorsus consideratione adhibita, mouenda est à Geomante manus, ad imprimenda puncta. Hæc sunt artis præcepta, hæc D sunt artis proloquia & suppositiones. Verũ ex iis, quæso, principiis, quis non uidet, illã colligi conclusionẽ, quòd figuræ temere sunt collectæ, quòd illæ errantibus, uel nõ errantibus astris temerè sunt attributæ; quòd temerè elementis quatuor sunt ascriptæ? nõ igitur nisi temerè rei euentum (si demonstrant) demonstrare poterunt. dicere autem figuram eiusmodi euentum remere demonstrare; est dicere figuram non demonstrare; ex qua tamen Geomantes diuinare conatur. Temerè igitur, & fortuitò diuinat, quidquid ex ea diuinat Geomantes. Est igitur tota ars temeraria, adeo, ut sit emeritas ipsa est ats, saltem temeritatis & imposturæ plena dici possit. Nemo propterea mediocriter uel doctus, uel nobilis, tũ retroactis sæculis, tum nostris temporibus hac arte, & hoc prædicendi genere, uel usus fuit, uel utitur. Diogenes dicere solebat. Cùm huiusmodi genus hominum sorte futura prædicentium intueor, parum abesse homines à belluis existimo; cùm medicos, aut pictores, parum à Diis. Quòd si in aliquo diuinantium genere, Diogenis dictum uerum est (ut est in omnibus) in Geomantibus est penitus uerissimum.

CHRISTIANVS Theologus, & qui Christianæ reipub. præsunt, superstitiosa omnia, & callida diuinationis genera, sub anathematis uinculo damnant; & tanquam Diaboli cum homine

fraudulenta commercia procul abigunt. Quòd ſi aſtrologi impoſtores uera prædicentes, à Dæmo ne, ut dicebat Auguſtinus, edocentur: quanto magis Geomantes? ars profectò publicis edictis cum repullulare noſtris temporibus uideatur; extirpanda, & Pontificiis cenſuris ab Orbe uniuerſo euellenda, profligandaque penitus: de qua pudet me uerbum feciſſe. Sed cùm noſtræ diſputationis ordo exigeret, ut de illa etiam à nobis ſermo aliquis haberetur; ueniam facilè à legentibus me impetraturum confido; ſi ubi de uariis diuinandi generibus diſſerere cogebamur; illius quoque mentio irrepſerit quàm breuiſsima. E

Ad ultimam confirmationem, quæ ex Phyſiognomorum prædictione procedit, & ex Philoſopho, & ex Theologo, reſpondetur. CAP. XXXIX.



AD VLTIMAM confirmationem, quæ ex Chiromantum, & Phyſiognomorum prædictione procedit, reſponſuri, illud dicimus; quod libro ſexto Ethicorum cap. ultimo, & libro primo de Hiſtoria, & libro ſecundo de Partib. animalium cap. IIII, tradidit Ariſtoteles; & ante Ariſt. Plato in Timæo; & poſt utrunque Galenus, & in lib. Artis paruæ, ubi, initia, & propenſiones iræ, uel libidinis, quas ortui à corporis temperatura, aſſeruit, non eſſe mores eos, de quibus Philoſophi diſſerunt, affirmauit; & affatim in libello, cui titulus, de Animi morum, & corporei temperamenti mutua conſecutione, declarauit; quòd pro ſubtilioris, uel craſsioris ſanguinis, & pro temperamenti eiuſdem ratione, mores quidem animalium cunctorum in uniuerſum, ſed hominum præſertim uariari contingit. Nobis propterea à natiuitate, uel etiam à conceptione, ex humorum complexione, & temperamento ſanguinis præſertim, & ex totius corporis craſsi & temperatura, uirtutum omnium, ac uitiorum ineſſe, ueluti ſeminarium quoddam, aſſeruit. Quapropter quibuſdam exterioribus ſignis, ſi præſertim plura fuerint requiſita, & inuicem collata, quæ conſentiant (ex uno nanque ſigno non eſt quidquam temerè pronunciandum) mores hominum etiam futuros, quadam phyſica ratione, præcognoſci, & à peritioribus eadem prænunciari, ac prophetari, non negauit Ariſt.; nec negaret Theologus. Quòd ſi ſigna omnia, uel plurima uni ſignificato ſuffragentur; audentius etiam illud præſignificari, ac prænunciari poterit. non tamen ea ſunt ab origine, in complexione & craſi uirtutum ſeminaria, uel uitiorum; quæ uel naturæ quadam neceſsitate germinent; uel nos omnino perurgeant. Sed quæ exculta tantùm emergant; neglecta uerò frigeſcant, & iaceant; atque quæ ad uirtutes, uel uitia ſolùm alliciant, & inclinent, non autem cogant. Apuleius propterea libro de Philoſophia ex Platone, hominem, ait, ab ſtirpe ipſa, neque abſolutè bonum, neque malum naſci; ſed ad utrunque procliue ingenium eſſe; habere quidem ſemina quædam utrarumque rerum, cum naſcendi origine copulata; quæ educationis diſciplina in partem alteram debeant emicare. Rectè igitur Pythagorei (ut ſuper Alcibiade tradidit Proclus) per ſigna in corpore conſtituta, non de uita, ſed de uitæ aptitudine iudicari poſſe dicebant. Proditum nanque memoriæ eſt, Pythagoram, Mneſarchi filium, priuſquam in diſciplinam ſuam adoleſcentes ſuſciperet, conſueuiſſe illos φυσιογνωμεῖν, hoc eſt, ex oris, manus, & ſingularum denique corporis partium habitu perſcrutari; num ad philoſophiam eſſent apti. quoniam inuito genio neminem erudiendum eſſe dicebat. Socrates (ut tradiderunt quidam) Platonem erudiendum quàm libentiſsimè ſuſcepit; quòd ingenii eius excellentiam, ab exteriori facie conſpicatus fuiſſet; eumque eſſe illum cygnum, qui in Academia Cupidini conſecratus, ad ſe noctu per ſomnium euolauerat; atque in ſuo gremio reſederat; ac mox pennis cœlum petierat; hominum, Deorumque animum cantus ſuauitate ad ſe demulcens. A Pythagora, & Socrate, nec Plato, nec Ariſtoteles diſſenſerunt. Cæterùm uitioſam prorſus & ineptam naturam ſuperare nos poſſe; & turpem ac inhoneſtam, in honeſtiſsimam permutare, arbitrii noſt.. poteſtate, & ratione, ac melioris uitæ conſuetudine, Peripatetici ultro confitentur. Nam & libro decimo Ethicorum cap. x, & lib. ſeptimo Politicorum, & alibi pluries aſſeruit Ariſtoteles, tribus modis bonos homines fieri, Natura, conſuetudine, & doctrina ſiue ratione. Noſtrum eſt enim inſitas nobis, connataſque, à prima origine, ad uirtutem, propenſiones, ſtudio, diligentiaque excitare, fouere, ac confirmare; incitamenta ad uitia, affectuſque uehementes, & inconſideratos, aut reprimere, ac ueluti ſuffocare doctrina, aſſuefactione, cultuque diligenti, priuſquàm adoleſcant, & confirmentur, aut ita domare, & compeſcere, ut imperio rectæ rationis ſubditi, intra ſuas ſe metas contineant; & rationi obtemperent. Quàm autem ingens, in moribus noſtris, habeat momentum ſtudium, & conſuetudo; & ſi ex multis quotidie experiri; & innumeris retroactis exemplis declarare ualeamus; omnibus nihilominus prætermiſsis, unico Lycurgi illius ſpartanorum legiſlatoris ab oraculo Delphico numen incertum appellati, exemplo declarabimus, & ueluti præ oculis demonſtrabimus. Igitur Lycurgus ille geminos, ex iiſdem parentibus, catulos ſuſcipiens, haud ſimilibus educauit moribus. Alterum

A terum enim helluonem, luxuriaque solutum; alterum indagine sagacem, & uenationibus idoneum reddidit. Postea cum aliquando Lacedæmonii unum in locum conuenissent; ad parandam (inquit) uirtutem, uiri Lacedæmonii, ingens est momentum consuetudo, disciplina, doctrina, & uitæ institutio; quam rem exemplo uobis manifestam uehementer faciam. Duos subinde catulos istos adduxit; adductosque dimisit: cumque ollam in medio, leporemque coram eis posuisset; alter quidem in leporem, alter uerò in ollam, magno impetu, irrupit. Quum autem Lacedæmonii nondum, quid'nam id sibi uellet, coniectarent; aut quamobrem catulos ostentasset, Hi ambo (dixit) iisdem orti parentibus, diuersam uitæ consuetudinem assecuti; alter gulosus, alter uenator euasit. Nulla nempe est tam uehementer ad uitia incitata natura; quam frenare non posit humana diligentia, seuerior disciplina, leges, pœnæ, præmia, exercitia, & consuetudo. Hæc enim ad rectè rationis obedientiam, hominem adducunt; & ad uitam sobriam, & honestam illum assuefaciunt. Quod non in animi tantùm, sed etiam in corporis uitio facilè intueri possumus. Multos nanque qui admodum fuerunt ualetudinarii, ut de Herodoto literato uiro refert
B Aristoteles, sola uictus diligentia, & consuetudine, annos centum impleuisse legamus. Quamobrem Zopyrus quidam in Physiognomicis peritissimus (ut libro de Fato tradidit Cicero, quod item lib. de Fato cap. IIII, Alex. Aphrod. confirmauit) cùm Socratem conspexisset; multa de ipso, ex arte, mala pronunciauit; ut quòd stupidus esset & bardus; quoniam iugula concaua non habebat. Insuper quòd esset mulierosus; in quo Alcibiades (inquit Cicero) cachinnum dicitur sustulisse; & alia id genus multa. Qui cum inter diuinandum à discipulis Socratis, quibus eiusdem mores innocentissimi, & uita probatissima comperta erat, irrideretur; dixisse eis Socratem, fertur, Ne hominem irriderent; talem enim à natura constitutum fuisse; qualem Zopyrus illis depinxerat: talem uerò ex Philosophiæ studio esse; qualis eisdem ex consuetudine uidebatur. Stylphonem rursus (inquit Cicero) Ficinus lib. IX, de Immortalit. animorum, cap. IIII, legit Alciphonem Megaricum quendam acutum Philosophum, & probatum hominem, eius familiares ebriosum, & mulierosum fuisse, scribunt; non ad uituperium, sed ad laudem potius; quòd naturam uitiosam suam sic edomitam, & compressam ab eodem doctrina fuisse dicant; ut uinolentum illum, aut in eo libidinis uestigium uiderit unquam nemo. Non'ne Xenocrates, Demosthe-
C nes & Cleantes naturæ impedimenta, labore, & diligentia repulerunt? Xenocrates ingenio tardissimus erat; sed studio maximus in Philosophia extitit. Demosthenes, literam pronunciare uix poterat; iugi exercitio uitium emendauit. Cleanthes obtusus erat ac bardus, sed labore & industria in uirum doctissimum euasit. sed ad hanc dubitationem hactenus.

Tanguntur duæ dubitationes, & in alterius solutione, cur libellus iste sit de Fato inscriptus, declaratur; & huic disputationi finis tandem imponitur.

Cap. XL.



OLVIMVS ea omnia; quæ in princ. nostræ disputationis, in euentibus cunctis ineuitabilem necessitatem persuadere uidebantur. Etiam labori nostro extremam manum imponere poteramus. At quoniam nonnulla supersunt; quæ adhuc lectoris animum mouere forsitan potuissent; ideo, ne quid in hac disputatione, à nobis desiderent studiosi, addidimus ueluti totius operis fastigium & culmen huius libri quadragesimum, & uniuersæ nostræ disputationis ultimum
D caput; in quo duas dubitationes, quæ lectoris animum subire potuissent, dissoluere proposuimus. Dubitari igitur ab aliquo poterat, primùm, cùm alias obiectiones omnes & physicè, & theologicè dissolueremus; cur eas rationes, & confirmationes, quas pro Fato, & pro rerum, & euentuum omnium necessitate, libro tertio, in quo præcipuè de Fato egimus, adduximus: non etiam iuxta theologicam ueritatem, sed tantùm ad Physicorum opinionem, diluimus?

Secundò, cur tractatum istum de Fato inscripsimus? & huius quidem posterioris dubitationis rationes plurimæ adduci possunt.

Vna, quoniam uocem hanc Fatum (ut superius diximus) reprehendunt Theologi; & sancti patres ab auribus fidelium abigere illam conantur. unde B. Thom. lib. tertio Aduersus gentes cap. XCIII, Quoniam, inquit, cum infidelibus, nec nomina debemus habere communia; ne ex consortio nominum posit sumi erroris occasio, nomine fati, non est à fidelibus liberè utendum.

Altera, quoniam tractatus huius una tantùm, & illa satis breuis portio Fato dicata fuit; non debet autem idem titulus esse totius & partis.

Tertia, quoniam si titulus, & libri inscriptio sumitur à parte; debet sumi uel à maiori, uel à præstantiori parte. At hæc inscriptio à neutra sumpta est. Non quidem à maiori, ut paulò ante dictum

dictum fuit, non à præstantiori, quum diuina prouidentia sit Fato longè præstantior; tum quia illa est causa, Fatum effectus ponitur; tum quia illa in Deo, Fatum in rebus ipsis constituitur. E

CONFIRMATVR, quoniam fatum non est nisi penès uanam quorundam hominum opinionem, at diuina prouidentia in rerum natura consistit, & quidem maximè: ab ea igitur, non autem à Fato, fieri debebat huius nostræ tractationis inscriptio.

AD priorem dubitationem, dicimus, quòd non difficultatibus omnibus in hac uel alia nostra disputatione contingentibus, & physicam seorsim & theologicam responsionem adhibuimus; sed uel theologicam tantùm; ubi physicam non habuimus. sicuti in libro nostro de Humano libero arbitrio; ea potissimum parte, in qua de Prædestinatione, & de reprobatione agimus, patere potest: uel physicam tantùm ubi Theologus à naturali Philosopho non dissentiret; si ad eas difficultates respondere cogeretur. quod fecimus tum in aliquot aliis, tum in dissoluendis illis ambiguitatibus; quæ in libro tertio, in quo de Fato peculiariter considerauimus, occurrerunt. Eas enim ad illas difficultates afferret Theologus responsiones, quas nos ex Philosophis, Peripateticis præsertim attulimus; præterquam ad eam, quæ ex necessaria prioris, supremæque mentis, & causæ operatione, procedebat. Ab ea nempe difficultate facillimè se dissolueret Theologus, qui Deum optimum nulla necessitate; sed liberè & contingenter ad extra operari, rectissimè affirmat. F

AD posteriorem dubitationem soluendam, notandum illud, quòd Aristotelis interpretes ferè omnes, Alexander, Ammonius, Ioan. Gramm. Simplicius, & alii in multis locis tradiderunt, libri cuiuslibet inscriptionem à scopo, & ab ipsa libri intentione esse petendam. ut libri titulus ipse, quid in illo libro consideretur, modo quodam, & Laconica quadam breuitate doceat, & præmonstret. Cùm igitur auctoris in uniuerso hoc opusculo animus esset inuestigandi, An res, rerumq; euentus ex causis suis ineuitabili necessitate, uel contingenter proficiscerentur: ostendendiq; res, & rerum euentus nulla ineuitabili necessitate, quæ ineuitabilis necessitas, uno nomine Fatum communiter appellatur, sed uel fortuitò, & temere, uel saltem contingenter uel etiã si necessariò, non necessitate absoluta, sed suppositionis et conditionis euenire. De fato propterea (quòd hæc quæstio & ista disputatio undiq; fatum concernat) illud inscribi auctor uolui. Hoc igitur præmisso facile erit singulas obiectiones tollere.

AD primam, & si uocem ipsam, in eo sensu, quo ea uulgo, & communiter sumitur, damnent Theologi, in eo tamen sensu, quem reuera uox ipsa fatum significat, & quo eadem uti deberent omnes, non illam damnant, sed recipiunt. Boethius nempe diffiniuit fatum. B. Thom. fecit quæstionem multis articulis distinctam in prima parte, & opusculum, quod inscripsit de Fato, quod non fecisset, si prorsus foret uox fatum abiicienda. Eiusdem tituli libellum edidit Gregorius Nyssenus uir doctus iuxta ac sanctus. Nos igitur, ut in suo deinde sensu, ea tandem uti assuescamus; ad declarandam uocis significationem, ad ostendendumq;, in quo uero, & legitimo sensu sumi possit, multum laborauimus; demonstrauimusq; ad quem modum catholici fatum recipiant; & quid per fatum intelligant; & quo modo uniuersa, quæ fiunt, Fato fiant: nulla tamen ineuitabili necessitate, ut illi putauerunt Ethnici, qui de fato aliquam existimationem habuerunt. G

AD alteram, & si in libro tertio, præcipua fiat de fato consideratio; totius tamen opusculi scopus (ut diximus) & intentio est inuestigare, utrum in iis, quæ eueniunt, sit ineuitabilis illa necessitas constituenda; quam Stoici, & quam uulgares fatum appellant. totum propterea tractatum de fato iure nuncupandum diximus.

AD tertiam, si de diuina prouidentia per se, idest quatenus diuina prouidentia est; in tractatu nostro consideratum fuisset; momentum certè haberet maximum dubitatio, sed quoniam de illa non per se, sed per accidens; quatenus uidelicet uidetur illa multis humanæ libertati, & euentuũ contingentiæ, & temeritati obstare, hoc est quatenus principali intentioni, & euentuum necessitatis, & uel contingentiæ inquisitioni deseruit, considerasse per quam opportuum fuit, ideo non ab illa, sed ab ipso fato; quòd illa indagatio fatum concernat iure libelli sumpta est inscriptio. H

AD confirmationem, dicendum, quòd etiam si fatum nullum esset; nec constaret nisi aliquorum opinione, cum tamen Scopus fuerit considerare, an euentus fato eueniant, & in eisdem ineuitabilem, quam Stoici, & aliquot alii somniant, necessitatem euertere: tractatus rectè propterea, de Fato fuit inscriptus. Alexander nanque, & Cicero tractatus suos, in quibus aduersus fatum disputarunt; illudque nullum esse doctissimè demonstrarunt; de Fato, ut patet, inscripserunt. Nos autem multo magis ita libellum hunc inscribere potuimus; qui non tantùm fatum Stoicorum, & Mathematicorum (ut illi fecerunt) euertimus; sed fatum etiam in rebus cunctis asseruimus: non quidem quale Stoici, & Mathematici; immo nec quale etiam Peripatetici (illi nanque in rebus uniuersis; isti uerò in aliquibus, quæ tantùm à natura fiunt, insuperabilem necessitatẽ asseruerunt) sed quale catholici posuerunt, qui Deum Opt. Max. res cunctas temperare; earum procurationem habere; de illis ab æterno statuere; à fine ad finem fortiter singula attingere; om-

nia

A nia denique ſuauiter diſponere; euenireq́ue ſingula Fato; hoc eſt pro diuinæ uoluntatis determinatione docuerunt. ad quem modum autem de rebus ſingulis illa decernat, & unumquodque Fato eueniat, ſuperius longiore oratione iam oſtendimus; demonſtrauimusq́; præterea; quomodo cum iis diuinis decretis, & cum iſto catholicorum Fato, temeritas, contingentia, humani arbitrii libertas, & quidquid etiam in brutis eſt ſpontanei, ſtare, commodè queant; & quantum ab eiſdem omnis ineuitabilis neceſsitas abſcedat.

Peroratio.



AEC ſunt Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi S. R. E. Card. GONZAGÆ ampliſs. quæ nobis hoc tempore, de rerum euentu, de Fato, de diuina prouidentia, & de aliis quibuſdam, quæ ad eorum conſiderationem neceſſaria erant, hoc eſt de diuina Præſcientia, de Prophetia, de Oraculis, & de multis aliis, tum ex Phyſicorum, tum etiam catholicorum Theologorum ſententia, dicenda putauimus. Eſt profectò res magna, atque præclara; & in qua multum nobis operæ, atque laboris & diſpendii ſuſceptum eſt. Meum enim fuit conſilium, pro uiribus, in re tam ardua, tamq́ue difficili, ſi non omnino, at aliqua ſaltem ex parte, doctis, & eruditis uiris ſatiſfacere. quod ipſum ſi conſequuti ſumus; id immortali Deo, à quo totum hoc profectum eſt, tribuamus. ſin minus, nobis ignoſcetis, ſimulq́ue memineritis, res multò difficiliores eſſe, quàm ut planè explicari poſſint.

LIBRI IX. ET VLTIMI DE FATO

FINIS.

RERVM, ET VERBORVM MEMORABILIVM, QVAE HIS IX. LIBRIS DE FATO, CONTINENTVR INDEX LOCVPLETISSIMVS.



Apost.

Dæ-

E

F

De

In-

N

Pro-

Vates

FINIS.

Typographorum erratis expunctis, sic emendabis.

Charta 2. litera c. linea 8. monogrammos. 6. g. 4. determinatè. 7. g. 1. decreta. 8. h. 10. in quiete. 9. a. 8. ἐγείρεις 9. h 13. adductæ. 10. b. 4. & de eu. 10. h. 13 Aphrod) 11. d. 9 extremam. 13 b. 7. pertinacia. 13. e 5. aut etiam. 13 g. 14. illum. 14. h. 14. habet. Alio. 15. a. 13. eandem. 16 c 7 Habent. 16. c 15. nonnulla 25. g. 4. ex mul. 28 c 14 experte 29 b. 7. aut. 29 h. 2. at non. 30. b 5. corpus uel spiritum. 31. b 2. electione\& incui tabiliter uult. aut non uult, ut secus quàm uelit, & quam statuat 31 h 9 præterq;. 33. h. 6. à causa. 36. c. 13. euentum necessarium enunc. 37. c. 7. uolumus aut nol. 38. a. 15. requiruntur. 41. b 14. ad nec. 41. d. 9. cumulus ingentissimus. 42 e. 11. potui. 42 g. 13. At id 43 a. 3. operanti 47. b. 11. & 12. frusta 51 g. 7. prima ca. h. 10. quod. 52. e. 5. nodus 53. a. 3. Nunc ad Th. 53. f. 12. & realem. 55. d. 8 Natura Deorum 56. d. 1. atqui. 57. c. 3 construxisse 58. b. 6. prouidentiam. 58. g. 5 & spir. 59 a. 10 clauis. 60. a. 1. mulio. 61. g 1 tranquillæ prouidentiæ 63. d. 14. primi. f. 1. denique. 10 constitutorem. 63. h. 5. unitè. Et eiusdem li. cap. 8. 66. b. 16. cœlo è h. 3. At non. 69. c. 9. qua. d. 4. quo. 70. f. 2. à Deo. 71. a 13. qua seipsū. d. 15. sed est ca. 72 c. 14. Nutu. 72. e. 5. etsi ex. 73 d 11. per accidens. e. 14. secundus prou. 74. c. 14. distinctæ. 75. g. 2. At ex. h. 5. induit. 77. f. 2. debilis est ueluti. 78. e. 3. lib 8. 79. g. 12. prælatus. 81. h. 9. perfectiorem absolutiorem. 83. g. 13. quæ opus sunt aggr. 84. a. 2. necessitas abig. d. 4. redeo ad 85. g. 1. quod inef. 86. a. 10. potiamur. 89. h 7 ostendimus. 90. e. 3. tua. 10 at post. 94. g. 6. comederit. 95. a 11. est, sit posterioris. e. 1. fractio. g. 12. motum h. 7. quodcūque illud. 97. c. 8. mensuretur. 97. e. 11. ea igitur - cognoscet. 101. f. 5. fieri. 105. e. 7. & eò magis, quò 106. h. 7. recentiores. 107. h 12. & cō. 108. b. 5. de immor animorum cap. 11. -- 113. a. 13. delapsa. 114. a. 11. affectum. c. 5. annunciaui. 115. b. 15. aduersari. d. 13. in anima. 118. g. 14. explicantur. 119. h. 2. etiam exist. 120. e. 9. suis euen. h. 2. & illud. 122. c. 10. inter illa. e. 4. est pot. 123. a. 10. uirtus. 125. e. 1. oratione. f. 12. uoluntati. 127. creasse. -- turpore. 128. d. 9. super. g. 7. asseueramus. h. 5. fit Deus tota ipsorum. 129. a. 5. unà. f. 6. sed in. 130. f. 7. determinationis h. 4. & al. gl. 132. d. 10. & à t. 10 at pos. 133. a. 10. obliquationem c. 13. actio dici. e. 2. nisi priu 135. b. 15. Et tam. 136 a. 13. quandam. 139. a. 9. si ad al. 10. at sup. 139. g. 3. ad fin. 140. g. 3. estq, præd. 141. c. 1. uos fi. e. 1. responsum. g. 5. uaticinationem esse. 142. c. 9. inuenies. 143. e. 8. ignotum ferro. 144. h. 3. aperit. 16. totius resup. 145. a. 9. halitu. 16. halitu. c. 1. halitum. e. 9. diuinij. 146. c. 14. uirgas qu. 147. h. 3. nutu. 150. b. 3 ψυχαγωγόντας. f. 10. ominib. 151. c. 11. urbem. 152. c. 2. sed alt. 153. b 9. irreptus. 154. e. 1. ominum. g. 3. uini illi. 14. ut sunt. 156. a 2. Prætor. d. 1. Pl. 77. & 14. Paul. ad. 157. h. 15. iis som. rectā. 158. g. 2. omnia. 159. b. 3 obseruationem contrad. 160. b. 8. ipsis Diis. 162. a. nos inc. d. 2. omnē est quod à. 162. f. 9. si pro. g. 8. ac sat. 163. b. 3. composito. 164. e. 5. quod mores. f. 2. iis. 166. d. 7. sitemeritas ars ipsa non est. 165. b. 12. iuconcussas. 115. d. 13. quemcunque - sed ad. 121. f. 12. deposcit à Deo. 140. e. 3. à natura. Diuin.

REGESTVM.

* ** ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY.

Omnes sunt duerniones, præter ** ternionem.

Venetijs, ex Officina Iordani Zileti. 1563.